32
6 G
12

JOANNIS DALLÆI
DE
USU PATRUM
AD EA
DEFINIENDA RELIGIONIS CAPITA,
quæ ſunt hodie Controverſa,

LIBRI DUO,

Latinè è Gallico à I. METTAYERO redditi;

Ab Auctore recogniti, aucti, & emendati.

Hieron. Apol. adv. Ruff.

Fieri poteſt, ut vel ſimpliciter erraverint, (Scriptores Eccleſiaſtici) *vel alio ſenſu ſcripſerint, vel à Librariis imperitis eorum paulatim ſcripta corrupta ſint. Vel certè antequam in Alexandria, quaſi dæmonium meridianum Arius naſceretur, innocenter quædam, & minus cautè locuti ſunt, & quæ non poſſint perverſorum hominum calumniis declarare.*

GENEVÆ,
Sumptibus Ioan. Antonii Chouët.

M. DC. LXXXVI.

CLARISSIMO & REVERENDO viro, omni eruditionis & virtutis genere præſtantiſſimo,

JOANNI DALLEO, APVD PARISIENSES

fideliſſimo Verbi Dei Miniſtro,

S. P. D. I. M.

LICET *quicquid operum hactenus edidiſti, Vir reverende, mihi plurimum placuerit, tuaque omnia, cùm Latinè, tum Gallicè ſcripta, æquali plauſu ab eruditis, atque adeo à piis omnibus, excepta ſint, diffiteri tamen non poſſum laborum tuórum primitias. Tractatum nempe tuum de Patrum in decidendis de Religione Controverſiis uſu, me plurimum ſemper cepiſſe. Non ſolum enim opus iſtud mira rerum lectu & ſcitu jucundiſſimarum digniſſimarúmque varietate refertum eſt, verum etiam eloquentia orationiſque nitor cum rebus ipſis certant, tantáque eruditione & facundia argumentum illud pertractaſti, ut vix quicquam magis elaboratum erudito hoc ſeculo prodiiſſe videatur. Cum ergo hoc tempore in hoc maxime incumbant præſtantiſſima quaque Gentis noſtræ ingenia, ut in linguam noſtram transfundant quicquid doctum, quicquid præclarum habuit Antiquitas, exiſtimavi me operæ pretium facturum ſi in ſtudio ab iſto non multum alieno aliquid & ipſe conarer, dumque noſtratium auribus Latinorum Græcorúmque Scripta accommodantur, viciſſim & noſtratium ſcriptum aliquod Latinitate donarem: ſperans ſic futurum, ut non ſolum ab exteris, & qui Gallicum noſtrum ſermonem*

non didicerunt, gratiam inirem. verum etiam animum moleſtiſſimis curis & afflictiſſimo Eccleſiæ, cui Deus me præfecit, ſtatu tantum non dejectum proſtratumque hoc avocamento reficerem & recrearem. Hujuſmodi pratentamentum quoddam, in hoc ipſo libro, cùm ſuperioribus annis, ſummus mihi amicus, Claudius de Vineux, ὁ μακαρίτης, fidus Dei ſervus, Eccleſiæ Calniacenſis Paſtor, vidiſſet, à filio meo exercitationis gratia exaratum, hortari cùm coram, tum per epiſtolas, quoad vixit, non deſtitit, ut quod non omnino infæliciter cœptum judicaret ad incudem revocarem & abſolverem. Parui ergo, eoque libentius quòd non ſolùm accepi hoc ipſum opus ab ornatiſſimo viro Tho. Smitho in Anglicum idioma translatum, verùm etiam conſilium hoc meum tecum communicatum non improbaſti, futurumque non adnuiſti (quod & ſtrenuè à te præſtitum eſt) ut & interpretationem meam pro jure tuo recenſeres & caſtigares & opus ipſum, tametſi per ſe jam numeris ſuis abſolutum, variis è recondita tua eruditionis penu hauſtis obſervationibus locupletares. Qua quidem de re eſt mihi quod gratuler, qui hoc meo conſilio atque inſtituto factum videam ne Eccleſia Dei utiliſſimis iſtis ad opus tuum additamentis careat. Quicquid autem in interpretando tuo opere laboris impendi, id obſervantiæ in te meæ publicum teſtimonium futurum tibi offero, utque ea fronte qua me ipſum ſoles, excipias rogo. Bene vale, vir mihi omnibus nominibus colende, & me, quod nulla meo merito ſponte facis, porro amare perge. Auguſtæ Veromanduorum Kal. Jan. 1654.

ILLU-

ILLVSTRI FOEMINÆ

ANNÆ MORNÆÆ
ILLVSTRIVM VIRORVM

PHILIPPI quidem MORNÆI filiæ,
JACOBI verò DES NOVES
TABARERII viduæ,

JOANNES DALLÆUS
S. P. D.

PHILIPPUS DES NOVES, ſani Herminiani Baro, tuus, Domina, dilectiſſimus filius, & ſpei dum vixit maximæ, & memoriæ, poſtquam vivere deſiit, optimæ adoleſcens, cùm ante annos ferè quatuor in urbe verſaretur, & in familiari quodam ſermone ea apud me commemoraret quæ ſibi quotidie homines aulici pro Romana Religione contra reformatam objectarent, referebat eos in primis de antiquitate, vetuſtiſſimorúmque Chriſtianiſmi Doctorum conſenſu ſolitos fuiſſe gloriari, ita ut nihil frequentiùs, aut procaciùs quàm hæc nomina jactarent. Ac tametſi ſatis ipſe per ſe intelligeret quàm futilis eſſet iſtiuſmodi objectio, teſtabatur tamen gratiſſimum ſibi fore, ſi in ſui gratiam hoc argumentum paulò accuratiùs ac penitiùs explicarem. Feci quàm potui diligentiſſimè, & fusè quæ de eo mea eſſet ſententia ſum executus. Quod cum ipſi placuiſſet, eóque ſpes facta eſſet poſſe & aliis eſſe uſui, diſputationem totam aliquanto poſt

literis mandavi, & in hunc quem vides commentatium conjeci. Cæterum animus erat illi ipſi quicquid hujus eſt opuſculi inſcribere, in cujus gratiam id primùm meditatus eram, ut hoc, ſcilicet, qualicunque officio teſtarer, quanto juvandi ipſius in pietate profectus ſtudio tenerer. Verùm cùm ille nobis, proh dolor! acerbiſſimo funere, florenti ætate, in celeberrima Sylvæ-ducis obſidione ante biennium præreptus fuerit, neque jam nobis quicquam præter mortales egregii adoleſcentis exuvias, præſtantiſſimæque virtutis memoriam, cum graviſſimo ob tam immaturum fatum dolore conjunctam ſuperſit, nunc cogor conſilium quod primum ceperam mutare. Neque enim placet hominem mortuum, & cœlo, in meliorem vitam, receptum familiariter, veluti adhuc apud nos verſantem, compellare, tametſi non neſciam & olim fuiſſe, & nunc eſſe, qui aliter judicent, neque abſurdum aut indecorum putent ad eos qui ex hac vita migraverint orationem convertere, & cum iis colloqui. Mihi verò cùm inane ac ſupervacaneum eſſe videtur abſentem, & à nobis immenſo ſpatio ſejunctum, neque noſtra audientem, affari, tum inhumanum ac propemodum impium, fœliciſſimè procul à noſtris certaminibus in Domino quieſcentis pacem noſtris ſermonibus ſollicitare. Videt jam ille in puriſſima luce conſtitutam veritatem, fruitur beata æternitate, qua benigniſſimus ſervator ejus cum fidem, tum immotam in nominis ſui timóre perſeverantiam coronavit. Satis igitur mihi erit eximiæ virtutis, præſtantiſſimi, ingenii, judicii acerrimi, ſuaviſſimæ indolis, optimarúmque artium quibus ille inſtructus ac præditus fuit, maximè verò ſingularis illius pietatis, quam tota vita excultam ad extremum uſque ſpiritum conſtanter retinuit, jucundiſſimam memoriam uſurpare, ſervare, ſummóque in pretio habere dum vivam. Libellum verò hunc tibi uni donari vel inſcribi fas eſt; qui ei elaboratus ac deſtinatus fuerat, cujus tu quando ſic Deo libuit, tametſi invitiſſima, ac præter ſolennem naturæ ordinem, prætér-

que

que ardentiſſima & tua & noſtra vota, hæres facta es. Ipſum opus fateor eſſe hujuſmodi quod tibi, niſi me hęc, ut ſic dicam, officii neceſſitas compuliſſet; nunquam oblaturus eram. Quam enim continet diſputationem, ea omnis non modo à ſexu ſtudióque tuo, ſed maximè etiam ab eo luxu aliena eſt in quo tu jam acerbiſſimo cum mœrore, verſaris, cariſſimi conjugis morte nuper, cùm à filii funere vix reſpirares, afflicta atque oppreſſa. Sed cùm juris mihi antiquior quàm decori ratio ſit, hunc libellum, tametſi alieno tempore, ad te mittere malui, quàm cum nonnulla cujuſdam veluti furti conſcientia, apud me detinere, qui triſtiſſimę quidem à luctuoſiſſimę, ſed tamen juſtæ ac neceſſarię hæreditatis jure tuus eſt. Accipe ergo, Domina, hanc ſupellectilis, quæ filii tui fuit, partem, quam per aliquod tempus apud me cuſtoditam, nunc bona fide ſub omnium oculis tibi repræſento, hoc uno forſan nomine non indignam quæ in ſcriniis tuis locum apud te habeat. Hoc enim unum à te nunc poſtulo. Nam præterquam quod eximia tua pietas, longè firmioribus nixa radicibus, nihil his diſputationibus indiget, ſcio te tuáque eo loco eſſe, ut hęc ſine tædio atque moleſtia legere jam non poſſis. Olim, ſi ita feret animus, tibi hęc noſtra evoluere ac percurrere licebit, cum te deus Spiritus ſui vi atque efficacia conſolatus fuerit. Obnixiſſimè ab eo peto ut potentem manum tibi ſublevandæ admoveat, ac in te, liberoſque quotquot ſuperſunt, omnigena gratiæ ſuę dona largiſſimè effundat, eóſque omnes ſalvos & incolumes tibi diutiſſimè fœliciſſiméque conſervet. Vale. Lutet. Pariſ. 18. Kal. Septembr. 1631.

TOTIUS

TOTIVS OPERIS SYNOPSIS & Argumentum.

PATRES non poſſunt ſedere judices in controverſiis quæ Romanam Eccleſiam inter & Proteſtantes hodie jactantur. I. *Quia, ſi non impoſsibile, ſaltem difficillimum eſt, quid ſuper illis ſenſerint liquidò & definitè conſtituere.* II. *Quia cum eorum ſententia (etiamſi certò de ea conſtaret) non ſit infallibilis, nec extra erroris aleam omnem conſtituta, non tantam habet authoritatem ut in ea acquieſcere poſsit animus, qui in iis quæ ad religionem pertinent, nec poteſt, nec debet alia credere, quàm ea de quorum veritate ſibi certò conſtat.*

Prior ratio probatur his argumentis.

I. *Patrum, maximè primi, ſecundi & tertii ſeculi, pauca ſcripta habemus.*

II. *Quæ habemus illius ætatis ſcripta de rebus alieniſsimis ab hodiernis controverſiis agunt.*

III. *Scripta, quæ Patrum nomen præferunt, eorum revera non ſunt omnia, ſed pleraq; ſeu olim, ſeu poſtremis ſeculis conficta.*

IV. *Genuina Patrum ſcripta multis in locis tempore, imperitia, fraude, vel pia, vel maligna, antiquis & poſtremis ſeculis adulterata fuerunt.*

V. *Difficile eſt Patrum ſcripta intelligere, tum propter linguas & idiomata quibus utuntur, tum propter rerum explicandarum variis plerumque Rhetoricæ figuris & ornamentis, Dialecticæq; aculeis & argutiis, & hujuſmodi artibus obſcuratam & impeditam rationem, tum quod vocabula, ut plurimùm, longè alio, quàm qui nunc in uſu eſt, ſenſu uſurpent.*

VI. *Quantumlibet diſertè poſita ſententia in Patris alicujus ſcripto occurrat non poſſumus ideo ſtatuere ipſum in ea fuiſſe, cùm ſæpe aliena à mente ſua ſcripſerint, ſeu aliorum ſententias ſuppreſſo nomine referant (quod frequenter in Commentariis faciunt)*

faciant) ſeu in diſputationibus cum adverſariis; quo in ſcriptorum genere aliud dicere, aliud ſentire ſibi licere autumant, ſeu quid ſentiant, diſpenſatione aliqua diſſimulent, ut in homiliis, quo ad captum quorumdam auditorum ſuorum ſe accommodent.

VII. *Poſito conſtare Patrem quempiam ſententiam, ut ſuam referre, inquirendum nihilominus ſupererit qua ætate in ea fuerit, an nondum, vel jam maturis ſtudiis. Nonnunquam enim iis accidit, ut ſenes ea revocaverint, quæ juvenes cenſuerant.*

VIII. *Verùm, poſito quod Pater quiſpiam in aliqua ſententia fuerit, diſpiciendum eſt quo modo, & quo fidei gradu in ea fuerit, num eam tanquam neceſſariam, vel probabilem tantùm, habuerit, & rurſus quo in gradu neceſſitatis & probabilitatis eam collocaverit, cum fidei articuli non ſint ex æquo omnes vel neceſſarii, vel probabiles.*

IX. *Videndum deindè erit an ſententiam illam tanquam ſuam ipſius privatam; (tum enim neceſſario de fide non eſſet) an tanquam à ſui ſeculi Eccleſia receptam referat,*

X. *Tum diſtinguendum erit num illam univerſali, an verò particulari tantum Eccleſiæ tribuat, cùm quæ ſententiæ ſunt in pleraque Eccleſia promiſcuè receptæ, eæ non ſemper ab omnibus & ſingulis ejus partibus receptæ fuerint.*

XI. *Denique, ſeu omnes in univerſum Chriſtiani ſeu Paſtores omnes tantùm Eccleſiæ nomine intelligantur conſtare non poteſt quæ fuerit ſeculo aliquo integro totius Eccleſiæ ſententia, cùm ſæpe accidat, ut eorum, qui ſunt alicujus nominis, ſententiæ non recipiantur, immò nonnunquam in dubium vocentur & repudientur à privatis & obſcuris ejuſdem Eccleſiæ hominibus, qui cæteroquin de doctrina & pietate cum reliquis contendere poterant, quorum proinde non minor ratio quàm illorum habenda erat.*

Ratio II. *Neque teſtimonia, neque documenta Patrum eſſe infallibilia, argumentis ſequentibus confirmatur.*

I. *Sibi, ſuiſq; nudis aſſertionibus ſimpliciter & abſolutè non eſſe fidem adhibendam ipſi Patres teſtantur.*

II. *Ea ratione ſcribunt, ut facile ſit videre eos, dum*

ſcriberent, nihil minùs quàm de nobis judicandis cogitaſſe.

III. *In variis capitibus hallucinati ſunt, vel ſinguli ſeorſum, vel ſimul complures.*

IV. *Acriter alii ab aliis diſſident; nec inter ſe etiam de quibuſdam magni momenti conſentiunt.*

V. *Denique, ſi quod res eſt fatemur, neutra pars eos pro judicibus agnoſcit, ſed eos libere & nulla religione interdum rejicit. Utrique multa ponunt quæ apud Patres nulla fuerunt, multaq; viciſſim repudiant quæ illi recipiebant. Proteſtantes quidem, cùm illi contra, vel præter Scripturam docent: Romani verò cum ſuis ſive Pontificibus, ſive Conciliis adverſantur. Cùm ergo utrique ſummam authoritatem aliis judicibus tribuant, licèt divina per ſe eſſet Patrum authoritas; idonea tamen non eſt ad eorum dirimendas controverſias, vel ad pacem inter eos conciliandam.*

Ex quibus ſequitur de noſtris controverſiis aliis, quàm per ipſorum ſcripta, diſceptandum eſſe mediis, & eam in religione methodum ſequendam, quæ in aliis omnibus diſciplinis obſervatur, ut de quibus inter nos convenit, ea ad controverſa illuſtranda adhibeamus: utriuſque partis accuratè collatis concluſionibus cum uniuſcujuſque principiis, ab utraque, ſive in ratione, ſive in revelatione divina, confeſſis. Patres verò ipſos ſedulo legendos, & ſine ulla ſive in hanc, ſive in illam partem anticipata opinione, adeo ut in eorum monumentis, non noſtras, ſed ipſorum ſententias quæramus, ductis argumentis ex iis quæ apud ipſos occurrunt, negative potiùs quàm affirmativè, id eſt ut dubia habeamus ea capita quæ apud ipſos nulla exſtare deprehenduntur, cùm non fiat veriſimile, adeo præſtantes viros, articulos fidei principes & maximè neceſſarios, ignoraſſe; non tamen quæ apud eos habentur ſtatim pro veris certiſq; omnia pariter admittamus. Cùm enim homines, licèt ſancti fuerint, fieri poteſt, ut nonnunquam hallucinati ſint; ſive ex ſimplici mentis errore, ſive etiam, ex aliquo animi ſtudio, atque affectu; à quo non fuiſſe eos planè immunes ex ipſorum, quæ ſuperſunt, ſcriptis perſpicuè apparet.

PRÆ-

PRÆFATIO.

QUICQUID hodie Romanam Eccleſiam inter & Proteſtantes in Religione controverſiarum eſt, id omne verſatur in quibuſdam capitibus quæ magni ad fidem momenti eſſe, omninóque ad ſalutem pertinere. Romana quidem Eccleſia contendit, Proteſtantes verò negant. Quæ enim Proteſtantes ipſi credunt, quibúſque Religionem contineri exiſtimant, ea adeo perſpicuæ & indubitatæ ſunt veritatis ut ab adverſariis, non minùs quàm ab ipſis agnoſcantur & recipiantur; quippe quæ perſpicuè in Scripturis doceantur, diſertè à Veteribus Conciliis & Doctoribus probentur, & uno animo ferme ab omnibus, qui uſquam fuerunt, Chriſtianis, toto orbe, recipiantur. Hujuſmodi ſunt, exempli cauſa, hæc quæ ſequuntur dogmata. *Unum eſſe ſummum Deum, Creatorem cœli & terræ: hominem ad ejus imaginem creatum, excuſſo ejus obedientiæ jugo, cum omnibus poſteris, in ſummam & æternam calamitatem incidiſſe, peccatoq́, tanquam lethali lepra, contaminatum, reumque Dei iræ,* & *ejus maledictioni obnoxium. Creatorem ejus miſertum, mira clementia filium ſuum Jeſum Chriſtum in mundum miſiſſe. Hunc vero Dei Filium Deum eſſe cum Patre æternum. Hunc aſſumpta, in B. Virginis utero, carne noſtra, in ipſa feciſſe & pertuliſſe quæcumque erant ad ſalutem noſtram neceſſaria, expiatis, maximè, in ſuo ſanguine peccatis noſtris: Iſtis confectis, in cœlum aſcendiſſe, & ad dexteram Patris conſediſſe, indeq́, aliquando venturum, ut genus humanum judicet, ſinguliſq́, ſecundùm opera ipſorum rependat: Illum ipſum, ut nobis impertiat ſalutem quam meritus eſt, nobis largiri Spiritum ſuum Sanctum à Patre & Filio procedentem, unumq́, & eundem cum illis Deum, ita ut tres iſtæ perſonæ ſint unus & ſolus Deus bene-*

dictus in ſecula: Spiritum illuſtrare mentes noſtras, fidêmque, qua juſtificamur in nobis creare: Adhæc Dominum ſuos Apoſtolos, qui ſalutarem iſtam doctrinam prædicarent, per univerſum orbem miſiſſe; Eos Eccleſias hic illic paſſim in orbe conſtituiſſe, in iiſq; ſingulis Paſtores ordinaſſe, eóſque reverenter audiendos, & ab iis Baptiſmum, regenerationis noſtræ Sacramentum & ſanctam Euchariſtiam, noſtræ item cum Jeſu Chriſto communionis Sacramentum recipere oportere. Denique id noſtri eſſe officii, ut & Deum ſumma pietate colamus, & proximum ſincera caritate diligamus; & ſanctiſſimam illam diſciplinam ſummo ſtudio obſervemus, quam Deus in libris Teſtamenti Novi ſanxit: cujus, ſicut & Veteris, Scriptores ſuo veritatis Spiritu afflavit, ita ut nihil quod non ſit veriſſimum in utriſque habeatur.

His, & ſi quæ ſunt alia ejuſdem generis non multa, continetur univerſa Proteſtantium fides, eáque ſi, quemadmodum illis, ſic & omnibus Chriſtianis reliquis ſatis eſſent, nullum ſchiſma foret: Sed præter hæc multa alia eorum adverſarii addunt, quæ urgent & commendant tanquam neceſſaria, & quaſi ea in dubium vocanti nulla ad ſalutem via pateat. Exempli gratia, *ſtatuunt Papam Romanum Eccleſiæ Chriſtianæ, quæ in terris verſatur, caput & ſummum Monarcham eſſe; ipſum, aut ſaltem Eccleſiam quæ ipſi ſubeſt, in rebus fidei errare numquam poſſe; Sacramentum Euchariſtiæ, quia non panis, ut videtur, ſed ipſe Chriſtus revera eſt eo adorandum eſſe; Miſſam eſſe ſacrificium quo realiter expiantur fidelium peccata: Imagines Dei & ſanctorum in templis Chriſtianorum habere, iiſque cultum religioſum exhibere, & coram iis procumbere fas & jus eſſe: Animas ſanctorum fato functorum & Angelos invocare licere, imo & maximè expedire: Animas noſtras, antequam in cœlos recipiantur, per quendam ignem tranſituras, graviſſimaſque pœnas daturas, ut hac ratione pro peccatis ſuis ſatisfaciant: Nec poſſe, nec debere quenquam peccati ſibi concium ad S. Euchariſtiam admitti, quin priùs peccata ſua ſacerdoti clàm confeſſus fuerit: & in aurem inſuſurraveris: Euchariſtiam non alium, quàm qui conſecravit*

vit, teneri ſub duabus ſpeciebus ſumere; & alia ejus farinæ multa, quæ negant Proteſtantes ſe ſalva conſcientia poſſe admittere. Super his tota eſt controverſia; Romanis quidem contendentibus ea ab omni ævo in Eccleſia Chriſti; tanquam ab ipſo tradita & revelata, credita & admiſſa fuiſſe; Noſtris contra nitentibus, & in alia omnia euntibus. Quoniam autem in Novo Teſtamento (quod Chriſtianorum eſt antiquiſſimum & maximè authenticum inſtrumentum) de his altum eſt ſilentium; qui ea tuentur, ex ſcriptis Doctorum, qui quatuor aut quinque poſt Apoſtolos vixerunt ſeculis, quique ut plurimum *Patres* vocantur, probationes petunt. Conſilium meum eſt, an iſtis controverſiis dirimendis medium hoc ſufficiat in hac diſputatione expendere. Imprimis autem duo quædam ſtatuimus & præſtruimus, quæ nemo, ut reor, ſanus facilè negaverit: Prius eſt, cùm hic agatur de ſuperſtruendis teſtimonio aut dictis Patrum quibuſdam fidei capitibus, neceſſarium eſſe ut loci, qui ex iis petuntur, certi ſint & perſpicui, id eſt hujuſmodi, ut nemo ambigere poſſit, vel de ipſorum authore, an ejus vere ſint cujus eſſe feruntur; vel de eorum ſenſu, an is ſit ſcilicet, qui eſſe dicitur. Nam cum teſtimonium vel ſententia nullam habeat vim aliam, niſi eam quam petit ab authoritate teſtis, vel judicis, patet, quandiu de ea non conſtat, ad fidem faciendam non eſſe iſta idonea. Eadem ratione, ſi ſcriptoris teſtimonium, aut judicis ſententia, obſcura ſunt, aut ambigua; quis non videt neque his poſſe controverſiam decidi? cum alia ſuperſit ante explicanda quæſtio, quis, ſcilicet, hujus vel illius ſenſus ſit. Alterum verò quod pro fundamento hujus diſputationis pono (nempè ut in his controverſiis valeant ſcripta Patrum) hoc eſt, iis neceſſariò maximam authoritatem eſſe tribuendam, tantam videlicet, ut in rebus fidei in eorum ſententiam concedere teneamur: Niſi enim hæc ipſis tribuatur authoritas, ut ut perſpicua ſit & diſerta eorum de capitibus controverſis ſententia, patet ta-

men eam ad definiendam cauſam non ſatis momenti habituram. Hic ergo duo nobis erunt excutienda. Prius; An quæ de controverſiis iſtis Sanctorum Patrum ſententia fuerit hodie certò & perſpicuè conſtare poſſit. Alterum. An eorum authoritas tanta ſit, ut quilibet fidelis, cui certò & perſpicuè conſtat, quæ fuerit Patrum de quolibet religionis capite ſententia, in eam tanquam veram pedibus ire teneatur. Nam ſi hæc duo demonſtrari poſſint; conſtabit ſane Romanæ communionis homines veterum de religione teſtimonia ac ſententias jure merito adverſariis objicere, & dum ſic agunt, eam diſputandi rationem uſurpare, quæ vero congrua ac conſentanea ſit. Quod ſi contra vel de utroque vel certe de altero non conſtat; nemo, mea quidem ſententia erit vel tantillo judicio præditus, qui non ſtatim intelligat hanc diſputandi rationem, qua Romana Eccleſia hactenus uſa eſt, vanam eſſe atque inefficacem; adeoque iſtis alio confugiendum eſſe, firmioraque & aptiora argumenta conquirendo, ſi id quod cupiunt conficere velint; nempe vera eſſe, quæ nunc proteſtantes vel negant, vel in dubium vocant.

INDEX

INDEX CAPITUM.

LIBER PRIMUS.

CAP. I. ÆGrè conſtare poſſe quid circa noſtras de Religione controverſias ſenſerint Patres, cum pauca extent ab iis ſcripta, tribus præſertim antiquiſſimis ſeculis. pag. 1.

CAP. II. Quæ ſuperſunt e tribus prioribus ſeculis, ſcripta maximam partem agere de rebus alieniſſimis quæ hodie circa religionem in controverſiam vocantur. pag. 8.

CAP. III. Quod Patrum verè certóque non ſint quæcunque nunc eorum nomine circumferuntur, ſed pleraque iis vel olim, vel his demum poſtremis ſeculis affictа ac ſuppoſita. pag. 11.

CAP. IV. Prioribus & poſterioribus ſeculis, tempore, Imperitia, fraudibus, cùm piis, tum malignis genuina S. Patrum ſcripta variis in locis immutata & adulterata fuiſſe. pag. 60.

CAP. V. Non facile eſſe Patrum ſcripta intelligere, tum propter linguas & idiotiſmos quibus utuntur, tùm propter rerum explicandarum variis Rhetoricæ & Dialecticæ artificiis obſcuratam & impeditam rationem, tum quod pleraſque voces alio, quàm qui nunc in uſu eſt, ſenſu uſurpent. pag. 120.

CAP. VI. Patres ſæpe quæ ipſi credunt tacere, & quæ non credunt dicere: ſeu aliorum, nomine tacito, ſententias referant, ut in Commentariis: ſeu contra adverſarios diſputent, ubi nihil non adhibent quod ad argumentum ſuum faciat, ſeu ad captum auditorum ſe accommodent, ut in Homiliis. pag. 150.

CAP VII. Patres in iiſdem fidei capitibus non ſemper perſtitiſſe, ſed è quibuſdam ſuis ſententiis nonnunquam diſceſſiſſe, prout exercitatione, vel ætate eorum maturuerat judicium. pag. 165.

CAP. VIII. Neceſſarium, & idem tamen difficillimum eſſe ut certò ſtatuamus quid de ſuis ipſorum ſingulis ſententiis Patres ſenſuerint, & an eas ut neceſſarias, an ut probabiles tantum, & quo in gradu neceſſitatis, vel probabilitatis eas habuerint. pag. 169.

CAP. IX. Neceſſarium eſſe ut nobis conſtet ratio, non ſolum de unius aut plurium Patrum, ſed etiam de totius veteris Eccleſiæ ſententia: quod difficillimum eſt, pernoſcere. pag. 180.

CAP. X. Ægerrimè ſciri poſſe num Patrum de hujus ſeculi controverſiis ſententiæ ab Eccleſia Univerſali, an ab ejus parte tantùm receptæ fuerint. Id ipſum tamen ſcitu perneceſſarium eſſe, ut locorum qui ex iis proferuntur uſus aliquis apud nos eſſe poſſit. pag. 186.

CAP. XI. Fieri non poſſe ut ſuper ullo eorum capitum quæ ſunt hodie in controverſia clarè liquidóque pernoſcamus quæ totius Veteris Eccleſiæ, ſive Univerſalis, ſive particularis ſententia fuerit. pag. 192.

LIBER

LIBER SECVNDVS.

CAPUT I.

Patrum de fide Eccleſiæ teſtimonia non eſſe ſemper certa veraque. pag.203.

Cap. II. *Patres ipſos negare nudis ſuis aſſertionibus abſolutè ſtandum eſſe in iis quæ de religione ipſi in medium afferunt.* pag.212.

Cap. III. *Patres ea ratione ſcripſiſſe ut manifeſtum ſit iis inter ſcribendum, de Religione pronuntiare non fuiſſe propoſitum. Eorum in quibus lapſi ſunt, & erraverunt exempla quædam.* pag.234.

Cap. IV. *Patres ſive ſeorſum ſingulos, ſive conjunctim plures, in variis religionis capitibus erraſſe.* pag.252.

Cap. V. *Patres inter ſe aliquando diſſentire, & quidem interdum de rebus magni momenti,* pag.295.

Cap. VI. *Neque Proteſtantes, neque Pontificios agnoſcere Patres Judices rerum ad religionem ſuam pertinentium, hóſque non minùs quam illos quæ ad palatum ſuum non faciunt nullâ religione reſpuere. Satisfit duabus quæſtionibus quæ ex ſuperioribus omnibus oriuntur.* pag.305.

LIBER

LIBER PRIMVS.

Capvt I.

Ratio I. *Aegrè conſtare poſſe quid circa noſtras de religione controverſias ſenſerint Patres, cùm pauca extent ab iis ſcripta, tribus præſertim antiquiſſimis ſeculis.*

SI eſſet animus eam adhibere in hoc argumento methodum qua adverſum S. Scripturam non paucos Eccleſiæ Romanæ Doctores nunc uti cernimus: nullo negotio conficere poſſemus, ut quicquid ſenſerunt Patres, id planè dubium & incertum eſſe videatur. Hi enim quoties ab adverſario aliquis Veteris aut Novi Teſtamenti locus affertur, quærere ſolent, unde & quo modo ſciat ejuſmodi libro à Prophetis & Apoſtolis, quorum nomina & titulos præferunt, verè ſcriptos fuiſſe? Si ergo, qui Iuſtinum, Irenæum, Ambroſium, Auguſtinum & alios nobis objiciunt, eos hac itidem quæſtione remoraremur ut docerent unde & qua ratione conſtet Patres horum, quæ iis tribuuntur, voluminum verè autores fuiſſe; facilè eſt videre, longè majus iis negotium exhiberi poſſe, quàm ipſi nobis faceſſunt dum divinorum titulorum probationem exigunt; quorum ſcilicet veritas multò facilius, quàm cujuſlibet humani ſcripti demonſtretur. Sed hanc nimium vafram ac verſutam diſ-

putandi rationem mitto, & hoc unum dico non facilè videri ex ſcriptis Patrum certò exculpere quid ii ſenſerint de omnibus capitibus, quæ hodie Proteſtantes inter & Pontificios controvertuntur. Multa ſunt quæ hanc cognitionem difficilem, ac impeditam reddunt. Nos priori diſputationis parte horum quædam afferemus; quæ ſingulari quadam obſervatione digna videntur.

Prima ergo hæc eſto ratio; Quod pauca ſint veterum Doctorum ſcripta, præſertim eorum qui primo, vel ſecundo, vel tertio ſeculo floruerint, quorum tamen potiùs quàm inferiorum rationem haberi decebat. Cùm enim inter cauſas, propter quas Eccleſia Romana Patrum ſcripta allegat, hæc ferè ordinem ducat, ut, ſcilicet, ex Antiquitate, quam veræ fidei notam cenſet, doceat quàm vera ſint ea quæ ſe credere profitetur, planum eſt antiquiſſimorum potiſſimam eſſe debere rationem. Sanè longè probabilius eſt Religionem Chriſtianam in ſuis primordiis puram & ſinceram fuiſſe, quàm iis temporibus quæ poſtea conſecuta ſunt: cùm ut plurimum res, prout à ſua origine recedunt, ſic etiam in dies in pejus ruant, & retro ſublapſæ ferantur, ut videre eſt in rebuſpubl. legibus, diſciplinis, & linguis, quarum nativus decor minuitur, ex quo faſtigium roboris ſui, & veluti virium ſuarum florem, ſemel prætergreſſæ ſunt. Neminem autem fidelem inficiaturum puto vigorem iſtum & florem Chriſtianiſmi maximè excelluiſſe ſuperſtitibus ſanctis Domini Apoſtolis, cum ſine ſumma eorum injuria dici nequeat, quenquam eorum, qui ipſis in regenda Eccleſia ſucceſſerunt, vel voluiſſe, vel potuiſſe aliquid, quod illos fugerit, ad eam perficiendam adjicere. Sequitur ergo tempora, quæ ad ipſorum ætatem proximè accedunt, à ſuſpicione corruptelarum, ſive in doctrina, ſive in moribus, ſive in Chriſtianorum diſciplina remotiſſima eſſe debere, cùm credibile ſit, corruptelas iſtas, ſi quæ acciderunt, ſenſim & paulatim irrepſiſſe, quod uſu venire ſolet in rebus ejuſmodi. Si quis verò objiciat ſeculum ipſum, quod proximè ætatem Apo-

ſtolorum

ſtolorum conſecutum eſt, non debere ab iſta ſuſpicione immune eſſe, cum Hegeſippus, apud Euſebium, * teſtetur Eccleſiam virginem intactam & incorruptam uſque ad Trajani tempora permanſiſſe; ſed è medio ſublatis Apoſtolis, conſpirationem erroris retecto capite in apertum ſeſe producere incepiſſe, equidem non repugnabo, ſed hoc tantum dicam, ſi ſtatim poſt iſtorum Eccleſiæ ſiderum occaſum, cum eorum lux & præſentia vix dum ſubducta eſſet, auſus eſt inimicus homo nonnihil zizanorum inter frumenta ſpargere, non eſſe dubitandum quin longè majora pejoráq; molitus ſit ſeculis poſt ſecutis, cùm ſummorum iſtorum Doctorum cùm ſanctitate tum ſimplicitate paulatim ex hominum memoria evaneſcente, curioſitas, luxuriantiúmque ingeniorum variæ artes in eorum locum invaſerunt. Vnde reſtat præterea colligendum, antiquiſſima iſta Chriſtianiſmi ſecula, ſi ab omni proſus depravatione in doctrina non vacarunt, ſaltem longè incorruptiora fuiſſe quàm ſequentia, ac proinde illa nulla non ratione his anteponenda, ut Chriſtianorum temporum non alia ferè ſit ratio quàm quatuor illorum ſeculorum quæ finxerunt Poetæ, inter quæ ſequens ſemper ſuperiore deterius eſt. Quod enim nonnulli cenſent, ad veram veteris Eccleſiæ de religione ſententiam pernoſcendam eorum maximè evolvenda eſſe ſcripta qui à Magno Conſtantino uſque ad Leonem Papam, immó uſque ad Gregorium, vixerunt (ideſt à tertio ſeculo exeunte uſque ad ſeptimi initia) id; inquam, ipſum oſtendit quidem quàm iſti pauca agnoſcant nobis ſupereſſe ſcripta trium illorum ſeculorum quæ Conſtantinum anteceſſerunt, haudquaquam verò probat trium poſteriorum quàm trium ſuperiorum potiorem apud nos eſſe debere auroritatem. Quod ſi nobis horum non pauciora quàm illorum, teſtimonia ac documenta ſupereſſent, ne ipſos quidem negaturos puto, quin recentioribus antiquiora anteponenda eſſent. Sin aliter ſentiunt, ſibíque fingunt Eccleſiam, quæ Conſtantini tempora ſubſecuta eſt, incorruptio-

* *Euſeb Hiſt. Eccleſiaſt. lib. 3. c. 26. p. 49. Edit. Lat. l. 3. c. 32. p. 30. 6. Edit. Græc.* ὡς ἄρα μέχρι τῶν τότε χρόνων παρθένος καθαρὰ καὶ ἀδιάφθορος ἔμεινεν ἡ Ἐκκλησία. ὡς δ' ὁ ἱερὸς τῶν Ἀποστόλων χορὸς διάφορον εἰλήφει τοῦ βίου τέλος, παρεληλύθει τε ἡ γενεὰ ἐκείνη τῶν αὐταῖς ἀκοαῖς τῆς ἐνθέου σοφίας ἐπακοῦσαι κατηξιωμένων, τηνικαῦτα τῆς ἀθέου πλάνης τὴν ἀρχὴν ἐλάμβανεν ἡ σύστασις διὰ τῆς τῶν ἑτεροδιδασκάλων ἀπάτης, οἳ καὶ ἅτε μηδενὸς ἔτι τῶν Ἀποστόλων λειπομένου, γυμνῇ λοιπὸν ἤδη κεφαλῇ τῷ τῆς ἀληθείας κηρύγματι τὴν ψευδώνυμον γνῶσιν ἀντικηρύττειν ἐπεχείρουν.

Caſſand. in conſult. ad Ferdin. p. 894.

Perronius ep. ad Caſaub.

rem fuiſſe quàm illam quæ ipſum antceeſſit, ferent me ſi dicam, hoc ipſo eos teſtari ſe cauſæ ſuæ diffidere, dum eam, à priorum temporum luce ſummotam, rejiciunt in ſecula, in quibus minùs virium, minúſq; ſplendoris habuiſſe eam quàm in ſuperioribus clarum eſt. Planè præter Cy- priani mentem qui præclarè docet, pergendum eſſe ad fontem, cùm doctrinæ & traditionis Eccleſiaſticæ canalis vitio interruptus, aut bibulus factus eſt. Sed quicquid iſti ſenſerint, certè ex eorum dictis mihi videtur Proteſtantium cauſa non minimum juvari, nam illi, dum ſic agunt, ſatis hoc ipſo fatentur, quæ à Proteſtantibus negantur Romanæ Eccleſiæ dogmata, ea nuſquam in Scriptis trium vetuſtiſſimorum ſeculorum clarè tradita haberi, quæ ſi in iis extarent, eorum profectò probatio abſurdè ac præpoſterè in tria ſubſequentia ſecula rejiceretur, quibus, multò minùs quàm antiquioribus, tribuere Romanorum adverſarios ſatis ſupérque notum eſt. Sed præter quam quod iſti id nobis ultro dant, res ipſa docet, ad dirimendas controverſias noſtras, paucula è tribus primis Chriſtianiſmi ſeculis ſupereſſe ſcripta. Videntur enim plerique illorum temporum fideles ſatis habuiſſe fidem ſuam fulgore vitæ inculpatæ, & ſanguine quem pro Chriſto conſtantiſſimè effundebant, in hominum cordibus inſcribere; de libris verò ſcribendis parum laboraſſe: ſeu id placeret, quod eleganter docet Origenes, Chriſtianiſmum vitæ innocentia, morúmque honeſtate potiùs quàm pigmentis oratoriis propagari & retineri debere; ſive per continuas quibus affligebantur calamitates, ipſis non liceret ad id animum appellere; ſeu quapiam alia de cauſa à ſcribendo deterrerentur, vel avocarentur. Vtcunque ſit, certum eſt, exceptis Apoſtolorum ſacris voluminibus, perpaucos primis iſtis temporibus libris conſcribendis operam dediſſe: unde illa Euſebii initio hiſtoriæ ſolicitudo, quòd exigua, imò nulla lux aliunde affulgeret quam ſequeretur, nulláq; veſtigia occurrerent, quæ premeret, cùm *nullis ſuperiorum trita eſſet ea via quam capeſſebat.* Sed neq; ea ipſa

Cypr. ep. 74. pag. 195.

Origen. præfat. operis contra Celſ. pag. 1. 2.

Euſeb. hiſt. Eccleſ. lib. 1. cap. 1. Οἷά τινα ἐρήμην ἢ ἀτριβῆ ἰέναι ὁδὸν ἐγχειροῦμεν.

ipſa quæ tum edidere Chriſtiani, tametſi pauca, ad nos omnia pervenere. Pars major intercidit, vel temporis, quod omnia abſumit, injuria, vel hominum in abolendis quæ ad palatum non ſapiebant, audacium fraude, ut exempli cauſa Papiæ Epiſcopi Hierapolitani quinque libri, Quadrati Athenienſis, & Ariſtidis Apologiæ, Caſtoris Agrippæ opus contra Baſilidis hæretici libros viginti quatuor, Hegeſippi quinqne libri; Melitonis Sardenſis Epiſcopi, Dionyſiii Corinthii, Apollinaris Hierapolitani opera, Pinyti item Cretenſis epiſtola, Philippi, Muſani, Modeſti, Bardeſanis, Pantæni, Rhodonis, Miltiadis, Apollonii, Serapionis, Bacchyli, Polycratis Epiſcopi Epheſini, Heraclii, Maximi, Hammonii, Tryphonis, Hippolyti, Iulii Africani, Dionyſii Alexandrini & aliorum monumenta quorum nuda nobis nomina & tituli apud Euſebium & Hieronymum & aliòs ſuperſunt. Etſi autem fieri potuerit, ut bona veterum iſtorum monumentorum pars, ſola, vel temporum injuria, vel hominum negligentia interciderit, non eſt tamen dubitandum quædam etiam eorum dolo ac fraude abolita eſſe, qui extare nolebant ſuæ à primo Chriſtianiſmo diverſitatis argumenta. Niſi enim aliquod hominum ſtudium in iſtis ſupprimendis fuiſſet adhibitum, nulla apparet ratio cur ſanctiſſimorum atque antiquiſſimorum virorum labores potiùs intercidere paſſi ſint Chriſtiani, quàm alia non pauca ... ctorum multò deteriorum. Verbi gratia; cur quæſo Tertulliani, gravi ob Montaniſmum invidia laborantis, opera plurima perennarunt, Apollonii viri inter Catholicos laudatiſſimi nihil ad nos pervenit? Ac illius quidem (quod mireris) liber de jejuniis, propriè adverſus Catholicos ſcriptus (quos ille Pſychicos falſò & contumelioſè vocat) manſit tamen, hujus contra Montaniſtas pro Catholicis diſputatio periit. Quæ iſta fuit tam præpoſtera Chriſtianorum hominum, vel in hoſtem caritas, vel in civem negligentia, ut illum ſervatum vellent, hunc interire paterentur? Nulla rei tam incredibilis ratio occurrit probabilior, quàm quòd receptis

poſtmodum apud Chriſtianos jejuniorum legibus, xerophagiarumque diſciplinis, quas veteres in Montani partibus damnaverant, poſteri Apollonium veterum defenſorem perire non inviti paſſi ſint; Tertullianum ob ejus cum ſuis conformitatem ſuum fuiſſe putantes, foverint. Sanè tanta eſt Tertullianeæ doctrinæ cum hodierna Romana conformitas, ut ejus pro Montano adverſus Pſychicos diſputationem, non ignobiles apud Romanos Theologi [a] Pereſius & [b] Turrianus pro Catholicis ſuis contra hæreticos inſtitutam eſſe cenſuerint. Eandem cauſam Hegeſippo, Papiæ & aliis perniciem vel attuliſſe, vel certè maturaſſe crediderim, ne, ſi ſervarentur, eorum ſimplicitas, & aliena à ſeculorum inſequutorum moribus fides ac diſciplina, recentiorum inventis fraudem faceret. Vtcunque ſit, illud quidem conſtat pauca ſupereſſe ex illis ſeculis certa & indubitata. In hoc cenſu ſunt Tractatus quidam Iuſtini Philoſophi & Martyris, qui anno poſt Chriſtum natum centeſimo & quinquageſimo alteram ſuam Apologiam ſcribebat; Irenæi, qui Iuſtinum proximè ſecutus eſt, quinque libri, Clementis item presbyteri Alexandrini, qui exeunte ſecundo ſeculo vivebat, tres eximiæ & eruditæ lucubrationes. Varia quoque Tertulliani, qui ſub idem tempus florebat, opera: Epiſtolæ & diſputationes Cypriani, qui Carthagine Epiſcopus fuit, ubi & martyrium fecit, A. D. 258. Scripta Lactantii & Arnobii ejus diſcipuli, & paucorum aliorum. Nàm quantùm attinet ad Cypriani æqualem Origenem, ex quo uno, ſi ſalvus perduraſſet, plus lucis nobis accederet quàm ex reliquis aliis, & à quo forſan potiùs quàm à cæteris omnibus haberemus in quo acquieſceremus, paucula ſunt, & maximam partem, fœdè lacera, & miſerè immutata quæ ſub illius nomine feruntur. Magni enim & mirandi iſtius viri monumenta, neque temporum, neque hominum injuriam ſuperare potuerunt. Atque haud ſcio annon horum invidia graviùs eum afflixerit, quàm ipſa tot ſeculorum vetuſtas quæ ab ipſius morte ad nos fluxerunt. Hæc ferè ſunt quæ è tri-

[a] *Parte 3. de Tradit. de iejun. f. 263.*
[b] *Lib. 1. pro epiſt. c. 3.*

Hieron. lib de Script. Eccleſ. Euſeb. in hiſt. paſſim. Tertull. aliquorum meminit.

è tribus prioribus Chriſtianiſmi ſeculis ad nos certa & indubitata pervenerunt. Cætera enim ſcripta quæ iiſdem temporibus tribuuntur partim ab ipſis etiam Pontificiis notha & fictitia eſſe agnoſcuntur, partim ab ipſorum adverſariis tam probabilibus, imo adeo firmis argumentis rejecta ſunt, ut ea inter teſtimonia & authoritates quibus opus habemus ad lucem inferendam controverſiis noſtris, locum habere nullum poſſint.

Scripta quarti & quinti ſeculi fuerunt fateor, & longè majori numero quam ſuperiora, & in eo etiam feliciora quod ad nos uſque perennarunt; ſed longè abſunt à priorum authoritate, maximè apud Proteſtantes, qui admodum probabiliter cenſent Chriſtianiſmum labem paulatim contraxiſſe,& ſingulis ſeculis de priſtina & nativa ſua puritate aliquid amiſiſſe. Adde,quod metuendū videtur, ne tanta iſta librorum,duobus illis ſeculis editorum multitudo,non minus negotii nobis faceſſat,quàm ante in mora fuit eorum exiguus numerus, & ne,qui antea inopia laborabamus,nunc copia obruamur. Aliquando enim vera hominum ſententia,non minus verborum & voluminum copia,quam ſilentio ipſo obruitur, dum mens noſtra,his impedita, quæ ſit vera & communis ſententia inter tot verborum ambages, his hoc modo, illis alio rem ipſam offerentibus capere ſatagit. Certum quippe eſt, in tanta & penè infinita ingeniorum & linguarum varietate,rarò occurrere poſſe duos qui præſertim in rebus difficilibus atq; abſtruſis,quales ſunt quæ ad religionem ſpectant,eandem rem eadem ratione, iiſdem imaginibus, quantuſcunque eorum ſit in reipſa conſenſus, concipiant. Quantumvis autem hæc varietas in ſolis rei circunſtantiis verſetur, non poteſt tamen res ipſa non ea videri affici.

CAPVT II.

Ratio II. *Quæ ſuperſunt è tribus prioribus ſeculis ſcripta maximam partem agere de rebus alieniſſimis ab iis quæ hodie circa religionem in controverſiam vocantur.*

IAm ad hanc librorum,& vetuſtiſſimorum paucitatem, & recentiorum multitudinem,qua utrâque non parum laboramus,accedit aliud non levius incommodum,quod ſcilicet difficile ſit certò ſcire quæ utrorumque auctorum fuerit de hodiernis controverſiis fides ; à quibus planè ſunt aliena quæ veteres in ſuis illis operibus tractant. Hi enim pro ſuorum temporum ratione,vel Chriſtianiſmum criminationibus quibus per calumniam gravabatur,purgant ; vel inſulſa & impia Ethnicorum ſacra exagitant; vel obduratam Iudæorum pervicaciam coarguunt ; vel portentoſa hæreticorum ſui temporis deliria confutant; vel fideles ad patientiam, & crucem Chriſti fortiter perferendam hortantur ; vel quoſdam denique Scripturæ locos interpretantur. Hæc omnia perparum ad controverſias noſtras faciunt, quas iſti nunquam ferè niſi caſu atque obiter & aliud agentes attingunt, cùm nihil minùs quàm nos noſtráque in animo haberent. Occurrunt quidem hinc inde quædam apud illos in quibus utrique ſibi videntur ſententiam ſuam clarè expreſſam videre ; ſed ut plurimum fruſtra ; ac ferè non aliter,quàm ſiquis in campanarum ſono animi ſui cogitata & ſtudia ſe obſervare putet. Iuſtinus & Tertullianus,Theophilus & Lactantius, Clemens & Arnobius fictitiorum numinum vanitatem accuratè oſtendũt, Ethnicóſque docent Iovem,Martem, & Iunonem,&c. mortales fuiſſe;Deum verum unum eſſe, cœli & terræ creatorem. Irenæus Baſilidis, Valentinianorum & reliquorum Gnoſticorum Theologiæ omnium fœdiſ-

fœdiſſimæ & inſulſiſſimæ fabricorum portenta profligat. Tertullianus præter hos, quos & ipſe confutat, Marcionem quoque, & Hermogenem, & Apellem, & Praxeam, & alios debellat qui duos Deos, aut duo principia conſtituebant, aut perſonas Patris & Filij confundebant. Cyprianus in excolendis tum diſciplina tum virtutibus Eccleſiæ Chriſtianæ fermè totus eſt. Arius, & Macedonius, & Eunomius, & Photinus, & Pelagius, & poſt illos Neſtorius, & Eutyches quarto & quinto ſeculo negotium exhibuerunt. Horum contra Chriſti vel perſonam, vel naturas, & contra S. Spiritus vel numen vel efficaciam pridem, Dei beneficio, ſepultæ plaſphemiæ, piorum qui illis temporibus floruerunt ingenia & calamos exercuerunt. Nam circa iſta maximè verſantur qui nobis illius memoriæ ſuperſunt etiamnum libri. Quid iſta quæſo ad tranſſubſtantiationem & ad Euchariſtiæ adorationem, vel Papæ Monarchiam, aut arcanæ confeſſionis neceſſitatem, aut imaginum cultum, aut alia capita de quibus nunc contenditur; de quibus Veterum nullus diſertè & ex profeſſo egerit; quæ etiam fortaſſe iis in mentem nunquam venerunt. Quanquam certè iſtorum ſuper his capitibus, quæ tanti nunc fiunt, tam altum ſilentium non eſt omnino mutum, nec de nihilo, & forſan tantidem faciendum eſt, ac ſi de iis diſertè egiſſent: at non eorum bono qui pro iſtis, tanquam pro aris & focis, pugnant. Verùm, ut ut ſit, in certis & indubitatis Veterum voluminibus nulli occurrunt Tractatus qui eo conſilio ſcripti fuerint ut pro dogmatibus iſtis, vel adverſum ea diſputaretur. Equidem fateor lubens, hominis ſapientis fidem corpus conſtituere, cujus partes inter ſe cohærent, & aliæ ad alias referuntur, ita ut ex iis quæ conceptis verbis docet, colligere ſit quæ mens ejus fuerit circa ea de quibus ſilet, credátne ea, an ſecus; cùm non ſiat veriſimile, ipſum ea admittere quibus evertuntur fidei capita quæ ponit, vel rejicere ea quæ ex ipſis neceſſariò conſequuntur. Sed præter quam quod

iſta diſputandi ratio ſupponit Veterum fidem totam aptè inter ſe cohærere; nu'las eius partes vitium facere; omnes inter ſe eſſe exquiſitè coagmentatas & arctè connexas (quod non eſſe prorſus extra dubium ſuo loco docebimus) præterea, inquam, requirit ingenium acutum & perſpicax, quod actutum & clarè ſingularum rerum conſecutiones pervideat; & memoriam expromptam & amplam, ut poſſit ad amuſſim eorum omnium recordari quæ veteres ponunt, & judicium acre, minimèque anticipatis opinionibus præpeditum, vt Veterum ſententiam cum ea quæ nunc obtinet, accuratè poſſit conferre. Quæ quidem omnia, ſi in quopiam occurrerent, hanc ſcriptorum veterum verſandi rationem longè vtiliſſimam & ad eorum mentem penitus introſpiciendam accommodatiſſimam futuram fateor. Verum, proh dolor! rariſſima ſunt iſta, nigróque ſimillima cygno. Adde quod ſi fides habeatur nonnullis doctoribus Pontificiis nihili eſt, nulliúſque vſus vniverſa iſta methodus, quæ argumenta ſcilicet & ratiocinationes adhibet; hæc enim cùm, iſtis judicibus, inſtrumenta ſint fallacia, non ſunt idonea ad fidem faciendam, maximè in iis quæ ad religionem ſpectant, in quibus nulla fides debetur niſi locis claris & diſertis. Itaque, ſi eorum ſententia ſtetur, iſtorum, ſi ſapiamus, fidei capitùm nullum apud nos fidem obtinebit tanquam Patribus creditum & traditum, niſi ad ipſum in eorum voluminibus de verbo ad verbum legamus, id eſt, iiſdem ad litteram verbis quæ in Decretis & Canonibus Concilij Tridentini habentur. Cum ergo, ex iſtorum ſententia, teſtimonia, vt fidem mereantur, diſerta eſſe neceſſe ſit, cùmque hæc de quibus quæritur inter nos pleraque nuſquam apud Patres diſertè agitata inveniantur, is in Logicæ præcepta neutiquam peccabit, qui ex iſtis omnibus colliget, ægerrimè fieri poſſe (ſi modo vlla ratione poteſt) vt pernoſcamus quæ genuina fuerit Veterum ſententia ſuper pleriſque Eccleſiæ Romanæ dogmatis quæ nunc à Proteſtantibus repudiantur.

Gonteri, Verona. & alij

CAPVT

CAPVT III.

Ratio III. *Quod Patrum verè certòque non ſint quæcunque nunc eorum nomine circumferuntur, ſed pleraque iis vel olim, vel his demum poſtremis ſeculis affiсta ac ſuppoſita.*

ACcedo iam ad longè maximi momenti rationes, cùm ſuperiores illæ duæ, licèt non contemnendæ, leves tamen ſint præ iis quæ ſequuntur; plerorumque enim iſtorum, de quibus agimus, librorum confuſio tanta eſt vt immane quantum difficile ſit, vel eorum auctores, vel ſenſum certò cognoſcere. Hoc primum ex eo naſcitur, quod veteribus falsò adſcripti & ſuppoſititij nullo numero inveniuntur libri. Simile quid in omni cùm Litterarum, tum Diſciplinarum genere accidit, nec in vlla alia re, vel in Philoſophicis, vel in Literis humanioribus, magis deſudant Critici, quàm dum delectum inter ejuſmodi fœtus nothos vel adulterinos, & genuinos legitimòſque adhibent. Sed nullibi fœdiùs & impudentiùs quàm adverſus Scriptores Eccleſiaſticos fraus graſſata eſt. Omnes tam harum quàm illarum partium de eo queruntur, & ad faſtidium vſque in lectoribus ex intricatiſſimis impoſtorum iſtorum commentis educendis laborant, etſi plerumque parum proficiant, propter vehementiora partium ſtudia, dum libri, non tam ex ſuo merito, quàm ex legentium vſu ac commodo æſtimantur, ac probantur. Qui adverſatur, exploditur: qui favet, laudantur. Itaque, vt quod res eſt dicam, plerique non de ſuis opinionibus ex libris Patrum, ſed de Patrum libris ex ſuis opinionibus judicium ferunt. Qui nobiſcum ſentit vel loquitur, is Cyprianus eſt & Chryſoſtomus; Si ſecus, ſcriptor eſt recens & imperitus; veterator eſt, qui lacinias ſuas præſtantiſſimorum iſtorum virorum purpu-

ea ſtuduit contegere. Quod ſi non alios quàm qui ſtudiis ducuntur hæc caligo involueret, ſpes eſſet ſepoſitis ſtudiis, tenebras diſcuti & lucem affulgere poſſe; habiturà que in quo conquieſcerent ſedata ſaltem moderatàque ingenia. Verùm nondum incommodorum finis. Supereſt & aliud, idque omnium impeditiſſimum, & ad quod, ſi uſpiam alibi, Delio (quod aiunt) natatore opus eſt. Caligo iſta, ſcilicet, res ipſas obſidet; unde fit ut, vel propter erroris antiquitatem, vel ob veri & falſi inter ſe ſimilitudinem, non niſi magno cum labore ac molimine ex ea liceat emergere; interdum verò ne omnino quidem liceat. Non enim comminiſcendi fingendique artes novæ ſunt; harum fraudum artifices ante quatuordecim ſecula extitere. Paſſim occurrunt Patrum voces de hæreticis conquerentium, quod ij, vt ſomniis ſuis authoritatem conciliarent, libros quibus ea in vulgus proſeminabant, celeberrimi cujuſque Eccleſiæ Doctoris, imo & Apoſtolorum ipſorum nominibus inſcribere auſi eſſent. Hac ipſa de re Magno Baſilio Cæſareæ Archiepiſcopo tanto in pretio habitus Iconij Epiſcopus Amphilochius Commentarium ſcripſerat; ex quo ſeptimæ Synodi Patres locum confutant ab Iconoclaſtis ex inepto quodam opere laudatum quod *Itenèrarium Apoſtolorũ* dicebatur. Atque utinam eruditi iſtius antiſtitis extaret lucubratio; facile forſan ex ea foret multorum ridiculorum ſcriptorum, quæ celeberrimorum & vetuſtiſſimorum inter Chriſtianos virorum nomen falsò ementiuntur reuincere vanitatem. [a] Hieronymus varia ſcripta Apocrypha Apoſtolorum, & eorum qui proximè iis ſucceſſere, veluti Petri, Clementis, Barnabæ, & aliorum nomina præferentia proſcribit. Eodem loco habentur à ſeptima Synodo [b] Euangelium ſecundùm S. Thomam & Epiſtola ad Laodicenſes. Si nebulones iſti de nominibus Apoſtolorum ſic luſerunt; quo licentiæ non proruperunt in Patres? Enim verò fraus iſthæc iis ſemper ſolennis fuit. Sic legimus Neſtorianos [c] Epiſtolam, quâ hæreſis eorum primus

authoꝛ

Hegoſip. apud Euſeb. l. 4. c. 22. p 41. B. Edit. Græc.

Concil. 7. Act. 5. Tom. 1. p. 552. dit. E.

a *Hieron. lib. de Script. Eccl. Tom. 1. p. 346. B & 350. C.*

b *Concil. 7. act. 6. p. 616. B. T. 3.*

c *Cõcil. 5. collat. d p. 560. b. Tom. 2.*

author & patronus, Theodorus Mopſueſtiæ Epiſcopus pu gabatur, ſub S. Cyrilli Alexandrini nomine promulgaſſe; ſic altera ex parte Eutychianos, vt imperitæ plebi fucum facerent, quoſdam Apollinaris libros doctoribus orthodoxis falsò adſcriptos in vulgus ſparſiſſe. De hoc argumento Leontius librum ſcripſit, quo demonſtrat homines iſtos Gregorij Neocæſarienſis, Iulij Epiſcopi Romani, & Athanaſij Alexandrini nominibus imprimis abuſos fuiſſe: Imò librum, cui titulus eſt, ἡ κατὸν μέρος πίςις, id eſt, *fides ſigillatim expoſita*, quem Turrianus Ieſuita, quem Gerardus Voſſius, quem Gregorij Neocæſarienſis poſtrema editio pro genuino & legitimo ejus fœtu obtrudunt, ipſius non eſſe revera, ſed hæretici Apollinaris docet. Et qui Bibliothecam Patrum ediderunt idem judicium ferunt de duodecim anathematibus quæ vulgò eidem Gregorio tribuuntur. His veſtigiis inſiſtentes Monothelitæ homiliam à Menna Patriarcha Conſtantinopolitano ad Vigilium Epiſcopum Romanum miſſam confinxerunt: Item, eiuſdem Vigilij libros duos ad Iuſtinianum & Theodoram, in quibus diſertè docebatur eorum hæreſis, eàque tria ſcripta per fraudem quintæ Synodi Codici in Bibliotheca Patriarchatus Conſtantinopolitani aſſeruato inſeruerunt. In ſexta Synodo fraus in lucem protracta & conuicta fuit. Aliàs quis iſta in tam authentico exemplari legens in errorem adductus non fuiſſet? Pauca ejus rei exempla tantùm refero, ad ſpecimen hæreticorum audaciæ in iis quæ in hoc genere tentarunt, imò & reipſa effecta dederunt. Hæc autem omnia ſub finem ſeculi ſeptimi, id eſt, ante nongentos annos acciderunt. Poſtea in diſputationibus de imaginibus, & in controverſiis Græcorum cum Latinis, & in pleriſque contentionibus Eccleſiaſticis, nihil frequentius hinc inde objici videas, qu m falſa & ſuppoſititia eſſe quæ alij adverſum alios in cauſæ ſuæ defenſionem afferunt; ut inde proclive ſit colligere, quid hæretici huiuſmodi artibus promoverint, quas, etſi in

Marcian. ep. ad Mon. Alex. ad calcem Conc. Chal. Tom. 2. p. 450. E.

Leõt. liber extat Bibl. SS. Pat. To. 4. par. 2. pag. 1032.

Greg. Thaumat. Op. Par. a. 1622. p. 97. ubi vide Voſſ. Bibl. SS. PP. Tom. 1. Græcol p. 329.

Cõcil. 6. Act. 3. pa. 12. & Act. 14 pa. 214 215. 216. T. 3. Cõcil.

Cõcil. 6. Act 3. p. 12 & Act. 14. p. 214. 215. 216. T. 3. Cõcil.

Cõcil. 7. Act. 6 [illegible] Iconoclast. T 5. p. 615. 616 Ibi. p. 615. 626 T 5. Cõcil. Florẽt. Seſſ 20. T. 4. p. 455. & paſſim.

aliis argumentis, frequentes adhibuerunt. Itaque veriſimillimum videtur multa nunc ſub veterum doctorum nomine legi, ab ipſorum adverſariis conficta, ipſiſque ſuppoſita, itaut non rarò cum hæretico nobis res ſit, dum auctorem orthodoxum legere nos putamus, & hoſtis ſub amici perſona lateat; quo fit ut metuendum ſit, ne interdum & nobis & à nobis tanquam veteris Eccleſiæ placita & pronunciata, ea objiciantur, quæ reipſa ſunt hæreticorum ſomnia. Nec enim exiſtimandi ſunt adeo hebetes fuiſſe hæretici, vt ſtatim aperirent venenum, quo ejuſmodi peſtifera ſcripta inficiebant: imò illud arte & latenter huc illuc affudiſſe, & veluti à longinquo hæreſeωn ſuarum fundamenta ſubſtruxiſſe, cenſendi ſunt, ut fraus, ſicut tectior & minùs obvia, ſic & pernicioſior foret. Sed quamvis hujuſmodi dolis veteres libros hæretici plurimum confuderint, attamen, ſi ij ſoli his fraudibus graſſati fuiſſent, non ita difficile eſſet nos ex iis expedire. Verum quod teterrimum eſt & ferme inſanabile malum apud ipſam Eccleſiam, & quidem à vetuſtiſſimis uſque temporibus fraus illa in vſu fuit. Tanti mali auctores ſæpius fuiſſe exiſtimo Bibliopolas & librarios, qui ante iuventum Typographiam libros manu exarabant. Iam ſuo tempore querebatur & quidem vehementer Hieronymus de eorum negligentia & audacia in corrumpendis libris. *Scribunt* (inquit) *non quod inveniunt, ſed quod intelligunt, & dū alienos errore emendare nituntur, oſtendunt ſuos.* Dubium non eſt quin quâ licentiâ libros corruperunt, eadem & ſuppoſuerint, eóque magis quod hoc ſuo, eóque magno, illud verò nullo faciebant compendio. Nec enim quicquam in rem ſuam faciebant, cum libros corrumpebant & vitiabant; ſed cùm pro vilibus & obſcuris nominibus grandia & illuſtria ſufficiebant, longè luculentiùs & cariùs eos vendebant. Quoties in manus veniebat opus anonymum, vel nomen quidem præferens, ſed ignobile, vel infame, tum illi ne fœdis & inuidioſis iſtis notis merx ſua vileſceret, novum

Hiero. epiſt. 28. ad Lucin. Tom. 1. p. 247.

Hieron. Apol. II. cont. Ruff. T. 1. p. 332. C.

novum, piiore inducto, nomen audacter apponebant, quod in Eccleſia earum eſſet & venerabile, vt eâ gratiâ merci pretium adderent. Exempli cauſa; Meritò inuidia inter Chriſtianos laborabat Nouatiani nomen; author enim fuerat ſchiſmatis aduerſùm Eccleſiam Romanam. Tertullianus verò cùm propter ætatem, tum propter ingenium & eruditionem meritò magni fiebat. Hoc animadvertens Librarius ad rem attentus vnius lucri gratia, meâ quidem ſententiâ. mutare inſtituit, & librum de Trinitate Tertulliano inſcripſit, qui tamen revera erat Nouatiani, quod ipſum ab Hieronymo accepimus. Eandem, vel certè ſimillimam fuiſſe ſortem libri de Pœnitentia qui hodie Tertulliano tribuitur pœne ſentio. Sic libro de Operibus Chriſti cardinalibus, ab auctore ſuo (quod ipſe profitetur) ſuppreſſo nomine ad Papam quendam miſſus (cuius & ipſius nomen in codicibus editis tacetur, manuſcripti nonnulli Hadrianum præferunt) Cypriano inſcriptus eſt, à Librario commodis ſuis ſervienti; adeo vt quemadmodum olim, ſic & nunc ſub iſto nomine feratur; tametſi ſatis pateat non eſſe Cypriani; [a] quod & multi tam harum quàm illarum partium viri docti ingenuè agnoſcunt. Non erat nullius in Eccleſia nominis Ruffinus; longè tamen aberat à fama & exiſtimatione Cypriani: hinc factum eſt vt, Ruffini in Symbolum Apoſtolorum opus, Cypriano tribuerint Librarij. Narrat Senator Caſſiodorus, [b] qui A. D. 514 ſuo nomine Conſul ſignavit, quaſdam in XIII. Pauli Epiſtolas annotationes *ſubtiliſſimas* quidem *& breviſſimas, ſed erroris tamen Pelagiani venenis infectas*, ſuo tempore *in cunctorū manibus ita celebres habitas fuiſſe, vt eas à S Gelaſio Papa vrbis Romæ doctiſſimi viri ſtudio dicerent fuiſſe conſcriptas; quod ſolent* (inquit) *facere qui res vitioſas cupiunt glorioſi nominis auctoritate defendere.* Hæc de veteribus. Sed & ſui, id eſt, ſuperioris ſeculi librarios multum hac in parte peccaſſe queritur Sixtus Senenſis. *Nihil* (inquit) *præter quæſtū arte ſua quærentes novos quotidie librorum fœtus emittunt*

Auctor operis de operibus ar... Chriſti incer... prope A. D. 44. D. Eraſm. in ſua Cypr. et in S... Senē. Biblioth. l 4 p 348. Bellar. de Euch l 2. c 9 de amiſſ grat. l. 6. c. 2. Poſſevin. in Appara: Sculter. Medul. Patrum.

And. Riv. l 2. c 15. Crit. Sacri. Ambroſin. de Eccl. l. 2.

a Bellar. lib. 6. de amiſſ. grat. c. 2. Item, l. de Scrip. Eccleſ. in Cypr. Barō. A. D. 51. §. 20. A. D. 60 §. 51. Hoſſel. lib. de comm: ſub vna ſp. fol. 62.

b l. de divin. lect. 8 in'i p. 221. a. Forſaſſe illæ ipſæ ſunt Pelagij in Paulū annot: quæ falſo ſub Hieronymi nomine circūferuntur.

Præfat. in Biblioth.

adulterinos,ſuppoſititios,pſeudepigraphos,& nothos,præpoſitũ abſque vllo iudicio & pudore in frontiſpiciis operum,quo ipſa & cariùs & citius vẽdant falſis auctorum illuſtrium inſcriptionibus.Hoc ſanè artificio ſuppoſuerunt nobis inter multos ſpurios partus Quæſtiones in Geneſin Philonis Iudæi,Quæſtiones Iuſtini Philoſophi & Martyris ad gentes, Quæſtiones diui Athanaſij ad Antiochum. Origenis Paraphraſim in Iob,eiuſdemque in eundem Commentarios.Item Arnobij Rhetoris in Pſalmos Commẽtaria,Euſebij Emeſeni homilias in Euãgelia, Ambroſij in Apocalypſim explanationes, Hieronymi in Prouerbia lib.3.& in Lamẽtationes Hieremiæ libros tres,Eucherij in Geneſeos & Regum hiſtorias libros octo,& cum his alia plurima ſub nomine præſertim Veterum Patrũ aſcititia opera, quorum dogmata ſtilus ac tempora magis ab ipſorũ titulis & inſcriptionibus diſtant quàm cælum à terra. Tum quorumdam veſaniam exaggerat qui ſub diverſis duorum aut trium auctorum titulis unum idemque opus exhibuerunt; ut qui eaſdem in Leviticum homilias, modo Origenis, modo Cyrilli nomine excuderunt; qui eandem in Eccleſiaſten Paraphraſin Gregorii modò Neocæſarienſis, modò Nazianzeni titulo prænotarunt; eoſdem in Prouerbia Commentarios primo Bedæ, poſtea Hieronymo tribuerunt; eaſdem in Iob commentationes modò Philippi Preſbyteri, modò Bedæ nomine vulgarunt; & eadem collectanea in Hexaemeron tum Bedæ, tum Iunilii Afri appellatione cenſuerunt; & eaſdem denique Pſalmorum explanationes, prius Hugoni Carenſi,poſterius Alexandro Halenſi inſcripſerunt. Atque hæc hactenus quidem Sixtus; pleraque veriſſimè. Nec ſola librariorum auaritia his fraudibus anſam præbuit. Inſcitia etiam cùm ipſorum,tum illorum quos conſulebant, fœtibus his adulterinis plerumque obſtetricata eſt. Si ſcripti dubii nomen ad aliquod vetus accederet; ſi ſtilum referret; ſi argumentum conueniret, vel quæpiam alia ratio ſaltem probabilis priorum eſſe temporum ſuaderet, nomen antiqui alicuius auctoris illico

præ-

præfigebant, & ſub eo èxſcriptum ad ſui temporis homines, & per eos ad poſteros tranſmittebant. Nec ſoli librarii eiuſmodi fraudum accuſandi. Nunquam non extitere ingenia ſtultè ambitioſa quæ quoquomodo ſenſa ſua in lucem edere geſtierunt, & plurimum ad has fallacias contulerunt. Cùm ſe homines iſti neque viribus, neque gratia ſatis inſtructos eſſe intelligerent, ut per ſe populo placerent, Veterum nomina ſunt ementiti, cum mallent ſibi ſub alieno nomine plaudi, quam ſe ſub vero & proprio exſibilari. Hi pro captu ſuo fœliciùs infeliciuſve Veterum ſtilum & ingenium expreſſerunt & effinxerunt, & ſub eorum nomine ſua opera in vulgus nullo pudore ediderunt. Cùm autem inter mortales minima ferè ſapientum & eruditorum copia ſit, qui minùs cauti & perſpicaces fuere, nullo diſcrimine ſubdititios iſtos fœtus exceperunt & fouerunt, iiſque Bibliothecas omnes referſerunt. Fuere alij quos ad eaſdem artes non ambitio, ſed quædam alia prava & incondita ſtudia impulere. Sic fuere qui cùm vehementi vel hominum quorundam, vel etiam ſententiarum ſtudio tenerentur, de ijs ſcribere in animum induxerunt ſub nomine virorum clarorum, vt pondus & efficaciam ſuis ſcriptis adderent. Iſta propemodum videtur fuiſſe mens Preſbyteri illius, qui Pauli & Theclæ περιόδους in lucem edidit; qui de eo conuictus apud S. Ioannem, confeſſus eſt quod eſſet libri auctor, ſeque id amore Pauli feciſſe. Talis item fuit Ruffini Preſbyteri Aquileienſis audacia, quem iure optimo paſſim & quidem acriter reprehendit Hieronymus, Ille, vt Origenis honori conſuleret, ſub nomine ſancti, inſigniſque martyris Pamphili, Apologiam pro eo ſcripſit, licèt revera eam, partim ex primo & ſecundo libro Euſebij de eodem argumento deſumpſiſſet, partim ſuo marte fabricatus fuiſſet. Eiuſmodi libido ipſum inceſſit cum Sexti cuiuſdam Philoſophi Pythagorei librum ſub Sancti Sixti martyris nomine edidit, vt gratior eſſet & acceptior. Quid amplius? Nonne eodem tempore, ipſoque

Hier. l. de Script. Eccl. T. 1. p. 350. D. ex Te tu. l. l. de Bapt. c. 17.

Hier. l. 2. Apol. cont. Ruf. T. 1. p. 314. B. & epiſt 65. T. 2 p. 487. B C. Et Apol. cit. Ruf. ad Pamach. & Marc. T. 2. p. 299. A.

Hier. in Ier. Comm. IV. T. 4. p. 610. E.

ſuperſtite Hieronymo, vir quidam diſertiſſimus, ægre ferens ab eo Hebræa volumina in Latinum verſa, epiſtolam ejus nomine ſcriptam, quaſi ab Hebræis in adoleſcentia ſeductus ad id animum appuliſſet, cujus adeo pœnitentiam ageret, confinxit, clamque & illo inſcio Romæ & in Africa in vulgus diſſeminavit, Gregorius Papa cognomento Magnus aliquid ſibi ſimile contigiſſe teſtatur. Queritur enim ſuo nomine ab Andrea quodam Græco monacho ſcriptos fuiſſe ſermones; *inter diverſa mala* (inquit) *aliquos etiam ſermones ſcripſit, atque eos ex noſtro nomine titulavit.* Ipſe eos *reſcindi & omnino aboleri* jubet, *ut quod* (inquit) *imperitus litterarum, & Scripturæ divinæ neſcius noſtro, ſicut diximus, nomine prænotavit quorũdam animos non poſſit inficere.* Quis ad tantam audaciam non obſtupeſcat? Quis hæc fieri vel potuiſſe crederet, niſi Hieronymus & Gregorius facta eſſe ipſi teſtarentur, dèque illata ſibi injuria quererentur? Iiſdem ſtudiis ducebantur (licet minùs iniquis) antiquiſſimi illi Chriſtiani, qui Sibyllina vaticinia de Chriſto, ejuſque regno primi in vulgus ſparſerunt, ut faciliùs fidem ab Ethnicis impetrarent; quod & ipſis probro vertere non neglexit Celſus apud Origenem. Sed quod longè maximi momenti eſt, ipſi etiam Patres, ſeu propriæ ſententiæ ſtudio tenerentur, ſeu affectibus nimis indulgerent ſuis, has artes interdum adhibuerunt. Exemplum habemus inſigne & quod Latinis ante ducentos annos Græci objecerunt. Contendentibus inter ſe Pontificibus Romanis & Synodis Africanis; illis quidem totius orbis Chriſtiani ad ſuam ſedem appellationes ſibi vindicantibus, his contra nitentibus; Zozimus & Bonifacius Epiſcopi Romani obtruſere Africanis quoſdam Canones, quaſi Concilii Nicæni, quibus eas ad ſe pertinere confirmarent. Commoti Afri (hæc autem ineunte quinto ſeculo acta ſunt) ilico Conſtantinopolim, Alexandriam, & Antiochiam mittere; in optima, incorruptiſſima, adeóque authentica Concilii Nicæni exemplaria inquirere, nec labori

Hieron. lib. 2. Apol. cõt. Ruf. Tõ. 2 p. 334. D. & 3. 5. A.

Epiſt. l. 10. ep. 69. ad Euſeb. Theſſ. ep.

Origen. contra Celſum. lib. 7. p. 379.

Cõc. Flor. Seſſ. 20 p. 460. B. 461. T. 4. Conc. gener. edit. Rõ. a. 1608.

Conc. Afri. 6. c. 3.

labori nec diligentiæ parcere; Canones verò iſti, Nicæni, ſcilicet, nuſquam comparere. Enimverò quamuis Canones & acta Nicæna, quæ nunc teruntur, ex illo tempore per multas manus tranſiuerint, iis tamen nihil eiuſmodi continetur, ne quidem in editionibus quas homines dignitatis Pontificiæ ſtudioſiſſimi procurarunt; qualis illa Latina eſt, quam collegit & edidit Dionyſius exiguus, circa annum Domini 525. neque in vllis aliis, ſeu veteribus, ſeu recentibus. Nam quod attinet ad illud Concilij Nicæni exemplar quod neſcio quis Fr. Ioannes in Synodo Florentina ſolum illibatum evaſiſſe à corruptelis Arianorum, proptereaque ſub claui diligenter clauſum & ſigillo munitum Romæ aſſervatum contendit, (Concil. Floren. Seſſ. 20. p. 460. & 461 T 4.) ex quo Canones illi deſumpti ſunt; nè oportet revera arctiſſimè obſervatum & obſignatum fuiſſe: cuius in re tanti momenti ne tribus quidem Pontificibus Romanis, Zozimo, Bonifacio & Celeſtino copia facta eſt: maximè tum laborantibus in aſſerenda apud Patres Africanos fide ſua; ut vehementer mirum ſit, qui Fratri Ioanni, homini mille anni poſt nato, id in mentem venerit, cùm illi ipſi qui illud penes ſe, ſcilicet, habebant, ne verbulum quidem de eo unquam fecerint; quod argumento inuicto, eſt, exquiſiti iſtius voluminis ſigilla nunquam aperta aut reſerata alibi fuiſſe niſi in fraterculi iſtius cerebro; in quo uno fabricatum & reconditum, natum & mortuum ſimul eſſe apparet: maxima quippe pars eorum qui ſubſecuti ſunt friuolum iſtud commentum neglexere, neque eo quiſquam in hiſce controverſiis nunc utitur. Sed ſi verum amamus, ne id quidem quod ipſi excuſandis iſtis pontificibus comminiſcuntur hilo eſt Fr. Ioannis mendacio probabilius. Iſti ſcilicet, cauſſantur ſuos illos Pontifices Nicænam & Sardicenſem Synodos (in qua poſtrema habentur Canones ab ijs citati) pro una eademque habuiſſe. Cui enim fidem facient pro uno & eodem Concilio conſendos duos cœtus Eccleſiaſticos, totis viginti duobus annis inter ſe diſſitos, à diverſis Impe-

ratoribus convocatos, ob cauſas admodum diverſas? Illum quidem ad Illuſtrationem fidei, hunc verò ad reſtituendos duos Epiſcopos, adhæc in locis remotiſſimis, alterum Nicææ, Sardicæ alterum habitos, quorum denique Canones plurimum inter ſe diſcrepant, argumento, numero, authoritate? Cùm Nicænos quidem ſemper ab omni Eccleſia receptos, Sardicenſes verò in Oriente ne notos quidem fuiſſe conſtet? Id confirmare qui queant, qui tam acriter invehuntur in Græcos, quod in multo majori cum rationis ſpecie ſextæ Synodo tribuant CII. Canones Conſtantinopoli decennio poſt in cœtu cui plerique ſextæ Synodi Patres intererant conditos? Quî in vetere Eccleſia receptum iſtud fuit, cùm in antiquorum iſtorum Canonum collectione Græca Sardicenſes planè omiſſi ſint, & in illa Latina, quam Dionyſius exiguus ab hinc mille & centum annis contexuit Romæ, non cum Nicænis, aut proximè poſt illos, quaſi unum corpus cum iis conſtituentes, ſed longè infra illos, & poſt omnium quæ hactenus habita fuerant Conciliorum Canones reiecti ſint? Vnde quoque accidit ut, ſi ea fuit Veterum iſtorum Pontificum ſententia, dum eos allegant prorſus de ea tacent? Negabant conſtanter Africani Epiſcopi iſtos ſibi à Romanis objectos canones in ſuis codicibus haberi. Cur ad hæc non reſpondebant Romani, eos extare in illâ alterâ quam recentiores nunc memorant canonum Nicænorum parte, inter eos qui Sardicæ conditi ſunt? Nonne id in promptu erat, ſi Nicænam & Sardicenſem Synodos pro una eademque habuere; Maximè cùm bonos iſtos Africanæ Synodi Patres, ut ſe ex his ambagibus expedirent, demittendo Conſtantinopolim & Alexandriam ſenſerunt deliberare? Et tamen de ea re ne γρῦ quidem. Si Canones Sardicenſes pro Concilii Nicæni parte habiti ſunt, mirandum eſt tot Africanos Præſules, tam doctos adeoque pios, Aurelium, Alypium, ſanctumque ipſum Auguſtinum, clariſſimum Africæ, totiuſque Eccleſiæ iubar, id prorſus latuiſſe·

Codex Canon. Eccleſ. Vniverſ. Dionyſ. epig. p. 99.

latuiſſe. Sed portentum planè eſt, eorum non miſertos tres Pontifices Romanos,eorumque Legatos, nec dignatos vno aut altero verbo, quod perfacile fuit, eos ex tam craſſâ, tamque ſuis rebus noxiâ ignorantiâ liberare. Stet ergo immotum, Zozimum & Bonifacium Pontifices, non alia habuiſſe Canonum Nicænorum exemplaria quàm noſtra, neque cenſuiſſe Sardicæ decreta Concilii Nicæni partem facere; ſed ſcienter & prudenter Synodo Nicenæ Canones Sardicenſes ſuppoſuiſſe. Illi nimirum ex quadam vulgari ſententia, & ſuperioribus ſeculis recepta, & ab horum temporum moribus minimè aliena, exiſtimarunt ad bona & ſancta promovenda conſilia fas interdum eſſe aſtu rem gerere, & fraudes illas quas *pias* dicunt adhibere. Cum ergo apud ſe conſtituiſſent, Sedis ſuæ ſupra omnes alias primatum magni eſſe momenti, & ad rem Chriſtianam plurimum conferre, non eſt quod miretur,ſi ad jura illius confirmanda, paululum de via deflexerunt, & Sardicam pro Nicæa ſubiecerunt,rati futurum vt,ſi voti compotes fierent, rei ipſius vtilitas, & ſecutura ex ea commodo, facilè ſarcirent quicquid in re ipſa peccatum eſſet. Neque tum accepta ab Africanis Patribus repulſa obſtitit quominus aliquot poſt annis Leo Papa,ad Theodoſium Imperatorem ſcribens, eadem arte ipſum adoriretur, & Sardicenſem pro vero Canone Nicæno ſupponeret. Vnde fit ut Valentinianus & Galla Placidia, ad eundem Theodoſium ſcribentes, extra dubium ponant Veteres, & Nicænos Canones,de fide & Præſulibus Eccleſiæ judicandi jus Pontifici Romano conceſſiſſe. Authore, ſcilicet, Leone, à quo Sardicenſe decretum, pro Canone Nicæno acceperant. Atque ita porro perrectum eſt in fraude iſta pia, vt maximæ Chriſtianorum parti perſuaſum ſit Nicæni Concilij decreto Romanum Primatum fuiſſe conſtitutum, ita ut in hac controverſia maxima illius Synodi auctoritas pro hac ſententia paſſim obtrudatur.Ignoſce, benigne Lector,quod tam diu,& forſan vltra quam pro-

Leo.in epiſt. ad Theodoſ. Imp. Tom. 2. Concil. p. 25. C.

Valent. in epiſt. ad Theodoſ. T. 2. Cõcil. p. 31. A. Galla Placid. in epiſt. ad Theodoſ. T. 2. Cõcil. p. 32. A.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

poſito meo conveniebat, te remoratus ſim in hoc argumento, id enim mihi magni omnino momenti eſſe viſum eſt in hac controverſia. Quid enim (inquient Proteſtantes) expectandum nobis eſt à reliquis Epiſcopis & Doctoribus, quandoquidem Papæ duo, quos omnium Chriſtianorum Pontifices & Coryphæos volunt, falſa ſuppoſuerunt? Et quidem in ipſis quinti ſeculi initiis, quibus fides & doctrinæ ſinceritas plurimum viguiſſe putantur; Qui iis temporibus talia auſi ſunt, quid non fecerunt in ſequentibus; Quibus ſcriptoribus pepercerunt qui ſacro Nicæni Concilii illuſtriſſimi, poſt verbum Dei, in Chriſtianiſmo monumenti nomine abuti non ſunt veriti? Qui in adeo anguſti cœtus luce, in ore doctiſſimorum ſanctiſſimorumque totius Africæ Epiſcoporum. Immo ſub magni ipſius Auguſtini oculis, talia comminiſci & uſurpare non dubitarunt, quid aliàs ſibi non permiſerunt? Quid non inceptum & ſuſceptum eſt in longis denſiſque tenebris quæ per tot poſt ſecuta ſecula in totam terram incubuerunt, Mihi quidem certè nunc non eſt propoſitum eos, vel accuſare propterea, vel excuſare. Hoc unum volo, non eſſe adeo proclive quàm prima fronte videatur, veras Patrum ſententias ex iis ſcriptis intelligere quæ ſub eorum nomine hodie circumferuntur, quandoquidem, qui tanto tempore ante nos ea apud ſe habuerunt ſic ſe in iis geſſerunt. Non abſimilis poſtea fuit Hadriani I. Romani quoque Pontificis verſutia, qui ut ſuam de Sabbati jejunio traditionem Egilæ Epiſcopo & cæteris Hiſpanis commendaret, non dubitavit Ambroſii auctoritate abuti. Iubet enim Egilam B. Auguſtini opuſcula legere, *vbi* (inquit) *egregium prædicatorem atque doctorem ſuum S. Ambroſiũ meminit pro jejunio Sabbati Sanctam Catholicam Apoſtolicam noſtram Romanam nimis laudaſſe Eccleſiam.* Hoc verò longè falſiſſimum eſt. Extat enim Auguſtini ad Caſulanum epiſtola, ad quam reſpicit hoc loco Hadrianus; unde diſcere licèt Ambroſium, neque Romanam, quod Sabbato jejunaret, neque ſuam

Hadr. ep. 95. quæ eſt ad Egil. T. Franc. Cheſn p. 814. A.

Aug. t. 2. ep 86.

ſuam Mediolanenſem, quod Sabbato non jejunaret, laudaſſe Eccleſiam, ſed vtrumque ritum nullo planè diſcrimine habuiſſe, obſervandumque diverſimodo cenſuiſſe, pro more Eccleſiæ in qua verſamur. *Quando hic ſum*, (inquit, id eſt, Mediolani) *non jejuno Sabbato; quando Romæ ſum, jejuno Sabbato; & ad quamcunque Eccleſiam veneritis, eius morem ſervate, ſi pati ſcandalum non vultis, aut facere.* Ibid. ep. 1xtr. p. 149 A 1. Non plura apud Auguſtinum Ambroſius. Hoccine quæſo illud eſt quod ſomniat Hadrianus, *pro jejunio Sabbati Eccleſiam Romanam nimis laudare?* Hadr. vb. ſupr. Ipſe verò Ambroſium ſi probat, cur non ſequitur? Cur Egilam, non Romæ, ſed in Hiſpania conſiſtentem, Sabbato jejunare jubet? Vides quam ingenioſus fuerit Hadrianus, qui quem ritum ſe ferre, eique ſe pro loci ac temporis ratione accommodare ait Ambroſius, eum ſic laudatum fingit, quaſi neceſſariò ac vbique retinendum cenſuiſſet. Auguſtinus ipſe Ambroſii quidem prudentiam atque caritatem probat ac ſequitur, non obſcurè tamen ſignificat, ſe putaſſe cæterorum Chriſtianorum, qui Sabbato prandebant, probabiliorem quam Romanorum qui jejunabant, morem fuiſſe. Sic etiam videmus paribus animorum ſuorum ſtudiis obſcuros peccaſſe Concilij V. Patres, apud quos Ibid. p. 148. c. d. 2. lecta & totius Synodi ſilentio probata fuit ſuppoſititia Theodoreti de morte Cyrilli Epiſtola, tam evidenter falſa, ut, qui Conciliorum generalium editioni Romæ præfuerunt, eam falſificatis arguerint & convicerint. Concil. 5. Act. 5. T. 2. Concil. p. 37. D. Eiuſdem furfuris eſt allata in Concilio VII. totáque inſerta, ſub nomine Athanaſij, de miraculo ab imagine Chriſti patrata in vrbe Beryto, narratio, adeo quidem inepta & indigna lepore & nitore magni illius ingenij, vt ſenſu communi carere oporteat qui eam illi tribuant. Conc. 7. Act. 4. Tom. 3. Concil. p. 472. Nannius in edit. oper. Athan. Vnde factum videmus, ut neque exemplo, neque auctoritate Concilii deterreri potuerint vel Nannius, vel Bellarminus, vel Poſſevinus, quominus eam Athanaſij eſſe negaret, alterius eſſe confiterentur. Bell. de imag. l. 2. c. 10. & lib. de Script. Eccl. in Athan. D. 56. Eodem loco pono donationis Conſtantini decantatiſſimum inſtru- C. Conſtantino. n. ſ. a. A. g. S. Steuch. de donat. Conſtant.

mentum, quod tam diu authenticum, validiſſimúmque habitum fuit, adeo ut in decreto inſertum, & ab Epiſcopo Eugubino, adverſus Laurentij Vallæ objectiones, pertinaciſſimè defenſum fuerit. At qui jam donationem ipſam ratam volunt & tuentur inſtrumentum iſtud tanquam futile & ſuppoſititium repudiant. Non ſunt meliores illi Antiochenæ vetuſtiſſimæ & Apoſtolicæ (ſi licet credere) Synodi canones, quos ex Ieſuitæ Turriani vaniſſimi fabulatoris mendaciſſimis ſcriniis depromptos Baronius fusè memoravit, & inverecundiſſimus Baronii expilator Binius in Eccleſiaſticos Conciliorum Tomos (in quibus nullum hactenus locum invenerant) audaciſſimò peſſimoque exemplo referre non dubitavit. In hoc quoque cenſu collocanda ſunt Sylveſtri P. R. acta, fabulis & mendaciis referta, quorum partem aliquam detegit ac coarguit Baronius. Quod verò ipſe hariolatur hæc falſa addita fuiſſe aliena manu, ſeque ſperat ſpuria à veris poſſe ſecernere, cauſæ Papalis ſtudio de more abreptus nos ludit. Nam & illa quæ de Euſebio auctore in præfatione habentur, quæque ipſe adjititia eſſe vult, jam ante octingentos annos in his Actis planè, ut hodie, extitiſſe ſatis docet Rathramni Corbejenſis auctoritas, qui duo quædam loca ex his Actis, libro quarto adverſus oppoſita Græcorum nondum edito, deſcribens utrumque diſertè citat, ex *Euſebio Hiſtoriographo Cæſarienſi Epiſcopo in libello vitæ Sylveſtri*, vel, *quem de geſtis Sylveſtri Papa compoſuit*. Vnde apparet Acta illa planè eadem olim, Caroli Calui temporibus fuiſſe, quæ nunc ſunt; id eſt, falſa & fictitia; quorum cùm fidem in his & aliis quibuſdam labare ipſe confiteatur Baronius, non video cur, vel qua ratione, eam in cæteris quæ his Actis ſuperſtruit preſtare poſſit. Non dubito quin ſint ejuſdem farinæ Acta illa Synodi Romanæ 280. Epiſcoporum, quæ A. D. 324. ab eodem Sylveſtro habita fuiſſe fingitur, & ſecunda dicitur; & Sinveſſanæ quoque illius Synodi, trecentorum ſcilicet Epiſcoporum, quæ

Baron. in Annalibus.
Melch. Canus l. cor Theol. lib. 11. p. 511.
A. D. 57. §. 111.
Tom. 1. Concil. p. 23.
A. D. 315 §. 12. 13.
Habetur in Bibliotheca Thuan.
Tom. 1. Concil. p. 314 b.

A. D 303. de Marcellini urbici Epiſcopi cauſa celebrata memoratur, in quibus ipſe Baronius fluctuat. Præter univerſale omnium veteris ad annum uſque ſexcenteſimum memoriæ ſcriptorum ſilentium, qui de his graviſſimis ſcilicet frequentiſſimis ac nobiliſſimis Synodis planè nullum verbum fecerunt, non pauca ſunt in ipſis earum Actis, quæ utramque falſam ac commentitiam eſſe arguunt; de quibus vide ſi libet Ioannem Rainoldum, [a] & Robertum Cocum [b] Anglos fuſius in ſuis quemque lucubrationibus diſputantes. Sunt & ejus generis alia innumerabilia, Martyrum paſſiones, & Epiſcoporum aut Sanctorum qui in primis Chriſtianiſmi ſeculis floruerunt vitas præferentia, certis veriſque, tum Eccleſiaſticæ hiſtoriæ ſcriptoribus, tum aliis iſtorum temporum indubitatis auctoribus ignota; adhæc eorum, quæ ex authenticis habentur, fidei in multis ſæpe adverſantia; poſtremo veræ temporum rationi repugnantia, & vel falſos, vel alienos Conſules mentientia. Quo loco non poſſum non denotare ſceleratam recentiorum in iſtis diligentiam, ex quibus, quæcunque extant certa falſitatis argumenta, ipſi delere & immutare non dubitant, ne quis eorum ex his fidem vel revincere, vel ſuſpectam habere in poſterum queat. Verbi gratia; In Martyrologio Romano ad d.21. Octob. antehac ita legebatur. *In Colonia Agrippinenſi natale ſanctarum undecim millium Virginum, quæ pro virginitatis conſtantia martyrio vitam conſummaverunt.* Sed quod illa tam multarum Virginum multitudo narrationis abſurditatem & falſitatem argueret, emendatores earum numerum deleverunt, & totum locum ita refinxerunt, ut legere eſt in Baroniana editione; *Apud Coloniam Agrippinam natalis Sanctarum Vrſulæ & Sociarum ejus, quæ pro Chriſtiana religione & Virginitatis conſtantia ab Hunnis interfectæ, martyrio vitam conſummaverunt, & plurimæ earum corpora Coloniæ condita fuerunt.* Ejuſdem eſt commatis, quod ſequitur exemplum. Catharina in Legendis & Breviariis, & Mar-

Ibid. p. 213.

A D. 303 §. 88 89. 101.

a *Apolog. Theſium* § 4. *a. p.* 406. *ad* 415. *edit. Hanov.* 1603.

b *Cenſura.* p. 238. 240.

tyrologiis omnibus *Coſti Regis filia* fuiſſe dicebatur. Iam quod ex veris, certiſque conſtaret nullum Maxentii tempore, quo Catharina paſſa eſſe fingitur, Coſtum Regem in rerum natura extitiſſe; omnis hæc inauſpicata *Coſti* mentio, quæ narrationis vanitatem oſtendebat, in Pii P.R.V. Breuiario prudenter (quis neget;) expuncta eſt. Sed & pro *Maxentio*, qui iſtic ab ipſo quoque Pio ex omnium retro Catharinæ actorum fide relictus hæſerat, pari poſtea actu *Maximinus* à Clemente VIII. & Vrbano VIII. P.R. in Breuiario; à Baronio in Martyrologio Romano [a] ſubſtitutus; ne ſcilicet eo indicio inſulſa quidem, ſed tamen bona fabula ſe ipſam proderet; quòd ex veteri hiſtoria [b] certum ſit Alexandriæ, ubi res geſta fuiſſe narratur, non *Maxentium*, ſed *Maximinum* per ea tempora imperaſſe. Magnus in hoc genere artifex fuit, homo quiſquiliarum & fabularum auidiſſimus Turrianus, cui ſemper præſto ſunt, cæteris, præter ipſum mortalibus inuiſi & inaudati, codices, & quibus ſuorum apocryphorum lectionem, quoties ea abſurda eſt, pro ſua libidine refingat. Ita quorum *Præfectorum litteras* Pſeudo-Euariſtus mittere ſe ad Afros Epiſcopos dicit, eos Turrianus in *Prophetas* tranſmutat; *In exemplaribus* (inquit) *vetuſtiſſimis, uno Vaticana Bibliotheca, altero Florentina S. Marci non Præfectorum, ſed Prophetarum, ſcriptum eſt.* Nimirum illæ *Præfectorum litteræ*, ſcriptorem alium eſſe ab Evariſto arguebant, cujus temporibus nulli *Præfecti* erant, qui litteras in decretorum Papalium gratiam in Provincias ſcriberent. Sed turriani impoſturam prodit fons ex quo totum hunc ſuum locum Pſeudo Euariſtus derivauir. Innoncentius, ſcilicet, apud quem *Præfectorum*, non Prophetarum *literæ* conſtanter leguntur, Epiſtola XII. ex qua impudentiſſimus juxta ac inſulſiſſimus plagiarius omnia illa verba deſcripſerat. Idem quod in hoc Turrianus, alii in aliis fecerunt. Ita Baronius & Bellarminus, quæ ex omnium codicum conſenſu Clementis prima eſt ad Jacobum Epiſtola, eam ad Symeonem eſt volunt;

In feſto S. Cathar. d. 25. Nov.

a *Add. d. 25. Nov.*

b *Euſeb. hiſt. l. 8. c. 16. 17.*

Epiſt. 1.

L. 2. pro ep ſtolis c. 9.

T. 1. Concil. p. 759. 1.

Bar. A. D. 69. §. 43. Bell. de Script. in Clem.

volunt; quòd Iacobi nomen, qui neceſſario reperitur,
antequam ea epiſtola ſcriberetur mortuus, opus eſſe
convinceret à maleferiato impoſtore jampridem ſup-
poſitum. Ita Baronius ut Sinveſſanæ Synodi acta ab *A.D.204.§.7.*
apertiſſimo mendacio purget, quo narrant Diocletia-
num in bello Perſico de Marcellino ab Epiſcopis con-
demnato audiviſſe, pro his verbis, *dum eſſet in bello Perſa-
rum*, reſcribi legique vult *cum reverſus eſſet è bello Perſa-* *Conc. Sinveſſ. c.*
rum; [a] quod intelligat ex veris Perſicum Diocletiani *ult. T.1. unc. p. 220.*
bellū, imo & triumphum multo ante octavum Maximiani [a] *Bar. A.D.*
conſulatum (quo Marcellinus damnatus eſſe fingitur [b]) *303.§.107.*
geſtum fuiſſe. Idem conſimili audacia ac fraude in *b Conc. Sin. c. ult. extremo.*
Actis Philippi Auguſtalis Egypti Præfecti, corrigi jubet
quod iſtic in omnibus exemplaribus legitur, Philippum
illum fuiſſe factum Alexandriæ Epiſcopum, quòd nem-
pe craſſum manifeſtúmque mendacium Actuum illo-
rum falſitatem evidenter argueret. Sic quos Acta paſ-
ſionis Stephani Papæ manuſcripta exhibebant *Valeria-
num 3. & Gallienum 2. Conſules*, idem Baronius *Valeria-* *A.D.260.§.6.*
num 4. & Gallienum 2. edit; quòd ſcriptus iſle Conſula-
tus rebus geſtis non congruit. Acta Sebaſtiani & ſocio-
rum falſa revincuntur quòd quem Vrbis Præfectum ta-
bulæ publicæ *Iunium maximum* edunt, hæ *Fabianum* mē-
tiantur. Baronius ut impoſturæ argumentum debeat *A.D.286.§.15.*
Fabium in tabulis pro *Iunio*, nullo libro auctore, pro ſua li-
bidine ſcribi jubet. Quin & huic ſuæ methodo ita confi-
ſus videtur, ut putaverit ſcripta vera ex falſis, genuina ex
nothis fieri, poſtquam iis ſemel detraxit, quæ inerant
falſitatis argumenta. Certè, de Epiſtola Fabiani P.R. Kal.
Iulii Maximin. Aug. & Africano Coſs. ad omnes com- *ad A. D.238.*
miniſtros data, quodam lŏco ſic loquitur; *Tam* (inquit) *§.9.*
*in titulo quàm etiam in Conſulibus deprevata adeo eſt ut ſpu-
ria penitus cenſeatur, niſi nonnulla in ea poſita corrigantur.*
Itaque putavit iſtis correctis nō futuram amplius ſpuriam;
quod mirum profecto eſt hominis judicium; quaſi verò
ulla correctione fieri poſſit, ut verum ac genuinum fiat

quod falſum & ſpurium eſt. Ita fieri fateor ut nemo poſthac deprehendere facilè poſſit, an id quod correctum eſt, revera falſum ſit; ut non ſit falſum, nulla arte effici poteſt. Vt enim Fabiani Epiſtola fuerit, quæ revera non fuit, nullæ Baronij ſpongiæ, nulli unquam pumices præſtabunt. Tantùm efficient ut ea detractis falſitatis ſuæ argumentis faciliùs in poſterum homines fallat; quo, ut liquet, omnes iſtorum artes contendunt ac collimant. Iis verò & Binius, Baronium de more ſecutus, non raro utitur. Cum enim quæ Cornelii Pontificis Rom. nomine fertur Epiſtola 1. eam notham eſſe & ab aliquo plano confictam clamet fabula de corporibus Petri & Pauli ex catacumbis rogatu Lucinæ levatis, Binius ut epiſtolam hoc ſtigmate liberet, comminiſcitur *id in eam mendosè irrepſiſſe*; cùm tamen conſtans omnium codicum conſenſus doceat fabulam iſtam non ab alio infultam, ſed ab ipſo auctore ita primùm ſcriptam ut nunc ibi legitur. Idem alibi eadem inverecundia fingit Epiſtolæ Euſebii P. R. tertiæ aliunde aſſutum eſſe quod illic in omnibus exemplaribus narratur de Chriſti cruce nuper d. 5. Id. Maji, ſuis temporibus reperta; quod, hoc, ſcilicet, commentum liquido oſtendat Epiſtolam, non Euſebii, ſed impoſtoris alicujus eſſe. Idem cum falſus *Feliciani & Maximiani* Conſulatus primam Iulii P. R. epiſtolam in cujus omnibus exemplaribus adſcriptus eſt, notham & ſuppoſititiam eſſe argueret, impudenter ſcribit *Feliciano & Titiano Coſſ.* datam eſſe. Idem, Baronii audaciam ſecutus, corrigi vult finem ſecundæ epiſtolæ Ioannis P. R. & pro his verbis, quæ omnia exemplaria pariter exhibent. *Data 5. Id. Iun. Maximo & Olybrio coſſ.* reſcribi. *Data Olybrio coſſ.* quia ſcilicet, & commentitius Maximi cum Olybrio conſulatus, & dies 5. Id. Iun. (ante quem mortuus eſt Ioannes) epiſtolam ſpuriam & Ioanni impudenter affictam, atque ſuppoſitam eſſe docent; quam Baronius & Binius cæco animi ſtudio veram eſſe cupiunt. Sed & has, & alias item plurimas epiſtolas, falſas

Not ad Vit. Corn. T. 1. Concil.

Not ad 3. ep. Euſ. T. 1. Conc.

Not ad epiſt 1. Iul. T. 1 Conc.

Not. ad 2. ep. Ioan. 1. T 3. Concil.

falſas eſſe, etiam aliunde conſtat, quæ Clemente, Anacleto, Euariſto, Alexandro, Sixto, Teleſphoro, Hygino, Pio, Aniceto, & aliis uſque ad Siricium, id eſt, uſque ad annum Chriſti CCCLXXXV. antiquiſſimis Epiſcopis Romanis tribuuntur, ut ut ſub venerandis iſtis titulis jam ab octingentis annis legantur. Illæ epiſtolæ, fateor, non paucas controverſias, maximè verò eam quæ de Monarchia Papali eſt, decidunt quidem ſecundùm Romanos, ſed hoc ipſum argumento eſt, quæ mens & quod conſilium fuerit Mercatoris illius qui primus eas venales habuit. Pleræque certè à doctis viris Henrico Kaltheiſen, Nicolao Cuſano, Turrecremata, Cardinale utroque, Eraſmo, Ioanne Driedone, Claudio Eſpenſæo, Caſſandro, Simone Vigorio, Baronio & aliis ſpuriæ habentur. Et reuera ſatis ſuperque patet earum falſitas, tum ex ſtili barbarie, tum ex erroribus quibus ſcatent paſſim, cùm in Chronologia, tum in Hiſtoria, tum quod centones ſint malè conſuti ex variis hinc inde corraſis ſcriptorum, quæ etiamnum hodie extant, locis, tum denique ex omnium auctorum qui primis octo ſeculis floruerunt altiſſimo de iis ſilentio. Iam ſex, ſeptémve poſtrema ſecula ſciens prætermitto, in quibus propter varia capita temporibus illis vel conſtituta, vel perdite adamata, longè major fuit harum fallaciarum uſus, magiſque neceſſaria nominis Veterum gratia; quibus item libros ſupponere nullo negotio licuit, propter craſſas ignorantiæ tenebras, & quod vix eſſet qui contradicere auderet, aut poſſet. Non aliæ fuere artes, donec affulgeret lux ſuperioris ſeculi, quo Eraſmus ipſe narrat ſe quempiam ex miſeris iſtis coccygibus animadvertiſſe, qui nihil aliud factitarit, & qui Vertumnum & Proteum referens, nunc ſe Euſebium Cremonenſem, nunc Cyrillum, nunc Auguſtinum, nunc Ambroſium, nonnunquam ſi libeat Damaſum, aliquoties, ſi ſuperis placeat, Hieronymum mentiretur, & in ſanctorum iſtorum virorum veluti nidis adulterina ſua oua deponeret, atque

Henr. Kaltheiſen apud Magd. cent. 2. c. 8. Nicol. Cuſan. Conc. cath. l. 2. c. 3. & 3. c. 2. Ioan. de Turrecrem. de Eccl. l. 3. c. 101. Eraſmus. Ioann. Driedo de dogm. & S. cript. Eccl. l. c. 2. par. 3. Cl. Eſpenſæus de contin. l. 3. c. 1. Geo. g. Caſſand. defenſ lib. de off. pij viri p. 8. 9. Sim. Vigor. in reſp. Syn. Baſi. pars pr. ec. eſſ. p. 28 30 31. in epiſt. adverſ Durand. p. 5. Baron. Ann. 7 2. c. 101. & 11. 6. 7. & c. 805. n. m. 5. 6 7. Eraſm. præfat. in Hieron.

excluderet. Cui jam conſtare poteſt, qui ſint, qualeſque tam multi libri quos quotidie ex iiſdem illis Officinis prodire videmus, in quibus olim ejuſmodi ludibria impunè fabricabantur? Exempli cauſa. Quis nobis illa Flavii Lucii Dextri, & Maximi fragmenta præſtabit, quæ cum hactenus tam multis ſeculis ignota fuiſſent, Hiſpani nuper Barcinone emiſerunt? Miræus quidem Antuerpienſis Decanus teſtatur iſta eruditis videri ejuſdem farinæ cum Beroſo Annij Viterbienſis, hoc eſt, cum putido craſſi impoſtoris figmento. Aſperſa paſſim operi mendacia arguunt novitium eſſe fœtum, non alio, ut videtur, fine ab Hiſpanis editum, quàm ut aniles de ſuo Iacobo fabellos, antiqui nominis auctoritate commendarent. Sed utcunque ſtent vel cadant muſtei iſtius Dextri fortunæ, illud quidem admodum probabile eſt, tempore auctam potiùs quàm imminutam iſtam, quæ jam olim in mundo viguit, impoſtorum quidvis mentiendi fingendique ſeu libidinem, ſeu induſtriam. Cùm ergo præter hæreticorum technas Librariorùmque cùm avaritiam, tum imperitiam, ambitio etiam & prava hominum ſtudia à mille jam & quadringentis annis aſſiduè fermè, etſi non unum ob finem, in id incubuerint, haud mirum eſt ſi noviſſimis his temporibus ſuppoſita Veteribus ſcripta occurrunt tanta numero, ut, ſi in acervum cogerentur, ad quartam, vel minimùm ad quintam veterum monumentorum partem acceſſura non injuria dici queant.

Schol ad. Hieron. de Script. Eccl. c. 132.

Sed ne quis iniquam eſſe putet noſtram de ſuperiorum ſeculorum in fingendis, adulterandiſque libris ſuſpicionem, tametſi jam multa dixerimus quæ eam abùndè purgant, tamen ut omnis tollatur dubitandi ratio, non erit fortaſſe inutile de iſtorum temporum hominibus & ingenio quædam hic obſervare. Illud imprimis conſtat per ſeptem illa ſecula, quæ ab An. D. 800. ad 1500. decurrerunt, rem litterariam, & ſacram & profanam, vix alios in Occidente tractaſſe quam Mona-

Monachos & Clericos. Illius verò ordinis hominibus pleriſque vulgo perſuaſum fuiſſe, ſi quid ad religionis commodum conferre videretur, id impunè fingere ac ſpargere licere, ſatis, ut ego quidem reor, probant tam innumerabiles iſtis temporibus exortæ ac diſſeminatæ de Eccleſiarum originibus, de ſanctorum prodigiis de Angelorum vel mortuorum hominum viſionibus, déque aliis id genus ad religionem utilibus rebus fabulæ. Ita Hilduinus Abbas, ſub Ludovico pio, paulo poſt noni ſeculi initia Dionyſium, qui Pariſienſis Epiſcopus fuit, Pauli diſcipulum, domo Athenienſem fuiſſe, præter veterum fidem, primus finxit, & poſteris perſuaſit, edito, quod etiam hodie ſupereſt, de hoc argumento Areopagiticon opere, fabellis & impoſturis bene inſtructo; cujus vanitatem viri eruditiſſimi, Iacobus Sirmondus & Petrus Launoyus, Romanorum partium Theologi, ita nuper demonſtrarunt, ut nemo cordatus repugnare poſſit. Ad hoc poſtea exemplum Abbas quidam Lemovicenſis, circa A. D. 1024. cum toto ſuorum Monachorum grege, Martialem quoque ſuum Apoſtolorum choro inſerere, & falſa antiquitate exornare auſus eſt. & licet repugnantibus qui ſanioris erant judicii, tandem obtinuit ut Martialis Apoſtolis coævus, & Gallïarum Apoſtolus, vulgo habeatur, quod fusè apud Roſquetum docet Joannes Cordeſius Lemovicenſis Canonicus, ex Jordani, veteris ejuſdem civitatis Epiſcopi, literis. Multis ante hunc annis, *pro more ſeculi ſynchroniſmum Apoſtolorum ubiq; affectantis* (inquit Launoyus) *Fulco Bernenſis Archiepiſcopus Sixtum ſuum Adam Petri diſcipulũ aſſeruit, Remorũ Epiſcopum conſtituit, & ex auctoritate Petri, totius Gallicanæ regionis Primatem.* Paribus ſtudiis impulſi Arelatenſes Trophimum, Paulum Narbonenſes, Gratianum Turonenſes, Catalaunenſes Memmium, Viennenſes Creſcentem ab Apoſtolis ad ſe miſſos commenti ſunt; ac breviter pauciſſimæ fuerunt vel in noſtra Gallia, vel in vicina Hiſpania, ac Britannia paulò vetuſtiores,

Lib. de duob. Dionyſiis. Iudic. de Areop. d ſcrip. c. ... M. ... Diſſ. ... 3. alia.

Diſſerta. de Mart. ali apud Boſquet. t. 2. Hiſt. Galli. Eccl. Diſſ. uſſ. Reſp. c. 3. p. 19. vide ibid. c. 5. & 3. & 2.

celebrioreſque Eccleſiæ, quibus Apoſtolicam originem non affinxerint ſuperiorum ſeculorum Monachi: unde fabularum & quidem pro auctorum captu, plerumque inſulſiſſimarum non una alias exorta eſt. Singula perſequi & immenſum, neque nunc noſtri inſtituti eſt; Franciſci Boſqueti de Eccleſiaſtica noſtræ gentis hiſtoria optime meriti teſtimonium hic recitare ſatis eſt, qui præfatus *incertam longa antiquitate & poſterorum commẽtis* Lib. 1. Hiſt. in edit. 1. ut citat Vſſ. in it. Antiq. Brit. *eſſe* Gallicanæ Eccleſiæ *originem*, cùm commentorum auctores perſequens; *Primos* (inquit) *ſi verum amamus hujuſmodi Zelotas Monachos in Galliis habuimus. Illi ſimplices ac fervidæ, adeoque minus cautæ, ac ſæpe inconſulta religione perculſi, ad illiciendas hominum mentes, & anguſtiores ſanctorum nomine ad eorum cultum revocandas, illuſtres eorum titulos primùm ſibi, dein credulæ plebi perſuaſos propoſuerunt. Ex horum officina Martialis Lemovicenſis Apoſtolatus, Urſini Bituricenſis diſcipulatus, Dionyſii Pariſienſis Areopagitica, Pauli Narbonenſis proconſularis dignitas, amborum Apoſtoli Pauli magiſterium & in aliis Eccleſiis ſimilia prodiere.* Hæc de noſtris Boſquetus ita primò ſcripſerat; atque ita excuſa ex codice ſibi lecto deſcribit Vſſerius, quæ poſtea mutavit, Dominæ, ut ſuſpicor, Romæ iras ac faſtidia veritus. De ſuis Britannicis eadem Rever. Vſſerius, & teſtitur ipſe diſertè, & laborioſiſſimo Antiquitatum opere ſatis fatetur, in quo tam prodigioſis mendaciis, fabelliſque conſpurcatæ à Monachorum gente cernuntur Eccleſiarum Britannicarum origines, ut planè patientem in multis deſiderent lectorem. Hiſpanienſes notum eſt quanta ſibi contentione vindicarint Iacobum Apoſtolum; adeo præter omnem veri ſpeciem, ut ipſe Baronius, Martyr. Rom. ad d. 25. Iul. quantumvis alioqui fabularum hujuſmodi avidus, aliquandiu dubitarit. Sed quid bonis iſtis Hiſpanis facias, qui primas omnium rerum ac diſciplinarum origines ſuæ patriæ tanto ſtudio atque ardore vindicant, ut etiam vide Hier. Higueram not. ad Luitprand. Chrō. p. 297. & 589. 590. Muhammedem prima impoſturæ ſuæ tirocinia apud ſuos majores poſuiſſe velint; ſuaque venena in Hiſpania

priùs

priùs quàm in Arabia ſparſiſſe ? Jam in exornandis varia fictorum prodigiorum narratione Sanctorum vitis quantùm ſibi ſuperiorum ſeculorum ſcriptores indulſerint, & res ipſa loquitur, & nonnullorum, licèt eorumdem temporum, tamen verecundiorum, querelæ teſtantur; cujuſmodi hæc eſt Letaldi Monachi (qui Iuliani Cenomanenſis vitam A. D. 1020. deſcripſit) à Ioanne Launoyo Pariſienſi Theologo non ſemel commemorata; *Sunt* (inquit) *nonnulli qui, dum attollere ſanctorum facta appetunt, in lucem veritatis offendunt, quaſi Sanctorum gloria mendacio erigi valeat, qui, ſi mendacij ſectatores fuiſſent, ad ſanctitatis culmen nequaquam aſcendere potuiſſent*, Petrus Damiani Cardinalis, qui ad annum 1060. floruit, eundem hominum ſui temporis morbum tangit, qui ſe in vita Mauri Cæſenatis narranda *veritati conſulturum* præfatus, *quod temerarius ſit narrator, qui dum laudum præconiis alios extollere nititur, ipſe mergi in falſitatis barathrũ non veretur*, hæc continuo addit, *Nonnulli enim ſe Deo deferre exiſtimant, ſi ad deferenda* (fortaſſe legendum *efferenda*) *laudis ejus inſignia falſitatis argumenta componant, qui nimirum ſi egregii prædicatoris verba diligenter attenderent, talia non ſentirent.* Tum recitatis Pauli ex 1. Cor. 15. verſ. 14. 15. verbis: *Secundum hæc ergo* (inquit) *Apoſtolica verba falſus teſtis Deo meritò dicitur qui indiſcretè eum cupiens laudare mentitur, & adverſus Deũ proculdubio perhibet teſtimonium, quiſquis in ejus laude perverſa molitur arte commentum.* Item alibi: Nonnullos eſſe ait, *qui ſe Deo deferre exiſtimant, ſi in extollendis ſanctorum virtutibus mendaciũ fingant, quique ignorantes Deum noſtro non egere mendacio, relicta veritate, quæ ipſe eſt, falſitatis ei putant ſe placere poſſe commento.* Ex iſtorum genere, vel aliquanto etiam deterior erat Gausbertus ille ſub Hildegario Lemovicenſi Epiſcopo Chorepiſcopus, qui ſcripturam *de S. Fronto* (ſive Frontone) Petracoricenſi *novam lucri cauſa edidit*; quod à Solemniacenſe quodam Abbate in Lemovicenſi Concilio A. D. 1031. obſervatum ac traditum

Diſcuſſ. cont. Millet. c. 19. p. 213. Diſſert. de Iuliani Epocha p. 174. vide Leold. p'um B. ſq. Part. 2. p. 74.

Præfat. in vit. Maur. Cæſen. T. 2. p. 185 c. 2. 186 A.

Vit. S. Romualdi præfat. Ibid. p. 189. b. 1.

Diſſert. de loco Sulpit. p. 111. Vide B ſquet. part. 2. Hiſt. Eccl. Gall. p. 4.

fuiſſe refert idem Launoyus. Sed hæc eorum qui ſancto-rum vitas literis mendarunt vanitas ita clara manifeſta que eſt, ut viros etiam de Papæ Vrbici communione gra-uiſſimos de ea confitentes habeamus. Melchior Canus, Canariarum Epiſcopus, inſignis Theologus, quique unus ex Tridentinis Patribus fuit, *Dolenter hoc* (inquit) *dico po-tiùs quàm cõtumelioſè, multò à Laertio ſeveriùs vitas Philo-ſophorum ſcriptas, quàm à Chriſtianis vitas Sãctorum longeq; incorruptiùs & integriùs Suetonium res Cæſarum expoſuiſſe, quàm expoſuerint Catholici, non dico res Imperatorum, ſed Martyrum, Virginum & Confeſſorum. Illi enim in probis aut Philoſophis aut Principibus nec vitia nec ſuſpiciones vitiorum tacent; in improbis verò etiã colores virtutum produnt. Noſtri autem plerique vel affectibus inſeruiunt; vel de induſtria quoq; ita multa confingunt, ut eorum me nimirum non ſolum pu-deat, ſed etiam tædeat. Hos enim intelligo Eccleſiæ Chriſti, cùm nihil utilitatis attuliſſe, tum incommodationis plurimũ.* Item, *Iuſtiſſima eſt Ludovici* * *querela, de hiſtoricis quibuſ-dam in Eccleſia confictis. Prudenter ſanè ac graviter eos ar-guit qui pietatis loco duxerint mendacia pro religione finge-re.* Tum, *Qui falſis atque mendacibus ſcriptis mentes morta-lium concitare ad divorum cultum voluere, hi nihil mihi ali-ud videntur egiſſe, quàm ut veris propter falſa adimatur fi-des,* &c. *Quaſi verò ſancti Dei homines noſtris mendaciis ege-ant, qui tam multa vera pro Chriſto geſſerunt.* Denique *Eccle-ſiæ* (inquit) *Chriſti vehementer incommodant qui res divorũ præclarè geſtas non ſe putant egregiè expoſituros, niſi eas fictis, & revelationibus & miraculis adornarint.* Hæc Canus. Pa-pirius quoque Maſſonus, *mendaciis fabuliſque anilibus, ſola diuturnitate temporiſq; lapſu fidem apud poſteros nactis, non modo profana, ſed etiam ſacra infecta eſſe* cõfitetur. *Nec enim* (inquit) *permiſcentur vitis Sanctorum pauciores fabulæ, quã alibi, quia pars earum multis poſt ſeculis ab imperitis ſcripta eſt, ex quotidianis vulgi ſermonibus, ſæpe delirantis, ſem-perque aliquid adjicientis de ſuo.* Quin eadem fuerit eru-ditiſſimi Sirmondi ſententia dubitare nos non ſinit ejus

De l. cis Theolog. lib. 11. c. 6.

* Vivem dicit

In hiſt. calam. Gall.

de

de duobus Dionyſiis Lucubratio Ioannes verò de Launoy, vir & doctiſſimus & φιλαληθέστατος, Pariſienſis Theologus, jam non ſemel à nobis nominatus, non modo eadem ſentit, ſed etiam ultra progreſſus, nihilque veritus τῶν φιλομύθων, quos apud ſuos plurimos eſſe novit, odio ac invidiam, horridam illam ac ſqualentem à Caroli magni temporibus enatam, ac longè lateque fruticantem fabularum ac figmentorum, ſylvam, immiſſo acutiſſimæ ac ſagaciſſimæ diſquiſitionis, criticeſque, ut ſic dicam, ferro, ita nuper concidit ac demeſſuit, ut ni mens læva à pulcherrimo incœpto mortales deterreat ſpes ſit cætera, ſi ejus exemplum ac fortitudinem, invictumque veri ſtudium imitaremur purgari tandem poſſe. Tanto autem licentiùs in hoc genere verſati ſunt qui poſt octavum ſeculum vixerunt, quod ſuperiorum temporum Patres nonnulli, præſertim verò Severus in opera de Martini vita, Gregorius Romanus in Dialogis, Beda in hiſtoriis, & alibi paſſim, ſuo exemplo præjuiſſent, veris multa fabulæ propiora admiſcentes; ut ex inſpectis eorum libris patet. In his quidem duobus, Gregorio inquam & Beda, *judicij ſeveritatem* & curam Canus ipſe diſertè deſideravit; *Equidem*, (inquit) *hiſtoriolas illas* (ab iſtis narraras intelligit) *probarem magis, ſi earum auctores juxta præfinitam normam ſeveritati judicij curam in eligendo majorem adjūxiſſent*. Unus *Legendæ* (ut vulgo vocant) *aureæ* liber, magnæ proximorum retrò ſeculorum deliciæ, ſatis oſtendit quàm immanis fuerit iſtorum hominum quidvis pro libidine in hoc genere fingendi audacia, ut ipſi nunc de Romana communione Theologi ſcribere non dubitent, hujus operis auctori *os* quidem fuiſſe *ferreum*, *cor* vero *plumbeum*, & *animum parum ſincerum ac prudentem*; item *viros eruditos ad ejus nomen expalleſcere*, *id genus operis execrari & averſis in ſiniſtram palmis abominari*. In viſionibus quæ & ad hoc genus pertinent, non fuiſſe veraciores, unum, ſed illuſtre, exemplum probabit. Provinciarum Remenſis & Rotomagenſis Epiſcopi, Cari-

Vide ejus Opuſcula maxime Diſſertat. 5.

Can. ubi ſupra.

Launoy Diſſertat. 3. p. 177.

ſiaci A. D. 858. congregati Ludovico Germaniæ Regi, tum in Attiniaco palatio conſiſtenti, epiſtolam menſe Novembri ſcripſerunt, in qua hæc narratio habetur. *S. Eucherius* (inquiunt) *Aurelianenſium Epiſcopus in oratione poſitus ad alterū ſeculum eſt raptus, & inter cætera quæ Domino ſibi oſtendente conſpexit, vidit illum* (Carolum Principem, Pippini Regis patrem, quem vulgo *Martellum* vocant) *in inferno inferiori torqueri. Cui interroganti ab Angelo ejus ductore reſponſum eſt, quia Sanctorum indicatione, qui in futuro Iudicio cum Domino indicabunt, quorumque res abſtulit & diviſit, ante illud Iudicium, anima & corpore ſempiternis pœnis eſt deputatus, & recipit ſimul cum ſuis peccatis pœnas propter peccata omnium, qui res ſuas & facultates in honore & amore Domini ad Sanctorum loca in luminaribus divini cultus & alimoniis ſervorum Chriſti ac pauperum, pro animarum ſuarum redemptione tradiderāt. Qui in ſe reverſus* (Eucherius, ſcilicet) *S. Bonifacium & Fulradum Abbatem monaſterij S. Dionyſij, & ſummum Capellanum Regis Pippini ad ſe vocavit, eiſque talia dicens in ſignum dedit, ut ad ſepulcrum illius irent, & ſi corpus ejus non reperiſſent, ea quæ dicebat vera eſſe concederent. Ipſi autem pergentes ad prædictum monaſterium, ubi corpus ipſius Caroli humatum fuerat, ſepulcrumq; illius aperientes, viſus eſt ſubito exiſſe draco, & totum illud ſepulcrum interius inventum eſt denigratum, ac ſi fuiſſet exuſtum. Nos autem illos vidimus, qui uſque ad noſtram ætatem duraverunt, qui huic rei interfuerunt, & nobis vivâ voce veraciter ſunt teſtati, quæ audierunt atque viderunt.* Tum nonnullis interjectis. *Hanc etiam relationem & in Scriptura habemus, & quidam noſtrum etiam viva voce Dominum Ludouicum Imperatorem patrem veſtrum referre audiuimus.* Hæc Veteres illi duarum Provinciarum Epiſcopi, quorum pars erant Hincmarus Remenſis & Wenilo Rotomagenſis, nobiliſſimi illius ævi antiſtites. Eadem narrant tum Flodoardus Remenſis, qui A. D. 966. Chronicon ut ipſe teſtatur ſeptuagenarius abſoluit, tum ſcriptor vitæ Eucherij * vetuſtiſſimus & ex Surio Eucherij æqualis,

c. 7 p. 181 habe ur inter Capitula Carol. Ca ui Tit. 25. & Conc. Gall. T. 3 p. 122. & Op. ſ. Hincmari T. 2. p. 326.

Ibid. p. 183.

Hiſt. Rem. l. 3. c. 12. & Chron extrem.

** Apud Sur. d. 20. Febr.*

æqualis, & auctor vitæ Rigoberti Remenſis Epiſcopi. *Ibid.d.4.Ianu.* Et hanc tamen tot tantiſque illorum temporum auctoribus firmatam relationem meram eſſe fabulam, non tantum ipſe rei apparatus, ille ex imo monumento crepens draco, illa tumuli, velut exuſti, nigricans ſpecies, omnia ad mendacij pompam ac ſpecie ni adornata ſuadent, ſed etiam alia non pauca evincunt; Quale illud eſt in primis quod iſti, præter Scripturæ auctoritatem, hominem, etiam corpore, apud inferos ante ultimum Iudicium cruciari fingunt. Tum & quæ narrantur pugnant cum hiſtoriæ veritate. Nam qui hic corpore & anima in æternum damnatus dicitur Carolus, is princeps fuit & religione & cæteris bonis artibus florentiſſimus, à Gregorio III. P. R. ob pietatem laudatus, unicum illis temporibus rei Chriſtianæ columen, cujus in *Epiſt.ad Boniface.quæ habetur apud Sur. in Bonif.l.1.c.32.d.5.Iun.* victa manu cæſæ ſunt uno & altero prælio Maurorum innumerabiles copiæ, depulſumque à totius Europæ cer vicibus Mahumediſmi jugum. Sed & qui teſtis inducitur Ludovicus, adeo neſcivit quod iſti calumniantur, ut aliud diſertè affirmet. Nam in Epiſtola ad Hilduinum, ſummo quod decuit, cum honore de Carolo proavo ſuo loquens ait, *eum decurſo mortalitatis tempore, quod carius potuit habere depoſitum, corpus ſcilicet proprium in magni die judicij ſuſcitãdum & animam Domino præſentandam fideliter Dionyſio commendaſſe.* *Extat in Areopag. Hilduini ante Vit. Dionyſ.d.9. Octob.apud Sur.* Quid? quod & Bonifacius, unus, ut iſti volunt ex revelationis teſtibus, quo loco ipſam illam Caroli in bona Eccleſiaſtica licentiam exagitat, & pœnas quibus eam Deus ultus eſt exaggerat, nihil de iſtis monſtris memorat, quæ quo erat ingenio, omiſſurus profectò tali loco non fuit, ſi quid ejuſmodi vel vidiſſet, vel audiviſſet unquam. Tantùm ait Carolum *longa torſione & verenda morte conſumptum* eſſe. *Epiſt.ad Ethelbald.M.r. reg m.* Habet quidem & hoc de ſpiritu monachali aliquid, eſtque, ſi non falsò, certè temerè & malignè dictum. Falsò inquam, nam vetuſtiſſimus vitæ Pippini Ducis, apud Cheſnæum, ſcriptor, tradit Carolum, non quod affirmat *T.1.Script. Franc.p.599.*

iſte Bonifacius, *longa torſione & verenda morte conſumptū*, ſed placidè & optata morte compoſitum fuiſſe, his verbis. *Poſt multiplices alias & inſignes victorias, quas ob prolixitatis faſtidium ſilentio ſupprimo, diuiſit regnum duobus filiis ſuis, ac deinde bellicoſiſſimus ac victorioſiſſimus princeps IN PACE quievit.* Et manuſcriptus Bibliothecæ Alexan-
Ibid. p. 710. B. dri Petavij Codex, *Carolus* (inquit) *Princeps Pariſiis baſilicam S. Dionyſij Martyris multis muneribus ditavit. Veniens Carriacum* (leg. *Cariſiacum*) *Villam palatij ſuper Iſiram fluvium valida fibri correptus obijt. Obtinuit principatum annis* 27. Denique Fredegarius Scholaſticus, in Chronico
Ibid. p. 740. A. quod Childebrandi Pippini Regis patrui iuſſu, adeóque proximis poſt Caroli obitum temporibus ſcripſit, narrat eum cùm *in villa Verinbrea* (al. *Vermeria*) *ſuper Iſſara fluuio ægrotare cœpiſſet, ditata multis muneribus Pariſienſis S.*
Ibid. p. 772. A. *Dionyſij baſilica, venientem Cariſiaco, villa palatij ſuper Iſſaram fluvium, valida febre correptum obiiſſe IN PACE, cunctis in gyro regnis acquiſitis cùm regiſſet utraque regna annos* 25. Hæc profectò mors non *verenda*, quod ait Bonifacius, ſed felix & optanda potiùs fuit. Sed fac Carolum *longa* illa *torſione* (cujus nulla in iſtis hiſtoricis apparent veſtigia) *conſumptum*, quod vult Bonifacius, fuiſſe, ne ſic quidem à temeritate purgari poteſt malignum ejus Iudicium, qui in divinorum judiciorum abyſſum parum reverenter irrumpens, maximi Principis letalem morbum ſic interpretatur ac ſi ei ob violata Eccleſiarum bona inflictus fuerit; quaſi nō quotidie *longa torſione conſumi* videamus etiam pios & ſanctos viros, quorum non modo à ſacrilegio, ſed & à cæteris gravioribus criminibus vita omnis immunis fuerat. Deo ſuorum judiciorum plerumque humanis ſenſibus imperſcrutabilem rationem committi decet. Itaque illa Bonifacij, de morte Caroli, verba morbum animi iſtis ſolennem produnt; quo ut mortales à ſuis tangendis bonis deterreant, quidvis ſolent in eos comminiſci; quos ſua vel leviter libaſſe ſuſpicantur. Quid ergo ſic affectus in Carolum fuit, dubitandum

randum non eſt quin ſi cum reſciviſſet corpore & anima ob violatas Eccleſiæ opes *æternaliter damnatum*, id in primis hoc loco commemoraturus fuerit. At ille nihil hujuſmodi hic narrat. Ergo, neque eum quicquam ejuſmodi ſciviſſe (quod mentitur ſuperior Epiſcoporum relatio) clarum certumque eſt. Sed & ipſe Eucherius, qui præcipuus totius relationis auctor fuiſſe fingitur, quo tempore Carolus in æde Dionyſii ſepultus eſt; jam pridem ipſe mortuus erat; ut neque in ecſtaſin rapi, neque ea quæ viderat Bonifacio & Fulrado narrare, neque ut Principis ſepulcrum explorarent jubere potuerit. Conſtat enim ex Eucherij vita ipſum annis vel 14. (quod ponit Molanus) vel certe decem (quod vult Baronius [a]) ante mortuum eſſe quam Carolus vivere deſierit; cujus mortem A. D. 741. contigiſſe certa fides eſt. Denique & illud quoque falſum eſſe liquidò deprehenditur, quod diſertè habet eadem relatio, *Fulradum Abbatem ſummum Capellanum Regis Pippini ab Eucherio ad ſe vocatũ fuiſſe.* Cum enim conſtet Pippinum regis nomen, decimo demum poſt Caroli Patris obitum anno Domini 751. ſumpſiſſe, fieri non poteſt ut ante illud tempus Fulradus ſummus Pippini Regis Capellanus fuerit, ut Eucherium, ſi quid cum illo Regis Capellano geſſerit, planè neceſſe ſit poſt A. D. 751. vixiſſe, quod immane eſt, & ab omnium veterum ſcriptorum rationibus alienum mendacium. His rationibus (quas ex iis pleraſque collegimus) victi non modò Pithœus & Sirmondus [b], ſed & ipſe Annalium parens Baronius [c], totam hanc Epiſcoporum de Caroli damnatione narrationem fabuloſam eſſe & confitentur & probant. Sed ut noris quam ſit φιλόμυθον iſtorum genus, falſiſſima iſta relatio tota etiam hodie legitur in Decreti Gregoriani novis annotationibus [d]; ac ne noſtra quidem memoria defuit Theologus [e] qui optimam fabulam ſibi de manibus eripi doleret, ac penè indignaretur; & tametſi nihil haberet quod ad clariſſimas Baronij Sirmondique rationes reponeret,

a *Vide Baron. A. D. 741. §. 18.*

b *Ad cap. Car. Calv. c. 7.*

c *A. A. D. 741. §. 18. 19. 20. 21.*

d *Ad. cauſ. 16. q. 1. c. 59.*

e *Colvenerius not. ad Flodoard. lib. 2. c. 12.*

negaret tamen ea conuellenda, quæ ex Patrum ſcriptis, maximè ex Synodorum Actis, habentur, quaſi mendacium uſpiam ſit ferendum. Sed iſtum quidem plorare, ſuaque crepundia deflere ſinamus. Nos quod ſacra rerum ipſarum veritas jubet, quod Pithœus, quod Baronius, quod Sirmondus, viri ampliſſimi atque celeberrimi conſentiunt, conſtituamus, bonos illos Remenſis ac Rotomagenſis provinciarum Epiſcopos hanc fabellam, aut (quod veriſimillimum eſt) finxiſſe ipſos, aut certè ab aliis ejuſdem ſeculi ac genij hominibus confictam temerè excepiſſe, exceptamque ad illuſtriſſimi & glorioſiſſimi Principis infamiam inhumanè ſparſiſſe, & uni ex ipſius nepotibus Ludovico ſanè parum verecundè narraſſe: Ita omne illis judicium, omnem modeſtiam ac pudorem, omnem denique humanitatem eripuerat acerrimum quoddam opum (ut vocant) Eccleſiaſticarum ſtudium, ad quas ab omni Principum injuria tuendas & confictum & avidè diſſeminatum fuiſſe apparet Tartareum iſtud commentum. Extant in illorum ſeculorum libris aliæ ſexcentæ ejuſdem furfuris impoſturæ: Tu ab una, diſce omnes; quas ſigillatim recenſero neque hujus loci, neque noſtri inſtituti eſt. Illud quidem non videtur omittendum, Monachorum Bedictini inſtituti (qui diu in Occidentali Eccleſia viguerunt, ac penè regnarunt) jampridem in hoc rerum genere ſublеſtam eſſe fidem. Ex eorum enim officina multa ſuppoſititia jam olim prodierunt, è quorum numero impiimis eſſe videtur Sancti Medardi Sueſſionenſis Monaſterij privilegium Gregorio P. R. I. affictum, è quo nunc Baronius & Bellarminus ſui in Reges Pontificis poteſtatem aſtruere non dubitant. Id vero quam ſit falſum, & à Gregorio alienum, ut cæteros taceam, luculentiſſimè demonſtravit Blondellus noſter in opere de Spuriis veterum Paparum Decretalibus. Sed inter Benedictinos jam ante multa ſecula exarſit de ſui auctoris corpore controverſia, quæ quo ipſi ſint ingenio abundè patefecit.

A.D 593 ſ.85 l.5. de Pont. R. c.8. & de poteſt. Pontif in temp. cap. 40. ſ 647. ad p. 665.

fecit. Benedicti enim corpus ex Caſſinenſi Monaſterio in Floriacenſe ad Ligerim olim tranſlatum, ibidemque adhuc quieſcere, contendunt Galli plerique illius ordinis fratres. Itali contra pugnant id in Caſſinenſi Monaſterio & fuiſſe ſemper, & nunc etiam ſeruari. Noſtri Pauli Diaconi, & Adreualdi, antiquiſſimorum monachorum, traditione ſe tuentur; Itali Leonis Hoſtienſis teſtimoniis nituntur. Magnis utrimque contentionibus res agitur. Multa Paparum & Principum reſcripta ac diplomata afferuntur. At noſtri quidem quæ ab Italis in rem ſuam eduntur Benedicti VIII. Alexandri II. Vrbani II. & Zachariæ Pontificum Romanorum bullæ, eas falſas confictaſque & abſurdis ſcatere dejerant, ipſumqueLeonem Hiſtorienſem qui a 1112. floruit *mendaciter eſſe loquutum* affirmant, & *Caſſinenſes Monachos mendacij falſitatis & impoſturæ* inſimulant. Itali in noſtros ſimilia ſpargunt, eoſque viciſſim fraudis & Sophiſtices accuſant. Fieri poteſt ut utrique mentiti fuerint, ut neutri non poteſt. Sed & nuper, in re pene nihili, apparuit quàm ſit promptum ad fingendum iſtorum ingenium. Vt enim ſuo ordini aſſererent opuſculum *de Chriſti imitatione*, quod vulgò ſub nomine Thomæ à Kempis circumfertur, ſparſerunt eſſe Romæ apud ſuos aliquot manuſcriptos optimæ fidei codices, in quibus id opus Ioanni Gerſen Vercellenſi ſui ordinis Abbati inſcriberetur. Eruditiſſimus Gabriel Naudæus A. D. 1641. cùm eſſet Romæ, ſecum communicatos illos libros repetit ſodalis cujuſdam Benedicti ſcêlere corruptos fuiſſe ac vitiatos, & rei totius hiſtoriam, quod digna hominum memoria atque animaduerſione videretur, litteris ſimpliciter mandatam ad clariſſ. viros Puteanos Fratres huc miſit, quæ cum, poſt annos aliqnot, à Ioanne Frontone S. Genovefæ Canonico Benedictinorum adverſario eſſet publici juris facta; Benedictini tanto impetu Naudæum invaſerunt, tamque fœdis ac procacibus calumniis aſperſerunt, ut is coactus ſit jure apud Prætorem cum

Vide Ioan. à Boſco in Floriac. Biblioth. Vet. p. 1. & 366. & ſeq.

Chrō. Caſſinē. l. 2. c. 43. 47. & lib. 3. cap. 28. l. 4. c. 5.

Ioā à Boſq. ubi ſup. p. 365. 381. 384. 88. Sim. Mi'le... de trāſl. S. Benedicti p 881.

Matth. Lanr. Caſſin. Mon. l. de exiſt. corp. Bened. apud Caſſin.

Req. eſte de Naude.

cum iis experiri, totamque iniquitatis & fraudis eorum ſcenam aperire. Proſtant typis excuſæ multiplices ejus
Raiſens pariſ. toires. p. 23. ad 40. defenſiones, in quarum una allatis xx. argumentis ſive exemplis inſignibus ſu'è demonſtrat hoc Benedictinorum *proprium eſſe quarto modo* (ſic enim ille loquitur) *ut falſis, adulteratis, ac interpolatis documentis in omnibus ſuis negotiis utantur ac nitantur.* Ita Naudæus; à quo non abludit quod alter vir doctiſſimus, Theologus Pariſienſis, Ioannes de Launoy, quaſdam Pippini litteras è Sandionyſiano Benedictinorum Monachorum armario ſibi
Diſcuſſ. c. 10. p. 127. objectas refutans. *Tabularium* (inquit) *unde prodierunt, ſpuriarum chartarum & privilegiorum officina quondam fuit, ut conſtat legentibus Antiquitates S. Dionyſij quas Iacobus Dubletius in lucem emiſit.* Sed non ſoli Benedictini illa fingendi prurigine laborarunt. Rhenanus quidem certè Benedictinum fuiſſe non dicit, magnum illum, etiam gratis mentiendi artificem, de quo lepidam hanc hiſtoriolam narrat. *Quidam* (inquit) *ſuperioribus annis, quem adhuc*
B. Rhen. rerum Germa. l. 3. p. 161. edit. Baſil. a. 1531. *audio supereſſe. Beatum anachoretam Helveticum ut vulgus prædicat, Suetonium fuiſſe vocatum affinxit, illius vitam deſcribens, & ſocium habuiſſe cui nomen eſſet Achata. Adij hominem quæſiturus undenam id aſſereret. Putabam enim hæc illum abſque auctore non dicere. Sed audi impudentiam. Propterea* (inquit) *addidi Suetonium fuiſſe vocatum, quod legerem è Surdia prodiiſſe, & quia Æneæ Virgiliano fidus Achates ſemper adhæſit, ideo ſodalem illius hoc nomine donavi, alioqui anonymum futurum. Et tamen hæc hiſtoria, ſi ita vocare libet, non ſolùm picta eſt in templis ac ſcripta, ſed etiam typis excuſa.* Hactenus Rhenanus. Qui etiam gratis tam facilè mentiri ſunt, quid eos feciſſe putandum eſt, ubi ſpes fuit aliquam fore mendacij mercedem? Ieſuitarum, quibus nulli ſunt inter recentiores monachos nobiliores, non eſſe ſanctiorem aut religioſiorem in his fidem multa teſtantur, ut eorum proprium de æquivocationis uſu dogma, item illa publicè ab iis in Collegio Lovanienſi propoſita ac defenſa theſis. *Non eſſe peccatum, ſaltem lethale,*

detra-

detrahentis auctoritatem magnam,tibi noxiam,falſo crimine eliderej; & illud longè etiam horribilius dogma, *Licere clerico,vel religioſo,calumniatorem gravia crimina de ſe, vel de ſua religione ſpargere minātem,occidere,quando alius defendendi modus non ſuppetit.* Nam ſi iſti,quos homines ſuæ religioni adverſari vident, iis vel famam,vel etiam vitam ipſam eripere ſibi fas eſſe putant; quanto magis literas & chartas (res inanimes & mutas) fidei & Eccleſiæ, vel *noxias* abolere & immutare, uel *faventes* procudere & extrudere liberum eſſe exiſtimabunt. Sed Ieſuitarum de his ſenſum ipſa praxis clarè docet; cujus exempla & multa & inſignia videre eſt in concertatione quæ illis eſt cum iis Theologis qui vulgo *Ianſeniſtæ* dicuntur. Hi quidem nihil illis frequenriùs objectant quàm deſperatam quandam quidvis pro re ſua mentiendi fingendique licentiam ac (ut cætera mittam) iſta quæ vulgò nota ſunt, paſſim exprobrant. Ieſuitas contra Arnaldi de frequenti communione volumen epiſtolam falſo cujuſdam Atrebatenſis Officiarii nomine edidiſſe; Bullam Vrbani VIII. contra Ianſenii Auguſtinum falsò ſparſiſſe; anonymo Proteſtanti Miniſtro velut ad Sorbonicum Doctorem ſcriptam epiſtolam prodigioſis mendaciis ſcatentem affinxiſſe, ac publicaſſe; item Inquiſitionis Romanæ decretum pro authentica Innocentis X. in Catechiſmum de gratia cenſura A. D. 1650. inverecundè diſſeminaſſe, & ſuam Ianſenianæ doctrinæ expoſitionem Theologis Portus Regalis (id eſt Ianſeniſtis ipſis) nullo pudore affictam & ſuppoſitam ſub *Manifeſti* nomine vulgaſſe. Quo fit ut Ianſeniſtæ meritò metuendum dicant, ne quod nunc illorum proprium eſt Ieſuitarum nomen; id *in poſterum in analogiam eorum commune evadat quicunque fabulas fingunt vel falſas hiſtorias narrant.* Huc accedit quod hujus generis fabulis etiam qui non credunt favent tamen. Narrat Mariana notiſſimus Ieſuita Germanicum quendam centurionem, ob violata miſſæ ſacra, ſubito *dirupis effuſiſque viſceribus*

Id paſſim Ieſuitis objicitur à Ianſeniſtis.

Fr. Amicus Ieſ. T. 5. diſp. 36 ſect. 7. num. 118 edit. Duac. a. 1642.

Reflexion ſur un decret de l'inquiſit. & alibi paſſim.

Innoc. & verité defendue cōtre Briſacker. a. 1652 p. 51.

Reflex. p. 18.

Remonſtr. aux Ieſuites touch. un libelle a. 1651. p 8. Reflex. p. 14. 15.

Remōſtr. &c. p. 8. & toto opere.

Innoc. & verité. &c. p. 57.

Hiſt. Hiſp. l. 30. c. 15. p. 605.

Iudæ inſtar periiſſe. Sed parum licet ſibi comperta, ait *intereſſe publicè ut credantur*. Et alibi quas noſtri ſcriptores memorant alternas Bonifacii P. R. 8. & Philippi Regis epiſtolas, quod eæ ad Papæ dignitatem parum faciant, *intereſſe* ait *ad exemplum ut falſa eſſe videantur*. Intereſt ſcilicet humani generis, ut vel quæ falſa fictaque ſunt, pro veris, vel quæ vera certaque ſunt, pro dubiis ac falſis habeantur. Multa idem in Hiſpanicis hiſtoriis ejuſdem generis inſperſit, à veteribus quidem tradita, ſed incredibilia & ab omni veri ſpecie abhorrentia; quod ne ipſi fraudi apud Lectorem eſſet non plane ſtultum, quaſi ea qui facundè tradit vera quoque eſſe crediderit, hanc ſuſpicionem occupandam ratus, non alicubi diſertè monet, *ſe multo plura tranſcribere quàm credere*. Quod autem talia non credit, ratio, ut opinor, hæc fuit, quod non putauit eſſe cordati hominis ea credere, aniléſque (ut loquitur) *fabulas* pro veris habere. Et hic tamen publicè intereſſe cenſet, ut hæc credantur; credíque ipſe à lectoribus cupit; qui, ni fallor, ea credi optavit, quæcunque credi publicè intereſt. Vnde videtur conſequens eſſe, ut lectores ſuos ſtultos eſſe cupiverit, ut ea ſcilicet quæ ipſe tradit quidem, non tamen credit, illi pro veris certiſque habeant. Hic vero inſigni quodam Romanæ fallaciæ exemplo fraudandum lectorem non puto; quo imprimis docemur, quanta ſit iſtorum & in corrumpenda rerum geſtarum memoria, & in fingendis pro libidine ſuæ cauſæ documentis tum audacia, tum vafrities. Meminiſſe adhuc poſſumus quotquot paulo provectioris ætatis ſumus, quanto cum animi ſui dolore Paulus P. R. V. Venetos quos paulo ante proſcripſerat, ac ſacris interdixerat, in communionem ſuam nulla neque præſtita, neque pacta ab iis ſatisfactione, quadam rerum ipſarum neceſſitate compulſus, ſimpliciter, redintegrarit. Sed ne inglorium hoc fœdus & ſibi, & ſedi ſuæ probro, uel etiam detrimento ſit, ex quo ſcilicet patet fulmina Vaticana impune

Ibid. l. 15. c. 6.

Ibid. l. 10. cap. 4

pune aliquando contemni; nunc audi quibus artibus & rei,& famæ ſuæ maturè proſpexerit, jam tum clam & in angulis ea molitus, quibus olim omnis rei geſtæ veritas nullo negotio à ſuis disjici, ac plane ſubuerti poſſit. Primo ergo ad Cardinalem Ioiiſam (cujus ex Regis Henrici IV. mandato atque auctoritate præcipuæ erant in omni hujus reconciliationis negotio partes) *Breve* quoddam (ut vocant) nomine ſuo datum ordinavit; quo facultatem ſcilicet illi concedit Venetos ab excommunicatione, & cenſuris abſoluendi. Tum Paulum quemdam Catellum, Apoſtolicum Protonotarium in Ioiiſæ comitatu Venetias ſummiſit, qui iſtic clanculum cum paucis ſceleris conſciis quam potuit verſutiſſime tria quædam inſtrumenta; proximè ad verum efficti's rerum, temporum, ac perſonatum circumſtantiis, confecir. In primo præter verum, contra omnem hominum præſentium fidem narrat Venetos à Ioiiſa interdicto, & cenſuris rite exſolutos, addita lege, ut pœnitentiam pro Confeſſarii arbitrio imponendam luerent; eamque *Ducem*, & *Conſiliarios*,& *Sapientes* Venetos humiliter accepiſſe. In altero fingit Clericos aliquot, qui in publico carcere iamdudum Senatus auctoritate, captiui attinebantur, eodem tempore liberates Claudio neſcio cui Montano Papæ miniſtro à Marco Ottobono Reipublicæ Secretario ſimpliciter *abſque ulla proteſtatione*, *conditione*, *vel juris reſervatione* in manum fiſſe traditos. In tertio denique inſtrumento mentitur ſe ex ſacris Senatus *tabulis* * deſcripſiſſe quoddam de reuocandis monachis Senatuſconſultrum, qui ex ditione Veneta ob interdictum profugerant. Quatuor autem hæc ſcripta Romani homines neque tunc, neque annis proximis lucem aſpicere paſſi ſunt, quod ea intelligerent recenti adhuc rerum memoria facile poſſe coargui. Sed ita confecta clam apud ſe in tenebris eo animo, ut apparet, ſeruant,ut olim, cum ſublatis paulatim omnibus rerum illarum teſtibus, ac monumentis opportunum erit, repen-

* *Il Regſtro del Pregadi.*

tè ex ſuis ctyptis prodeant, & fidem apud homines nacta poſteris perſuadeant Venetum negotium Paulo ex voto & ex dignitate Romana ceſſiſſe, ſcriptorumque, qui ſecus tradunt, narrationem vel planè labefactent, vel certè ſuſpectam reddant. Hæc ego ex manuſcripto hominis Veneti, civis optimi, atque integerrimi commentario habuit; qui ipſis illis temporibus, cum de hac iſtorum fraude certior eſſet factus, rem dignam obſervatione ſua putavit, & pro ſua in patriam caritate argumento ſatis multa in ſuam illam diſſertationem conjecit, quibus hæ iſtorum impoſturæ ſiquando ex angulis emergere, & caput attollere audeant, facile patefieri, ac refelli poſſint. Atque hæc quidem hactenus; ex quibus velut ex quodam ſpecimine ſatis jam conſtare arbitror, pleroſque vulgo mortales, præſertim Clericos & Monachos Latinos ab octavo ad nos uſque ſeculo ſenſiſſe fas eſſe quædam confingere, mutare, & interpolare, ſi quando id ad ſuæ religionis emolumentum conferre videretur. Itaque cum quidquid habemus veterum librorum non ab aliis, quàm ab iſtis habeamus: ego non tam mirandum puto, quod plurima nunc veterum nomine circumferantur, partim falſa & ſuppoſititia, partim vitiata & corrupta quàm quod aliqua, licèt pauca, vera & ſincera ad nos pervenire potuerint.

Equidem ſcio viros doctos penè innumerabilia ejuſmodi ſcripta obſervaſſe, & in editionibus quas adornarunt ut plurimum in poſtrema volumina rejeciſſe, & de hoc argumento libros totos compoſuiſſe, quales ſunt Apparatus Antonij Poſſevini, Catalogus Bellarmini, Medulla Patrum Sculteti, Criticus Sacer Riveti, Cenſura Roberti Coci, & alij ejuſmodi, ab utriuſque religionis hominibus editi. Sed quis fidem faciet nullum ab iis omiſſum. Adde quod novus hinc accreſcat, labor, ſuperiore haud multa levior, in tot ſcriptis recentibus evolvendis. Sed nec ſine examine admittenda ſunt omnium judicia, cùm enim ad ea ferenda, partium,

quibus

quibus enutriti fuerant, plerique attulerint anticipatas opiniones, quis pro iis fide jubebit? quis eos affirmabit nihil partium ſuarum ſtudio & gratiæ dediſſe? Hujus ſuſpicionis adeo evidens ratio eſt ut neminem, vel tantillum in his controverſiis verſatum, eſſe putem, qui ejus à me probationem ſit quæſiturus. Quam vera iuſtaque ſit noſtra hæc ſuſpicio ſatis, ut alia taceam, docet ipſe judiciorum conflictus, dum hi paſſim tanquam genuina admittunt, quæ illi tanquam adulterina exautorant & repudiant. Neque de his illi modò diſſentiunt qui aliam atque aliam religionem ſequuntur. Earumdem etiam partium Theologi ſæpe de iſtis inter ſe certant. Pontificii Theologi quos ſupra retulimus maximam partem Decretalium antiquiſſimis Romæ Epiſcopis affictarum explodunt. Turrianus pro iis omnibus tanquam pro aris & focis pugnat, & de hoc argumento ingens volumen condidit. Baronius Recognitionum libros Clementi Romano tributos tanquam *cœnoſum gurgitem protentoſis mendaciis & inſanis deliriis refertum* improbat & procul rejiciendum non dubitat. Bellarminus contrà; libros iſtos, vel Clementis Romani, vel alterius æquè docti ac antiqui eſſe dicit. Sunt qui fragmenta Hilarij quæ Nicolaus Faber edidit pro genuinis & legitimis habeant; non deſunt qui repudient. Eraſmus, Sixtus Senenſis, Melchior Canus, Baronius librum de nativitate B. Virginis Mariæ falſo tribui Hieronymo exiſtimant. Chriſtophorus à Caſtro Ieſuita Hiſpanus, aliter ſentit. Cardinalis Cajetanus, Laurentius Valla, Eraſmus, & nonnulli alii libros Dionyſii Areopagitæ pro dubiis & incertis habent. Baronius & alii fermè omnes de iis dubitari non ſinunt. Ieſuita Turrianus, Bovius & alij Conſtitutiones Apoſtolorum pro indubitatis obtrudunt. Baronius, Poſſevinus, Petavius eas in medio relinquunt. Super hoc argumento ſexcenta occurrunt in Scriptoribus Pontificiis ejuſmodi judiciorum divortia. Si quis aveat exempla colligere legenti paſſim

Annal. s. 1. a. 91.

Bell. de l. E. arbitr. l. 5. c. 25.

erunt obuia, maximè apud Cardinalem Petronium qui, non minùs ab aliis in hac Critice, quàm in diſputandi methodo ſæpiſſime diuortium facit. Inter iſtas pugnantes ſententias conſtitutus quo ſe vertet? Quem curſum tenebit ſub ducibus tam parum inter ſe conſentientibus? Verum enimuero fac iſtos nullis ſtudiis ductos, nullis præconceptis opinionibus præpeditos in id opus incubuiſſe, quis fide judebit tanto oneri pares, idoneiſque facultatibus inſtructos fuiſſe? An tu cujuſuis eſſe putas Antiquitatem uniuerſam veluti in catinum fuſorium excoquendam conjicere, ſpurcitiamque & ſcoriam omnem, & recrementa, quæ non ſolum ei adderent, ſed quæ unà permixta in unum veluti cum ea corpus coaluere, detergere ac repurgare? Hoc verò opus magnum, ut liquet, virum requirit, qui ſit imprimis acerrimo ingenio ac planè defæcato, naſo ſagaciſſimo, oculis perſpicaciſſimis, auribus puriſſimis, qui omnem & Eccleſiæ & ſeculi cum veterem, tum recentem hiſtoriam ad unguem calleat, qui linguas eruditorum omnes, atque diſciplinas accuratiſſimè didicerit, qui & ſcriptores omnes veteres, medios, recentes, diuturno ac indefeſſo ſtudio pervolutarit, qui ſingulorum os ac vultum, venam, ut ſic dicam, ac pulſum familiariter norit, inuentionem, diſpoſitionem, elocutionem diligenter obſeruarit (ſingula enim ſecula, ſingulæ nationes, ſinguli ſcriptores, habent proprios characteres & aliquid ſingulare) ut ex his omnibus certum de iis judicium ferre queat. Vix ſeculum integrum hujuſmodi homini condendo ſatis ſit. Qui verò noſtris temporibus in hoc argumento verſati ſunt nemo non videt eos ad id operis pleroſque acceſſiſſe vel ab omnibus his, vel certè à pleriſque partibus imparatos. Sed eſto; Præſta ſit vir aliquis harum rerum peritiſſimis, qui ſe ad opus tantum ab omni parte paratus accingat. Ille (fateor) fraudem facile odorabitur, ſi incidat in craſſum & plumbeum impoſtorem, qui ſcriptoris, quem ſimulare, ac ementiri inſtituit, typum, formam, colorem

colorem & pondus inepte, ac pingui Minerua expreſſerit; Exempli gratia, ſi Hieronymo aut Chryſoſtomo balbutiem aut ſermonis infantiam adſcripſerit; ſi ſtilum barbariſmis, incondita Latinitate, aut putido Helleniſmo reſperſerit; ſi in loquendi formulis, ſiue in rebus ipſis, ſiue etiam in allegatis authoribus ea quæ non niſi longo poſt tempore in uſu fuerunt, adhibuerit: ſi ab eo, quod fingit, ſæculo aliena argumenta uſurpauerit; ſi auctores ſecum pugnantes induxerit, ſententiáſque non ſuas iis tribuerit; qualia fuere pleraque Scripta, quæ noſtri Critici & Cenſores hactenus proſcripſere. Sin res ſit cum elaborato vafri & ingenioſi artificis opere, qui linguam, qui res geſtas, qui arcana, mores, cognationes, inimicitias eius familiæ in quam irrepere ſatagit, ad unguem didicerit, qui omnia cum arte adhibuerit; pro certo affirmare auſim noſtrum Ariſtarchum in huiuſmodi fraude detegenda haud minus ſudaturum, quàm in conuincendis Martini Guerræi impoſturis in Gallia olim laboratum fuiſſe accepimus. Cur autem fiat veriſimile, inter tot veteratores qui variis de cauſis, tanto ſtudio in confingendis & ſupponendis libris operam poſuerunt, non extitiſſe tot ſeculis aliquos, & eos quidem non paucos qui tanta arte ſtilum & ingenium transformarint, & perſonam alienam induerint, ut fucus nemini patere queat? Cùm præſertim ea nomina uſurpare potuerint, quæ cùm ex authoribus ipſis ſola in hominum memoria ſuperſint, nec veſtigium nec indicium ullum præbere poſſint vel ſtili, vel ſententiarum quarum in hoc examine uſus eſſe poſſit. Qua quidem in re eum qui Dionyſio Areopagitæ opera ſua ſuppoſuit prudentiſſimum fuiſſe iudico. Cùm enim Auctoris illius ſcriptum nullum certum & indubitatum ſuperſit, quocum furtum illud conferri queat fallacia vix reuinci poteſt; qnod ipſum longè difficilius futurum erat, ſi auctor genus orationis medeſtius humiliùſqne ſecutus eſſet. At cùm Hieronymi, Cypriani, Auguſtini, & ſimi-

lium plurima genuina & indubitata ſcripta habeamus, ſi qui eorum nomina ementiti ſint, & ſola collatione ſtili, nullo negotio, fraus retegitur. Gothicis quippe ſemiferiſque ingeniis in adumbrandis magnorum virorum lepore & elegantia non fœlicius ceſſit quàm aſino (quod aiunt) ad Lyram. Poſtremo neque illud hoc loco omiſerim, quod quicquid illud eſt ſubſidii, quod ad dijudicanda inſcripta antiquitati monumenta conferre nobis poſſit recentiorum ſcriptorum induſtria, id magna ex parte Inquiſitorum & Cenſorum Latinorum vi, atque inſidiis intervertitur. Hi enim Proteſtantium primo labores, qui non pauci de hoc argumento diligentiſſimè diſputarunt, ex ipſo auctorum nomine damnatos, ſtudioſiſſimè exurunt, & quacunque peſte poſſunt ex hominum manibus, ac ſinu excutiunt; Tum ne ſuis quidem parcunt; & ſiquid in eorum lucubrationibus offendant, quod ſuæ de Patrum ſcriptis falſo ut plurimum præiudicatæ opinioni adverſetur, id ſtatim expungunt, ac ne in lucem exeat, ſedulo cavent; cuius rei illuſtre imprimis exemplum à Ioanne Rainoldo * iampridem obſervatum referre non pigebit. Antonius Contius nobilis apud nos in Schola Bituricenſi Anteceſſor Annotationes in ius Canonicum ſcripſerat. Cum eæ A. D. 1570. Antuerpiæ Plantiniani typis excuderentur, tota operis Præfatio ideo prætermiſſa eſt, quod in ea Contius multis, iiſque claris rationibus demonſtraret falſas eſſe omnes epiſcoporum, qui Romæ ante Sylveſtrum ſederunt, decretales (ut loquuntur) epiſtolas. Si rogas, unde id conſtet; ipſum opus capite licet truncatum, & ſuam iniuriam, & alienum ſcelus loquitur. Accidit nimirum, ut Cenſor præfationis à ſe expunctæ immemor per incogitantiam (neque enim omnia corruptores & mendaces meminerunt) annotationem quandam intactam dimiſerit, in qua nos Contius rem totam docet, diſertè ibi ſcribens *multas ſe in præfatione rationes adduxiſſe, quibus omnes Pontificium, qui Silveſtrum præceſſerunt, decretales*;

* *Colloq. cum Hart. c. 8. p. 307.*

Cont. in d. 16. c. Septuaginta

tales falſas eſſe manifeſtè oſtendit. Hæc ſcilicet Latino Cenſori inuiſa veritas miſero ſcriptori operis ſui capite, magna lectoris fraude, luenda fuit. Rainoldus per amicum à Plantino quæſivit, cur Contiana præfatio non ſit edita? an ſuperſit? liceret-ne ipſam videre? Plantinus pro ſuo candore reſponſit, cenſorem non permiſiſſe, ut ederetur; neque ſe meminiſſe, quid eâ factum fuerit. Sed neque in his ſtetit Cenſoris impudentia. Satis ei non fuit præclarum viri doctiſſimi de epiſtolarum falſitate teſtimonium mendaci ſpongia delere; niſi eidem inſuper diuerſam de earum ueritate ſententiam immani pefirdia affingeret. Hanc enim in ipſo illo Contii opere annotationem ſcribi, excudique curauit, qua auctorem ea ipſa refellentem inducit, quæ ſe multis rationibus manifeſtè demonſtraſſe ipſe in alia operis parte ſancte teſtatus erat; *Scio quoſdam* (inquit in illa fictitia annotatione *(iſtorum Pontificium à Petro proximè ſequentium decretales falſi inſimulare. Sed majorem ab his probationem re-* *Apud Contiū in d.11.c. Cleros.* *quirerem, cum & in omnibus quotquot extant canonum corporibus ab Iſidoro ex libro Damaſi urbis Romæ epiſcopi collectis hæ reperiantur* Atque ita Contium Cenſor Romanus adulterauit; perfidiáne, an amentia majori, incertum. Eraſmi Annotationibus in Actus Apoſtolorum locus erat de iis libris, qui Dionyſii Areopagitæ nomine circumferuntur, luculentiſſimus; in quo eos negabat eſſe Dionyſii; idque *Annot. in Act. c.17.34. in quibus & Dionyſius.* & uirorum doctorum teſtimonio, & rationibus non paucis firmabat, & præter alia non pauca, hæc etiam habebat; *Mihi*(inquiebat) *non videtur priſcis illis temporibus tantum fuiſſe Chriſtianis cæremoniarum, quantum illi deſcribit. Deinde mirum ſi tā priſcus auctor fuit, & tam multa ſcripſit, à nemine veterum ſeu Græcorum, ſeu Latinorum fuiſſe citatum; non ab Origene, non à Chryſoſtomo, ne ab Hieronymo quidem; qui nihil intentatum reliquit. Quin & Gregorius ipſe, vir probæ fidei, citās hujus litteras, non indicat eum fuiſſe Dionyſium Areopagitam. Porro cū in Eccleſiaſtica hiſtoria multa fiat mentio de libris Dionyſij Corinthiorū Epiſcopi, non eſt probabile taci-*

*turum fuiſſe Euſebium de tanto Pauli diſcipulo, ſi tantū voluminum reliquiſſet. Hieronymus in Catalogo ſcriptorum illuſtrium unum, aut alterum Dionyſium recenſet, hujus libros nō recenſet. Laurentius * indicat fuiſſe ſua ætatis doctiſſimos viros, qui judicarint eos libros eſſe Apollinarii. Tametſi eius nominis duos commemorat Hieronymus alterum Hieropolitanū Epiſcopum, qui floruit ſub M. Antonino ſecundo; alterum Laodicenum in Syria Epiſcopum, neutri tamen hujuſmodi unquam tribuit operum. Neque enim opinor, hæc Apollinari hæretico tribuēda. Ante complures annos, ut memini, vir incōparabilis Gulielmus Grocinus, ut Theologus ſūmus, ita in nulla diſciplina non exquiſitè doctus & exercitatus, auſpicaturus Londini in æde D. Paulo ſacra enarrationem cæleſtis Hierarchiæ, meditata præfatione multū aſſeueraurit hoc opus eſſe Dionyſii Areopagitæ, vehementer deſtomachans in eorū impudentiam, qui diſſentirent. At idem priuſquam operis dimidiū confeciſſet, ubi guſtum attentiùs cepiſſet, ingenuè coram auditoria faſſus eſt ſibi verſo calculo nō videri id opus eſſe Dionyſij Areopagitæ. Demiror autem cur*, &c. Hæc quidem Eraſmus jampridem & doctè, & ſapienter & facunde, ut ſolet, ſcripſit; ſed fruſtra tamen (pleriſque quidem certe lectoribus) ſcripſit. Hunc enim locum, ex quo ſapere & veriora intelligere poterant, totum optima fide expunxerunt librorum novi de Hiſpania non cenſores, ſed tortores, & carnifices cenſura in Tomum VI. Eraſmi; Annotat. in Actus Apoſt. *cap. 17. ad verba illa*, In quibus & Dionyſius, *p. 312. à medio poſt illud, ἐν οἷς, dele uſque ad illud pag. ſeq ſui initium*, Demiror autem cur, *excluſ.* Lata ſemel hac ſententia nullus in omnibus prouinciis, in quibus iſti Biblomaſtiges longè, làtéque imperitant, reperitur Eraſmi codex, in quo non ſit eraſa illa de pſeudo Dionyſii libris obſervatio. Cum vero illi in cæteros ejuſdem generis ſcriptores, quorum de dubiis veterum libris diverſa eſt à ſua ſententia, pari immanitate graſſentur, eorumque judicia vel mutent, ut Contii, vel deleant, ut Eraſmi; vides quam exiguum nobis

* *Vallā ci. in.*

Ind. Expurg. Sand. val. ... D in Def. Eraſmum, in T. 6.

ſupeſit in recentiorum labore ac diligentia adverſus antiquitatis adulteratores præſidium.

Iam ad veteres ipſos veniamus; ex quorum cum luce, tum induſtria fateor nobis ſuggeri quæ in hac inveſtigatione viam complanent, & longè maximi uſus eſſe queant. Veteres enim ipſi nonnunquam de aliis Eccleſiæ Scriptoribus agunt, qui ſiue ſuo tempore, ſiue ſuperiore vixerunt. Inter Latinos Hieronymus Authorum Eccleſiaſticorum, qui àb Apoſtolis ad ſua uſque tempora ad cognitionem ſuam venerant, Catalogum prætexuit, quem Gennadius continuauit. Addo his temporibus editam, cum nulla alia conferendam, Photii Patriarchæ Bibliothecam in qua vir ille magnus ſentiam ſuam de Scriptorum Eccleſiaſticorum Græciæ maxima parte nobis exponit. Iſtius autem ſubſidij duplex poteſt eſſe uſus. Alter ad libri approbationem, ſi ejus mentionem faciant; alter ad rejectionem, ſi de eo ſileant. Prior ex authorum qui librum qui in dubium vocatur probant, authoritate & conditione pendet, nam, ut ſupra monuimus & veterum nonnulli his artibus uſi ſunt. Alii quòd à conſiliis ſuis & propoſito non eſſent alienæ, eas ab aliis adhiberi non inuiti paſſi ſunt, alij fraudes non olfecerunt, alii notas retegere, vel non potuerunt, vel quacunque ratione ducerentur, noluerunt. De iis qui ejuſmodi commenta edidere nihil repetam, qui verò alienatis fraudibus ac impoſturis fauerunt eorum exempla obuia ſunt. Iuſtinus, Theophilus, & alii ex carminibus Sibyllinis, quamuis proculdubio ſuppoſitis, argumenta, tanquam ex oraculis, petunt. Quoties Clemens Alexandrinus, veterum, judice Hieronymo, eruditiſſimus, allegat libros Apocryphos ſub Apoſtolorum & diſcipulorum nomine, quibus falsò tribuebantur? Nonne Barnabæ & Hermæ afficta citat? Nonne denique, quod & ſupra dictum eſt à nobis, in Concilio ſeptimo quædam ſub nomine Athanaſij, & alia non melioris commatis ſuppoſititia in medium prolata fuere? Patres autem non ſem-

Hier. ep. 84. ad Mag. T. 2. p. 507. D. Clem. Alex. Strom. l. 2. p. 144. 145. 1 A. Strom. l. 2. p. 136 & l. 2. p. 146. & alibi. paſſim.

per iis facultatis fuiſſe inſtructos, quibus omnes ejuſmodi fraudes poſſent retegere, quis in dubium uocabit, qui quanta ad hanc operam omnino neceſſaria ejus defuerint non ignorabit? Hieronymus ipſe Latinorum omnium, maximè in hoc eruditionis genere, doctiſſimus, quædam non rarò in medio relinquit, ueluti cùm de libro quodam Minutii fœlicis contra Mathematicos agens, ſubjungit, *Si tamen inſcriptio non mentitur auctorem.* Et alibi, quæcunque fuerit facti ratio, Pauli ad Senecam & Senecæ ad Paulum epiſtolas agnoſcit atque probat, quæ tamen Baronio & Bellarmino ſuſpectæ redduntur, & ſuppoſititiæ, quales re ipſa ſunt, cenſentur. Sed & ii ipſi qui ſcripta notha infamare potuerunt, id neglexerunt, uel ne authores ipſos in ſe prouocarent, uel ne iis libris authoritatem omnem abrogarent, quibus tamen utilia nonnulla, nihil uerò falſi, uel noxij, contineri arbitrarentur. Vnde fit ut præſtare exiſtimarent libros iſtos quorumdam manibus teri, quàm ſibi odium & inuidiam, ſi eos aliqua animi religione infamarent, gratis quærere, cùm in illo nihil periculi eſſet, in hoc uerò labor & moleſtia. Sic, mea quidem ſententia, ut hoc exemplum afferam, nunquam Hieronymus in retegendis Ruffini commentis & ſuppoſitionibus operam poſuiſſet, ejuſque maleuolentiam in ſe prouocaſſet, ni alia de cauſa ab ipſo alienatus fuiſſet, nec, ut irem cenſeo, Patres Africani de ſuppoſititiis Nicænæ Synodi canonibus tam acriter cum Zozimo diſputaſſent, ni ſua multùm interfuiſſet. Nec enim, quandiu aliter fieri poteſt, grauis & ſapientis viri eſt cum quoquam amicitiam diſſoluere; nec aduerſus abuſus, ni magni, & periculi certiſſimi pleni ſint, ſolent leui negotio viri cordati inſurgere. Palàm autem eſt incommodo, quæ fraudes iſtas conſequuta ſunt, primo quoque tempore non apparuiſſe, licèt cum tempore & ſenſim bonos genuinoſque libros penè oppreſſerint. His animaduerſis, facilè, mea quidem ſententia, patet de titulo libri, ejuſque natalibus,

Hieron. 84. ad Mag. T. 2. p. 508. B. Id. in Catal. T. 1. p. 354. A.

Bell. l. de Script. Eccl. in Paul. Baro. A.D. 66. §. 4.

libus, non ſatis conſtare, quamvis ſub eodem nomine * apud unum aut alterum Veterum citatus occurrat. Sic exempli gratia & Iuſtinus ipſe, & Clemens † Alexandrinus, & plerique omnes veteres Chriſtiani, Sibyllina carmina pro vero & genuino cenſent Sibyllæ fœtu; quæ tamen poſt A. D. 130. ficta fuiſſe, & res ipſæ liquidò vincunt, & clariſſ. Blondellus [a] noſter luculentiſſimè demonſtrauit. Origenes, ſi Philocaliæ [b] fides, Clementis Romani nomine laudat ac deſcribit locum ſatis prolixum, velut exlibro 14. Itinerarii, ſiue, ut ipſe vocat, περιόδων qui totus habetur in iis, quæ nunc circumferuntur Clementis Recognitionibus libro decimo, non procul ab initio. Hoc tamen Clementis opus, quin ſpurium ſit, & à male feriato aliquo impoſtore confictum, nemo nunc ferè literatorum dubitat. Baronius quidem certè non ſemel explodit, *& mendaciis confectum & ab omnibus Patribus proſcriptum eſſe* affirmat.[c] Non fuerunt fœliciora ſeculorum ſequentium de Veterum libris iudicia. Nam extat liber *de duodecim abuſionibus ſeculi* inter Cypriani opera, quem eius nomine Troſleiana [d] Synodus, ante annos 743. diſertè laudauit. Hunc ipſum tamen negat Bellarminus,[e] & quidem veriſſimè *Cypriani eſſe poſſe, cum poſſim citet Scripturas ex verſione S. Hieronymi.* Ita etiam qui Ambroſii nomine iampridem circumferuntur in uniuerſas Pauli epiſtolas Commentarij, pro verè Ambroſianis & à Synodo Pariſienſi [f] ante annos 828. [g] & ab Aquiſgranenſi, [g] ante annos 790. & circa idem tempus ab Hincmaro Rhemenſi [h], & à Prudentio Tricaſſino [i] Epiſcopis, & ab aliis ad hoc uſque ſeculum penè innumerabilibus laudati ſunt, & tamen certiſſimum eſt, & apud utrarumque partium Theologos liquidò confeſſum, non eſſe hos Ambroſii, ſed Hilarii cuiuſdam, ſiue, ut volunt quidam, Romani Diaconi, ſiue, ut alij pugnant, alterius neſcio cuius ignoti, verum ac genuinum fœtum. Eiuſdem Ambroſii nomine iampridem ab Hincmaro, [l] & à Ratramno, [m] ſiue Bertramo, eius æquali,

* Ap l.
† Strom.
a Opere Gall. de Sibyllis.
b cap. 22. ex v. non ex l. 2 contra Celſ. ut eruditiſſ. Patr. Iunius Philoſ. errore deceptus putauit, ſed potius ex T. 3. in Geneſ. ut ex eo fit verisimile quod in. … ur ad Euſebe l. 6. p. 171. initium loci Origenici qui in Philoſ. … deſcriptus eſt.
c A. D. 41. §. 10 A. D. 44. §. 42. 52. 53. A. D. 102. §. 21.
d A. D. 909. T. 3 Concil. Gall. c. 4.
e De Script. eccl. in Cypr.
f A. D 824.
g A. D. 862.
h lib. de Prædeſt. c. 33. paſſim.
i cont. Ioan. Scot. p. 456. 499 512. 519. 548. [k] Bellar. in Ambr. Cocus Cenſ. p. 143. alii.
l De Prædeſt. c. 19. p. 114. c. 32. p. 246 c. 35 p. 309.
m De corp. & ſang. Domini.

allatos ſcimus libros ſex de Sacramentis, & deinceps ab omnibus ferè Theologis, tum vetuſtioribus, ut Lanfranco & Guitmundo, tum recentioribus eodem quoque loco ac numero habitos. Atqui res ipſa negat eos eſſe Ambroſij, ut eſt à Roberto Coco [a] & aliis fusè ſolideq; demonſtratum; vix repugnante Arnaldo [b] Magiſtro Sorbonico. Concilium Lateranenſe, ſub Martino I. P. R. tria quædam loca Athanaſij nomine citat, ex ſermone in illa verba. *Quicunque dixerit Verbum*, &c. Neque tamen dubitarunt Petronius Cardinalis [c], & Coiffetellus Madauræ Epiſcopus [d] negare ſermonem eſſe Athanaſij. Homiliæ in Matthæum Latinæ, quarum *Opus imperfectum* vulgo dicitur, ante annos 792. ab Hincmaro [e] Chryſoſtomi nomine laudatæ, ex omnium conſenſu habentur, & quidem verè ac meritò, pro hominis hæretici, & Chryſoſtomo multo recentioris opere [f]. Symbolum ad Damaſum, quod incipit *Credimus in Deum Patrem*, Hieronymi nomine citauit, & Carolus magnus [g] ante annos 858. & Remigius Lugdunenſis Epiſcopus [h] ante annos fere 800. Atqui id Symbolum neque Hieronymi eſt, neque hominis catholici; neque ſimplicis & priuati cuiuſpiam hæretici, ſed ipſius hæreſiarchæ Pelagij ut utrarumque partium eruditè ex Auguſtino pari conſenſu obſeruarunt [i]. Eiuſdem quoque Pelagij (ut hoc obiter dicam) certò eſſe docti [k] deprehenderunt, & epiſtolam ad Demetriadem Virginem, quæ incipit, *Si ſummo ingenio*, & Commentarios in omnes Pauli Epiſtolas, quod utrumque onus, à multis retro ſeculis ad noſtram memoriam, inter Hieronymi opera, magno errore, legitur. Librum Quæſtionum Veteris & Noui Teſtamenti, ante annos 828. Auguſtino tribuit Synodus Pariſienſis [l] ſub Ludouico Pio: Atqui id opus, & ab Auguſtino alienum eſſe conſentiuntur omnes eruditi, & alicuius hæretici eſſe pronunciat Bellarminus. [m] Hincmarus, [n] & *Hypognoſticon*, & *de Prædeſtinatione & Gratia* libros, velut Auguſtini genuinos citabat A. D. 859.

a *Cenſ. p.* 119 & c. 141 *Vide & Albert. in de Euchariſt.*

b *de la freq. comm. part.* 1. c. 13.

c *de Euch. l.* 2. *Antit.* 10.

d *De nom. ga-cram c.* 1 *&c.*

e *L. de Prædeſt. c.* 23. *p.* 180. 181

f *Bell. in Script. Eccleſ. in Chryſ.*

g *L.* 3. *de Imag c.* 1.

h *de trib. Epiſt p.* 134.

i *Vide Bell. l. de Scrip. Eccleſ. in Hieron. ad T.* 9. *Bell. ibid ad T.* 8 *&* 9.

l c. 46. *A.* D. 824.

m *ubi ſupra in Auguſt. ad Tom.* 4.

n *l. de Prædeſt. c.* 13. *p.* 89. *p.* 70. 76. 89 95 361. 69 *p.* 37 38 39 82. 83. 111. 184.

Iam

Iam vero conſtat neutrum eſſe Auguſtini, vel Bellarmino teſte[o] libros *de vita contemplativa* Proſpero aſſerunt Partes Aquiſgranenſes[p], A. D. 816. & Theodulfus Aurelianenſis[q], a. 809. quos tamen non Proſperi, ſed Iuliani Pomerij eſſe veris certiſq; rationibus demonſtravit Sirmondus[r] Prudentius Tricaſſinus, circa A. D. 860. librum *Mythologiarum* ſeu *virgilianæ continentiæ* (quem [s] Fulgentij Placiadis eſſe etiam pueri nunc ſciunt nominis æquivoco deceptus Fulgentio Ruſpenſi, celeberrimo, ſed in longè diverſa eruditione Epiſcopo tribuit. Parili errore Rathramnus Corbenienſis,[t] & eorumdem temporum Monachus, Gennadi Conſtantinopolitani Epiſcopi eſſe putavit librum de Eccleſiaſticis dogmatibus, cuius certiſſimus auctor eſt Gennadius Maſſilienſis Presbyter. Multa eius generis aſſerre poſſem, ſed hæc, ut videtur, ſatis ſunt ad id quod inſtitueramus probandum; ut nemo nunc miretur, quod Ignatii Epiſtolas, tametſi ex maiori, ut videtur, parte Euſebij teſtimonio firmatas, è Proteſtantibus non pauci veluti puſrias explodant. Quod verò pertinet ad alteram rationem, qua liber ex ſilentio Veterum in dubium vocatur, fateor neque ex ea planè certò atque indubitò argumentari licere, cùm fieri poſſit ut Patrum uni aut multis ignotus fuerit ſuperiorum ſcriptorum aliquis, vel, etiamſi notus, tamen, vel errore vel conſilio, omiſſus fuerit. Sed tamen ſi & qui de alicuius Vetuſtioris ſcripto tacuit vir grauis & erruditus fuit cauſaſque habuit cur de eo non taceret, & ſcriptum ipſum illuſtre eſſe, vel ob auctoris nomen, vel ob argumentum debuit, admodum probabile eſt nullum eius tempore extitiſſe quod uir talis huiuſmodi locis tacuit. Itaque huiuſmodi probatione meritò uſus eſt Hypatius Epheſius A. D. 532. ad euertendum Dionyſij Pſeudo Areopagitæ fidem, cùm quædam eius teſtimonia ab hæreticis quibuſcum diſputabat objicerentur (quo loco obiter obſervandum primum hunc videri ex omni Antiquitate locum quo facta

o *ubi ſupr. in Auguſt. ad Tim. 7.*
p *l. 1. c. 19. T. 2. Con. Gall. p. 349.*
q *De Spirit. Sanct. p. 322.*
r *ad Concil. Aquiſgr. T. 2. Concil. Gall. p. 683.*
s *Lib. Prædeſt. cont. Ioan. Erigenam c. 18 p. 517.*
t *l. 3. contr. oppoſit. Græcor.*

repetitur iſtorum Dionyſiacorum, quæ nunc orbem ſua fama impleuerunt, mentio.) *Illa* (inquit Hypatius[u]) *teſtimonia quæ vos Dionyſii Areopagitæ dicitis unde poteſtis oſtendere vera eſſe ſicut ſuſpicamini? Si enim eius erant, non potuiſſent latere B. Cyrillum. Quid autem de B. Cyrillo dico? quando & B. Athanaſius, ſi pro certo ſciſſet eius fuiſſe, ante omnia in Nicæno Concilio de conſubſtantiali Trinitate eadem teſtimonia protuliſſet adverſus Arij diverſæ ſubſtantiæ blaſphemias. Si autem nullus ex antiquis recordatus eſt ea, unde nunc poteſtis oſtendere quod illius ſint neſcio.* Hactenus Hypatius. Quo exemplo nominùs validè argumentamur, ſuppoſititias eſſe eas epiſtolas quæ iam ab Euſebij ſeculo Ignatij nomine circumferuntur. *Si enim eius erant non potuiſſent* (inquam) *latere B. Irenæum*, qui earum diſertiſſima de Patris rerum omnium Creatoris Deitate, Chriſtique Filij veritate *teſtimonia* aduerſus hæreticos *protuliſſet*, qualiter Clementis epiſtolam ad Corinthios, & Polycarpi ad Philippenſes laudauit[a]. Ille erò nuſquam iſtas Ignatii Epiſtolas rocordatus eſt, tametſi tacito eius nomine, quoddam dictum alicubi referat, quod in iis hodie legitur nempe ex Irenæo ab impoſtore qui eas finxit ad rem ſuam uſurpatum, ὡς εἶπέ τις τῶν ἡμετέρων (inquit, Irenæus)[b] *ut dixit quidam de noſtris.* Non ait *ut ſcripſit*, vel *ut in epiſtola aliqua dixit* ſed ſimpliciter *ut dixit.* Neque ex Epiſtolæ, ſi veræ erant, Clementem Alexandrinum qui ipſis etiam Apocryphis libris multùm utitur, latuiſſent, vel Tertullianum qui nuſquam eas memorauerunt, Sed hæc diſputandi ratio prætetquam quod admodum eſt probabilis, & illud etiam habet præcipui, quod priori longè eſt tutior, cùm multo minús periculoſum ſit ſcriptum aliquod genuinum repudiare, quam ſuppoſititium admittere. Leuius enim eſt veritate aliqua carere, quàm mendacio, quod ei opponitur, fidem adhibere. Quemadmodum enim minùs peccat, qui bonum aliquod omittit, quàm qui malum, quod ei opponitur, committit. Sic eius qui, quod res eſt, credere abnuit, quàm eius

qui

u Epiſt. Innoc. Maron. Epiſc. quæ habetur T. 3. Concil. p. 855. col. 1. D. edit. Pariſ. A. D. 1636.

a l. 3. aduerſ. hæreſ. c. 3.

b l. 5. aduerſ. hæreſ. c. 28.

qui falſum, quod rei veritati opponitur, temerè admittit, leuior error eſt. Ea eſt veterum librorum confuſio, eaque rationum, quibus veri à falſis, genuini à ſuppoſititiis diſcerni poſſint, infirmitas, adeo ut ſæpenumero leuioris ſit negotij quid reſpuendum, quàm quid recipiendum ſit conſtituere. Iudicet nunc Lector cùm Scripta iſta tot ſeculis volutata ſint, & per tot manus vel nullius, vel certè dubiæ fidei tranſierint, veritate ipſa languidè & quaſi perfunctoriè aduerſus fraudes iſtas obſiſtente, annon, inter tot librorum, qui ſub nomine Patrum feruntur millia, qui ſint veri & legitimi, qui vero nothi & ſuppoſititij difficillimum ſit certò ſtatuere. Quod ſi in genere tantæ molis eſt Patrum libros alios ab aliis ſecernere, quanto majoris negotij erit ſingulorum ſuper controverſiis noſtris ſententias indagare & conſtituere? Non enim cujus Patris ſint parum referre putandum eſt. Nam ſive authoritatem, ſive doctrinam, ſive uſum ſpectes, non minus eſt diſcrimen inter Veteres illos, quam inter recentes ſcriptores. Adde ætatem & unius etiam ſeculi diſcrimen magni omnino momenti, apud Proteſtantes præſertim cenſeri annoſque & canitiem pretium Scriptis addere. Neque ſanè id immeritò fit, cùm vel mediocriter in ipſorum lectione verſato notum ſit, cum tempore maximas mutationes, non minùs in doctrinam & diſciplinam Veterum, quàm in cætera alia ſenſim invectas fuiſſe. Fixum ergo & immotum maneat, cuique qui apud ſe decreverit quæ fuerit, ſuper capitibus hodie controverſis, Veteris Eccleſiæ ſententia certò explorare neceſſarium pariter ac difficile eſſe, omnium iſtorum Scriptorum & nomen & ævum ad unguem tenere, & in comperto habere.

CAPUT IV.

Ratio IV. *Prioribus & poſterioribus ſeculis, tempore, Imperitia, fraudibus, cùm piis, tum malignis genuina S. Patrum ſcripta variis in locis immutata & adulterata fuiſſe.*

VErumenimvero eſto indefeſſis, multoque cum judicio inſtitutis ſtudiis genuina Patrum monumenta à ſuppoſititiis ſecreta & diſtincta habeas. Ecce tibi qui ſuperiore exantlato ſurgit labor longè moleſtior, cujuſque eventus multo magis in merito ſitus eſt. Semel enim conſtitutis genuinis ſcriptis; ſupereſt neceſſario ut, quæ ſunt ab authore ipſo, ab aliunde aſſutis & infartis ſecernas, ut, quod tempore perierit, vel dolo malo ſublatum fuerit, reſtituas, vel, quod hic vel ille de ſuo addiderit, expungas. Aliàs nunquam certò aſſequeris quæ vera & genuina fuerit auctorum ipſorum ſententia, propter varias depravationes quæ in illos multifariam diverſitque temporibus invaſerunt. Scribarum errores mitto, qui *non quod inveniunt, ſed quod intelligunt ſcribunt* (ut eſt apud Hieronymum.) Illos item qui de ipſa librorum exſcriptione orti ſunt. Neque enim fieri poteſt, ut libri, millies intra decem aut duodecim ſecula in varios codices traducti & tranſſcripti, à librariis parum inter ſe ſeu in doctrina, ſeu in ſcriptionis charactere, convenientibus, ſemper & ubique ſervarint eundem ſuccum, eundemque habitum ipſamque illam formam retinuerint, quam olim præferebant, cum adhuc recentes ab auctoris officina prodirent. Quid tineæ, quid blattæ, quid caries, ſexcentæque hujuſmodi temporis injuriæ in iis corruperint, prudens mitto. Bonas litteras tot ſeculis ſepultas, & veluti in tumulo iacentes, vermibus eroſas, ſitu & pulvere abſumptas, in primigenium

Hier. epiſt. 28. ad Lucin. T. 3. p. 247. B.

nium ſtatum reſtituere humanæ opes non fuit. Hæc omnis generis librorum ſors fuit. Inde quæ penè omnes Scriptores obſidet lectionum varietas tanta nata eſt ex qua quidem pugnare animus non eſt, licèt in rem præſentem faciat,& magno præiverint exemplo, inter adverſarios Doctores, nonnulli, dum tantillum in Sacris paginis lectionum varietatem, licèt nullius, vel ſaltem minimi momenti, ipſi S. Scripturæ in calumniam vertunt, cjuſque qua ipſa per ſe erga unumquemque mortalium pollet, infirmatum eunt, authoritatem. At ſi propoſitum nobis eſſet iſtorum veſtigiis inſiſtere, &, quæ ipſi de Sacra Scriptura dicunt & colligunt, ea ad Patrum ſcripta applicare, id longè potiori jure facere poſſemus, cùm nullomodo fiat veriſimile, non plures ejuſmodi depravationes Veterum Scripta paſſa fuiſſe, quam volumina Divina, cùm hæc longè majori ſtudio, quàm ulla alia in Eccleſia aſſervata, apud omnes nationes memoriæ mandata, in omnes linguas transfuſa, ab omnibus ſectis, orthodoxis & hæreticis, Catholicis & Schiſmaticis, Græcis & Latinis, Sarmatis & Æthiopibus recepta fuerint, aliis aliorum oculos & manus accuratè obſervantibus,ita ut ne minima quidem, quæ ullius eſſet momenti,depravatio accidere potuerit, quin, ut ita dicam, univerſus inſurgeret orbis, & de illata injuria apud omnes ubique quereretur. At Patrum libri, maximam partem. negligenter habiti,& oſcitanter tranſſcripti lectique fuere,idque à paucis, & rarò, adeo ut vix noti fuerint, niſi ſuæ linæ hominibus, quo factum ut in ejuſmodi depravationes pronior lapſus, eorûque animadverſio difficilior fuerit. Stilus item & obſcuritas quorumdam peculiaris facit ut quælibet immutationes majoris ſint momenti. Exempli gratiâ, in manus ſumatur Tertullianus, voculam ſi addideris, vel ſuſtuleris, vel leviſſimè immutaveris, punctum vel virgulam alieno loco ſi poſueris, ſenſum adeo interturbaueris, ut quid ſibi velit nulla ratione queas exculpere. At in ſcriptis facilè fluentibus, apertis,

& perſpicuis, cujuſmodi ſunt paſſim S.Scripturæ,Iſta manus ſunt noxia,cùm adeo obſcurari ſenſus nequeant,quin leui, negotio percipi poſſit. Sed argutias & vitiligationes iſtos, tanquam Pyrrhoniis & Academicis, omnia in dubium vocantibus, potiùs quàm Chriſtianis,quo fidem ſuam fulciant ingenuè & candidè quærentibus convenientes omitto. Agam tantùm de mutationibus quas facere inſtituerunt qui ſcienter & de induſtria Veterum Patrum ſententiam, vel ſilentio obruere, vel adulterarē, vel ampliare ſtuduerunt. Eæ duûm ſunt generum Quædam enim ab animo non malo profectæ ſunt; Aliæ vero ad fraudem & fucum faciendum comparatæ. Aliæ rurſus iam olim procuſæ; Aliiæ vero poſtremis hiſce Patrum noſtrorum, aut noſtris demum temporibus fabricatæ ſunt. Fuere denique qui ad auctores ipſos aliquid de ſuo & quod non habebant attexuerunt. Alii auctores truncaverunt & quod ad palatum non faciebat ſuſtulerunt. Nec mirum videri debet rudes & incautos veteres has artes dedignatos non fuiſſe, cùm aliquando non magna ipſis eſſet religio totos libros auctoribus non veris propter bonum finem ſupponere. Quod quidem incœptum, quàm iſtud, magis inſolens & audax mihi videtur. Cùm non dubium ſit monetam improbam cudere, gravius eſſe crimen, quàm probam tantillum circumcidere, vel adulterare. Mortalium animis hœc ſemper inſedit opinio. Ad auctoritatem conciliandum veritati, & rebus bonis (vel ſaltem quæ ejuſmodi videantur) expedire,ut quicquid obeſſe aut remorari poſſit, de via amoueatur; & quæ in rem conferre poſſunt apponere, vel ſaltem non tollere, quæcunque aliàs hæc vel illa ſint, periculo vacare. Inde nobis tot antiquæ ſuppoſitiones profluxere. Hinc nobis natæ tot miraculorum & viſionum adeo ſtupendæ narrationes, multis confingere amantibus *Dæmonum contra ſe pugnantium portenta* (ut eſt apud Hieronymum) & alia ejuſmodi commenta, à cautioribus etiam animaduerſa, nec minùs

Epiſt. ad Ruſtic. Oper. T. 1. p. 44.

rùs tamen tolerata,& non nunquam commendata, quod ad pupilli ſeu fidem ſeu religionem confirmandam vel amplificandam conducere exiſtimarentur. Sed quod magis mirum videatur, etiamnum hodie eorum ipſorum nonnulli qui ſe ab iſtis verſutiis maximopere abhorrere profitentur, ſibi tamen temperare nequeunt quin, ſi quos edant veterum libros, in iis quicquid à ſententia, quam veram cenſent, vel minimum diſcrepat, ſtatim deleant vel interpolent,ne per iſta (inquiunt) imperiti in fraudem inducantur, adeo altè mentibus hominum ea inſidet opinio. Equidem iurène an iniuria id faciant nunc non diſputo. Hoc tantùm obiter moneo, & has artes non ſine probro & dedecore veritati tribui, vel ut iis ad ſe tuendam indigeat, nec ſatis armorum ei ſit, vel ad ſui defenſionem, vel ad reportandam de hoſtibus victoriam, ſed ea ab adverſariis mutuari & emendicare opus habeat, & præterea periculi plenas eſſe. Vbi enim fraus ſemel patuit, ſæpiſſimè tota, in cuius gratiam contexta eſt, cauſa in meritam ſuſpicionem venit, ita ut ſi artibus iſtis apud imperitorum quoſdam rem Chriſtianam promouerint, eoſque vel ad fidem conuerterint, vel in ea confirmauerint, verendum ſit tamen ne naſutiores ab eadem auertant, tandemque & rudes ipſos eorum exemplo ab ea auocent, & in eius faſtidium adducant. Verùm quicquid ſit de fallacia iſta, deq; incommodis quæ eam conſequuntur, ſatis mihi eſt ad hoc quod ago, eam in hoc ipſo, quod præ manibus habeo, argumento, iam olim uſurpatam fuiſſe. Quod ut probem eius exempla quædam in medium afferam. Hæretici quidem huius fraudis ſemper ſuſpecti fuerunt Omitto ea quæ antiquiſſimi in ſcripturis ipſis pro viribus adulterauerunt. Eorum ſi ſpecimen videre animus ſit, idque notatu digniſſimum, adeundi ſunt Tertullianus & Epiphanius, apud quos videre eſt quàm miſerè Marcion Lucæ Euangelium & quaſcunque admittebat Pauli Epiſtolas truncaret & deprauaret. Quæ ſubſecuta

ſunt ſecula in hiſce rebus religioſiora non fuerunt Patet id ex Ruffini in expoſitione Symboli, & in Tractatu de hoc argumento, querimoniis, contradicente & repugnante quidem Hieronymo, † ſed quantum ad hypotheſin, Origenem videlicet, at minimè omnium quantùm ad theſin ipſam. Nec aliena ab his legere eſt apud Cyrillum & veterum * alios multos, imò & inter recentiores apud eos ipſos qui Romæ Concilia generalia prælo ſubjecerunt. Queruntur illi Præfatione quam primo volumini † præfixerunt, temporis iniu ia & hæreticorum fraudibus factum fuiſſe, ne Conciliorum illorum Acta integra habeamus, neve quæ, ex iis ſuperſunt pura atque ſincera ſint. Quocirca vicem noſtram vehementer dolent; quod tanto & tam pretioſo theſauro ſpoliati & orbati ſimus. Quod certè teſtimonium inſtar eſt mille aliorum, cùm, meo iudicio, homo hominum plurimum referret alia omnia proloqui. Quid enim? ſi Roma quam fidei magiſtram & ſequeſtram volunt, Concilia, quæ pro Eccleſiæ Canone habet, ulla ratione perire paſſa eſt, quid reliquis factum eſt? Quid in iis vel hæretici, vel ſchiſmatici non potuerunt? Si verè omnia illa monumenta iſtorum fraude depravata fuerunt, quomodo quæ de controverſiis noſtris fuerit veterum ſententia ex iis hauriemus? Neque negaverim mihi non parum mirum videri, & quod tanti Conciliorum Acta faciant, & quod tam acriter in hæreticos propter eorum partem aliquem ſuppreſſam & abolitam invehantur. Si enim tanto uſui nobis eſſe poſſunt monumenta iſta; cur hi nobis Concilii Tridentini acta invident, quo nullum ab octingentis retro annis maioris momenti apud Chriſtianos habitum eſt, ſive Latinos ipſos, ſive etiam Latinorum adverſarios Proteſtantes ſpectemus? Si crimini vertunt hæreticis quod huiuſmodi κειμήλια interverterint; nonne ab eodem ſibi probro metuere ipſo par eſt criminis quod reprehendunt, reos? Sed proculdubio latet aliquid quod diſcrimen ponit inter iſta; & quod facit

Ruf. l. 1. expoſi Symb & lib. de adulter. Script. Origenis.
Hieron. ep. 65. T. 1. p. 86. d. & Apol. cont. Ruff. T. 2 p. 18
* Cyrill. ep. ad Ioan. Antioch. in Act. Conc. Epheſ. T. 1. Conc. p. 660. B.
† In præfat. in 1. T. Concil. edit Roman. 1608.

cit ut apud illos non eadem horum ſit quæ illorum eſt ratio. Et mirati ſubit quare eam non edant. Rerum enim imperiti, dum alia non occurrit, ſibi fingunt (forſan abs re) id arte fieri à Romanis,& tam arctè poſtremi Concilii Acta ab iis clauſa teneri,quod cenſeant eorum promulgationem obfuturam, aut ſaltem nihil profuturam dignitati Romanæ, hariolentur contra, Acta illa quæ ab hæreticis è medio ſublata volunt, quæque tam ſollicitè deſiderant, multa continuiſſe, quibus illa miris modis juvari, magiſque ac magis confirmari potuiſſet. Vtcunque ſit, equidem iſtorum ingenuitatem non poſſum non laudare, ut ut enim malè rationibus ſuis conſulere videantur,ultro quæ extant hodie Acta Conciliorum,ea confitentur neque integra, neque incorrupta eſſe. Sed deinceps inquiramus annon & Eccleſiæ homines ad veterum Scriptorum depravationem aliquid ipſi quoque contulerint.Refert Epiphanius in bonis & emendatis S.Lucæ exemplaribus legi Chriſtum fleuiſſe eoque teſtimonio uſum Irenæum. Sed Catholicos timore quodam inductos vocem ſuſtuliſſe, ne ea hæretici abuterentur. Veráne hæc narratio an falſa ſit fides penes auctorem eſto. Hoc unum inde, quidem, ut mihi videtur, euidentiſſimè colligo. Nullam veteribus Catholicis religionem futuram fuiſſe vocem aliquam, ſi eam ſententiæ ſuæ repugnare, aut hæreticum corruptelis obnoxiam eſſe cenſerent ex Patrum ſcriptis expungere. Cùm* enim Epiphanio auctore, ne ipſi quidem Filij Dei Euangelio parceretur, an maiore religione ſcripta humana habita fuiſſe probabile eſt? Ruffinus certè in pretio & fratris loco, ante exortam cum eo ſimultatem, habitus ab Hieronymo* & ab Auguſtino † etiam, qui ægerrime ſe eorum diſcordiam ferre teſtatur, & à Gennadio * cum magno elogio Scriptorum Eccleſiaſticorum Catalogo inſertus, tanta licentia in ſcriptis Origenis Euſebii & aliorum, quæ de Græcis Latina fecit, verſatus eſt,ut nulla in eius interpretationibus pagina occurrat, in qua non ali-

Epiſh. in Antho. Tom. 2 Oper. p. 36. B. C. Ὀρθόδοξοι [illegible]

* *Hieron. epiſt. 5. ad Flor. T. 1. p. 152 D. & ep. 41. ad Ruff. T. 1. p. 279. D.*

† *Auguſt. Ep. ad Hieron. quæ eſt inter ep. Hieron. 93. & iterum ep. 97 T. 2. p. 545.*

* *Gennad. in Catal. inter Opera Hieron. T. 1. p. 389.*

quid truncarit, vel addiderit, vel interpolauerit. Hieronymus licet inimicitias cum eo exerceret, tamen in hoc cum illo ſenſiſſe comperitur †, ipſeq; paſſim agnoſcit ſe Origenem vertiſſe in Latinum, ſed ita ut noxia quæque truncauerit, utilia tantum reſeruauerit, & mala in bonorum interpretatione ſubtraxerit; quod, ſiquid intelligo, ſignificat, ſi quid cum ſententia, quæ tum temporis apud Chriſtianos obtinebat, pugnaret, rudibuſque offenſioni eſſe poſſet, id ab ipſo expunctum & amputatum fuiſſe in verſione quam adornauit; eandemque interpretandi methodum ſequutos fuiſſe Hilarium & Euſebium Epiſcopum Vercellenſem docet. Alibi, Proœmio in librum Euſebij de locis Hebraicis, profitetur ſe omiſiſſe quæ digna memoria non ſunt viſa, & pleraque mutaſſe. Vt videas autem illud ei in more poſitum fuiſſe, confer, ſi placet, Cronicon eius Latinum cum iis quæ ſuperſunt ex Græco Euſebij; ex eo facilè videbis quantum ſibi veteres in ſcriptis alienis permiſerint ac indulſerint. His tanto exemplo præeuntibus magiſtris quis dubitet quin eorum diſcipuli, è ſuis, ſeu verſionibus, ſeu etiam exemplaribus, quæcunque vel cum ſententiis, vel cum moribus ſuo tempore in Eccleſia receptis non conuenirent, cum cura expunxerint? Imò etiam, ſi ubi deerant quæ opportuno loco iis pondus & authoritatem conciliarent, quin quæ ex uſu eſſe iudicarent, addiderint. Vnde aliàs nobis nata eſſent in Veteribus ſcriptoribus tot loca hiulca, tot moleſtæ lacunæ, tot ineptiſſimè aſſuta, quæ paſſim inter legendum occurrunt? Vnde viles illæ, ſeroſæque ac tactu ipſo horridæ laciniæ, quas in media ipſorum purpura offendimus? Profectò non aliud clamat illa pulſus ſpirituſque inæqualitas, quam in eodem homine, minimo ſpatio, legendo experimur? Moleſtum eſſe, tædiiq; pleniſſimum omnia exempla congerere, cùm recentiorum qui in edendis Patribus operam poſuerunt, nullus ſit qui ea non animaduerterit, & qui de iis non queratur. Vnde in Patrum libris marginales

illæ

† Hiero. ep. 62. ad Theoph. Alexand. T. 2. p. 172. D. & l. 2. Apol. cont. Ruff. T. 2. p. 32. D.

Id. ep. 75. T. 2. p. 482. B. Id. præfat. in lib. Euſeb. de locis Hebr. T. 3. p. 411. D.

iliæ notæ *Hic videtur aliquis aſſuiſſe ſuas nugas* †, & aliæ eiuſmodi. Et Ludouici Viuis ad Auguſtini de Ciuitate Dei lib. XXI. * Annotatio *Decem aut duodecim verſus, qui capite XXIV. habentur & quibus diſertè Purgatorium docetur in antiquis libris, Brugenſi & Colonienſi, non legi, vt neque in exemplaribus Friburgi excuſis; Immo & carere iis exemplar Pariſienſe, vt teſtantur qui editioni 1531. præfuerunt.* Holſteinius, qui nunc Romæ degit, Præfatione in Atanaſij opera, teſtatur ſe, in Bibliothecæ Regiæ Manuſcriptis, multa Patrum monumenta hoc modo fœdata inueniſſe. *Neque* (inquit) *ſolius Athanaſij ea fortuna, vt ineptiſſimorum interpolatorum manus ſubiret, cùm Chryſoſtomi, Procli, aliorumq́; homilias ſimilibus ſequiorum ſeculorum ineptiis fœdatas in iiſdem Regiis codicibus invenerim.*

† *Tom. 4 Operum Ambroſij p. 112. l. 2. de Abrah. in marg. anno.*

* *cap. 24. Tom. 5. Aug. vlt. fol. 92. D.*

Sed omittere non poſſum has deprauationes in monumentis ſacratiſſimis, & maximè publicis, cuiuſmodi fuere Eccleſiæ Liturgiæ & ſimilia, locum habuiſſe. Hanc autem obſervationem, quo maioris ſit momenti Andreæ Maſij verbis referre animus eſt: fuit enim vir ille, non ſolùm ſingulari & recondita eruditione, ſed etiam candore & probitate ſupra exquiſitam doctrinam longè magis mirabili, ideòque moderatis omnibus quibuſcunque partibus addicti ſint, gratus & acceptus, propter excellentes iſtas dotes. Is igitur cùm animaduerteret breuiorem eſſe apud Syros quàm apud Græcos S. Baſilij Liturgiam, hanc eius rei affert rationem. *Quippe is* (inquit) *fuit perpetuo hominum in religione ſenſus, vt intra præſcriptas à Patribus cærimonias, quantumvis ſanctiſſimas, ſeſe contineri pauci potuerint; Vnde pro temporis tractu ad illas pro vario Antiſtitũ pietatis affectu alia atque alia addita: Multa etiam mutata videre eſt, & quod eſt longè maius malum, non paucas etiam ſuperſtitiones eſſe enatas. Qua in re mihi vidētur fuiſſe Syri tanto Græcis, Latiniſque tẽperantiores, quanto minùs in tranquillo, ne dicam luxurioſo, apud illos Chriſtiana res ſtatu eſt verſata.* Atque hæc quidem erudiciſſimus Maſius. Sic etiam Caſſander, qui innocentiſſimè

And. Maſius. Præfat. in Liturg. Syr.

Caſſand. in Liturg. cap. 2. in Antiquitate verſatus eſt agnoſcit, & ex aliis auctoribus probat, Veteribus Liturgiis multa paulatim addita fuiſſe. Eandem rationem ſecutos Canonum Eccleſiaſticorum collectores obſeruat eruditiſſimus Sirmondus; Anti rhet. 1. p. 84. Anti rh. 2. c. 8 p. 125. quos ait *in Conciliorum canonibus ea ſæpe reſecare, & immutare, quæ vel obſoleta & inutilia iudicant, vel ab æui ſui moribus aliena.* Canon erat Concilii Carthaginenſis quarti; Conc. Carth. 4. c. 44. *Clericus ne comam nutriat, nec barbam radat.* Hic canon in Decretalibus ſic mutilatus recitatur; *Siquis ex clericis, comam relaxauerit, anathema ſit.* Cur? *Quia nimirum* (inquit Decret. l. 3. tit. 1. c. 4. de vita & hon. cler. Sirmondus) *poſtquam contra canonem radi à clericis barba cœpit, canonem, qui vetaret, extare non placuit.* † Canon erat (eodem quoque Sirmondo ex manuſcriptis libris auctore † Sirm. Antirrh. 2. p. 129 (Arauſicanæ I. Synodi negans chriſma ſemel in baptiſmo acceptum repeti poſtea neceſſe eſſe; Conc. Arauſ. c. 1. *non ut præiudicans quicquam* (inquit) *ſed ut neceſſaria habeatur repetita chriſmatio.* Gratianus canonem ſic effingit, ac ſi plane contra affirmaret chriſmatis repetitionem eſſe neceſſariam; *non præiudicantes cuiquam hoc dicimus* (inquit) de conſecrat. d. 4. c. 115. *ſed vt neceſſaria habeatur chriſmatio.* Sic quoque in ſecundo nouiſſimæ Conciliorum editionis tomo legitur, addito in fine participio *repetita.* Vnde tanta mutatio? Nempe Gratianus canonem *adempta clauſulæ negatione* † vbi ſupr. p. 132. *ad temporum ſuorum conſuetudinem* (inquit Sirmondus †) *iure ac more ſuo accommodauit.* Gratiani ſcilicet ſæculo, ut & noſtro, chriſmatum non putant Latini, niſi quem Epiſcopus etiam poſt acceptum à presbytero in baptiſmate chriſma denuo chriſmauerit. Arauſicanorum Patrum æuo ſemel in baptiſmo acceptum chriſma ſatis erat; quod utriuſque chriſmationis, & presbyteralis & Epiſcopalis eadem eſſet ratio; quæ nunc ita inter ſe differunt, ut hæc ſola verum ſacramentum, illa mera ſacramenti (id eſt baptiſmi) cærimonia cenſeatur. Canon erat Trullanus XXXVI. *Renouantes, quæ à CL Patribus in hac à Deo conſeruanda & regia urbe, &c. conſtituta ſunt; DECERNIMVS, ut thronus CP^us æqualia priuilegia cum*

antiqua

antiquæ Romæ throno obtineat, & in Eccleſiaſticis ut ille rebus, magnificat, ut qui ſit ſecundus poſt illum. Et hunc quoque Solertiſſimus Gratianus ad ſui ſæculi guſtum ita temperavit; *Renovantes* (inquit) *Sancti CP.*[1] *decreta Concilii, PETIMVS, ut CP*[2] *Sedes ſimilia privilegia, quæ ſuperior Roma habet accipiat; NON TAMEN in Eccleſiaſticis rebus magnificetur, ut illa; Sed hæc ſecunda poſt illam exiſtens priuſquam Alexandrina ſedes numeretur.* Gregorianos Cenſores perfidiæ puduit. Hi enim non hæc (quæ & omnes veteras Gratiani libri habent, & ipſa ſententiæ per voculam adverſatiuam *ſed* connexæ ratio neceſſario flagitat) ſed alia plane contraria ediderunt hoc modo; *ſimilia*, &c. *privilegia accipiat; NEC NON in Eccleſiaſticis*, &c. Sed liquet Gratianum *IVRE* illo ſuo (quod ei tribuit Sirmondus) hic quoque uſum eſſe; jure ſcilicet quidvis pro re Romana mentiendi, fingendique: quo & alibi uſus eſt non ſemel: ut cum canonem Synodi Carthag. IV ſimpliciter vetantem *ne mulier, quamvis docta, aliquos baptizare præſumat*: ipſe ne ſuos pulſaret, qui mulieri, etiam indoctæ, baptizandi jus in neceſſitate concedunt, adhibita exceptione ita callidè diluit; *Mulier, quamvis docta & ſancta, viros in conventu docere, vel aliquos baptizare non præſumat, NISI neceſſitate cogente.* Ita enim ſcripſiſſe Gratianum, non autem quomodo ediderunt Gregoriani cenſores, & omnes libri veteres tum manu ſcripti, tum typis excuſi docent, & firmat Lombardus canonem in hunc quoque modum adulteratum referens. Eandem artem alibi in molliendo Milevitanorum Patrum canone adhibet, dum quod illi olim ſimpliciter & abſolutè decreverant excommunicandos quicumque trans mare appellaſſent, ipſe cum exceptione ſic recitat; *Ad tranſmarino autem, qui putaverit appellandum à nullo intra Africam in communione ſuſpiciatur, NISI forte Romanam ſedem appellaverit.* Plura alia ſunt exempla. Ego unum addam, quo Gratianus ex ſuo illo IVRE moréque ad Decretales ſuorum Pontificum epiſtolas, ſane

d. 22. c. 6.

Cōc. Carth. 4. c. 99. & 100.

de conſecr. d. 4. c. 20. Mulier.

l. 4 Sent. d. 6 4

Conc. Milev. c. 22.

cauſa. 2. q. 6 c. 35. Sic enim veteres Grat. libri.

nequiter ac flagitioſè, detorſit quæ Auguſtinus de divinis Apoſtolorum litteris ſcripſerat. Verba Auguſtini

l.2 de doctr. Chriſt.c.8. erant; *In Canonicis autem Scripturis Eccleſiarum Catholicarum quamplurimum auctoritatem ſequatur* (vir ſcilicet divinarum Scripturarum ſtudioſus) *inter quas ſane illæ ſunt quæ Apoſtolicas ſedes habere,& epiſtolas accipere meruerunt.* Ex his Latinus canonum Rhapſodus ad præſentem Eccleſiæ ſuæ uſum mirabiliter transformatis iſta, quæ ſequuntur effecit, nobiſque pro vere Auguſtinianis in ſuis

d.19.c.6. divini ſcilicet juris tabulis propinavit; *In Canonicis Scripturis Eccleſiarum Catholicarum quamplurimum divinarum Scripturarum ſolertiſſimus indagator auctoritatem ſequatur; inter quas ſane illæ ſint quas Apoſtolica ſedes habere,& ab ea alij meruerunt accipere epiſtolas.* Ex quibus colligit, quod & præfert ipſe titulus, *Decretales epiſtolas inter Scripturas Canonicas connumerari.* Immanem hominis audaciam de Patrum corio tam proterve ludentis digne notavit, ac

l.1.c.2.adv. Hæreſ. caſtigavit Alphonſus à Caſtro. Sed quid facias? Id erat & iſti & cæteris juris ac moris, ut ad eam, quam ſuo tempore Romæ cernebant rerum faciem, omnia nova, vetera, Apoſtolica, Eccleſiaſtica, per fas nefaſque traherent.

Hac ratione, prout eſt immutatus orbis, ſecum etiam quæ ſibi ſupererant ex Antiquitate reliquiæ, eas immutari voluit, ratus, ſcilicet, æquum eſſe ut libri iſti nonnihil tempori cederent; quorum nempe auctores, ſi tum ipſi ſuperfuiſſent, non dubitabat ad præſentium hominum guſtum atque ingenium & linguam & calamum temperaturos fuiſſe. Ad venuſtatem & gratiam iis conciliandam, eadem arte curati ſunt qua ſolent molliculi & ſcituli ſenes. His barba picta,& ſi quid hirſutum horreret attonſum, cutis læuigata, os fucatum, vox infracta, veſtis color paulo auſterior ad ſuauitatem dilutus; ita ut vehementer metuendum ſit, ne ſæpenumero dum in perſonatis iſtis ſcriptoribus veræ antiquitatis ſermonem genuinum, viuidumque colorem inquirimus, oleum & operam

operam perdamus. His doctoribus didicit Euſebius in Chronico Teleſphorum Quadragefimæ ieiunium, Pium vero, (utrumque Epiſcopum Romanum) diem Dominicum inſtituiſſe; quæ ſanè ne per ſomnium quidem bono Euſebio in mentem venerunt unquam, ut patet ex eius Manuſcriptis quibuſdam in quibus de his capitibus, licet recentioribus longè acceptiſſimis, altum eſt ſilentium, Sed ut ad temporis ſeriem redeamus, crevit licentia iſta prout ſæcula in peius ruebant, & dum ab Auctorum ipſorum ætate recedebatur fallacias iſtas reuincere difficilius in dies evadebat: maximè cùm clariſſima Eccleſiæ lumina ab his artibus aliquando non abſtinerent, & ſuo exemplo ſingulis ad eiuſmodi audenda animum adderent. Nam, amabo te, nonne ſtupendum eſt Leonis Papæ Legatos, iam anno 451. coram toto Concilio Chalcedonenſi, apud ſexcentos ſelectiſſimos Epiſcopos, totius Eccleſiæ florem, ſextum canonem Concilij Nicæni recitaſſe cum hiſce, in quibus rei ſumma vertitur, verbis, *Eccleſiam Romanam ſemper Primatum habuiſſe*, quæ non magis quàm Afris à Zoſimo obtruſi canones, in ullo codicum Græcorum inuenta ſunt, ut neque hodie habentur, vel in codicibus Græcis, vel in Latinis, vel in editione Dionyſij exigui, qui annis quinquaginta poſt vixit. Cùm mecum reputo tam ſancti Pontificis legatos eiuſmodi lacinia tam venerabilem canonem fœdare non dubitaſſe; pene in eam adducor ſententiam, ut ex Antiquitate nihil ſani, nihil incorrupti ſupereſſe exiſtimem, præter ea quæ nullius fuere momenti, vel quæ ſine ſumma infamia & omnibus reclamantibus contaminari & alterari non potuere. Nec ſine certiſſima Dei Providentia accidiſſe reor, ut facti iſtius memoria ad nos uſque permaneret, ut doceremur quàm cautè, quàm prudenter in his verſandum ſit; quamquè non temere, tanquam Nicænum, aut Conſtantinopolitanum, vel tanquam Cypriani aut Hieronymi accipiendum ſit, quicquid nobis hodie iſtis nominibus,

Euſeb. in Chron. edit. Num. 148. & 2158. vide & Scalig. in eum locum p. 198. a. & 201. a.

Vide etiam Perron. Replic. ad Reg. Mag. Brit. obſeru. 2. c. 8. p. 570.

Concil. Chalced. Act. 16. T. 2. Concil. p. 417. c.

obtruditur. Septuaginta quatuor annis poſt Concilium Chalcedonēſe, proximè nominatus Dionyſius exiguus Romæ inſtituit Canones colligere, ciuſque codex ex antiquiſſimorum Manuſcriptorum fide, non ita pridem cum privilegio Regis Pariſiis excuſus eſt. Quiſquis cum cura eum euoluer plurima deprauata fuiſſe animaduertet quorum hic exempla aliquot ſubjiciam, ut pateat quàm antiquus ſit technarum iſtarum inter Chriſtianos uſus. Cùm poſtremus Concilij Laodicenſis Canon, qui eſt 163. codicis Græcis Eccleſiæ uniuerſæ, in Eccleſia libros ullos alios legi præter quàm Canonicos prohibeat eoſdem omnes ordine recenſet. Inſeruit quidem in codice ſuo Dionyſius exiguus principium canonis quo prohibetur ne, præter Veteris & Noui Teſtamenti volumina, ulli alii libri legantur; Sed eorumdem librorum Cathalogum prorſus omiſit, veritus, reor, ne Eccleſiam Romanam offenderet, in qua multis ante annis Innocentius Pontifex in Veteris Teſtamenti canonem retulerat Maccabæos, Sapientiam, Eccleſiaſticum, Tobiam, Iudith, quorum apud Patres Laodicenos nulla eſt mentio, cum viginti duorum tantum Veteris Teſtamenti librorum meminerint, & è Nouo dè Apocalypſi tacuerint. Si cui reſciſſionis iſtius probabilior occurrat ratio, per me eam edat licet: mihi quidem ea viſu eſt veriſimillima. Verùm quicquid ſit, quo conſilio Dionyſius exiguus canonem illum truncarit diuinare non tenemur, qualecunque enim fuerit, ſatis eſt inde apparere iam tum nulli fuiſſe apud Chriſtianos religi ni Canonum ipſorum Textum decurtare, quoties ita opus erat Quod, ſi magno noſtro bono, Canon ille in variis aliis Antiquitatis monumentis, velut in Græcorum collectione, imò & in Antiquis Galliæ Conciliis integer & incorruptus non perſtitiſſet, prorſus nunc neſciremus quæ ſuper Sacroſanct. Scripturarum Canone (nobili noſtro ſeculo controverſia) Patrum Laodicenorum fuerit ſententia. Fateor Latinos habere quod regerant, nec Græcos

Innoc. I ep. 3. ad Exuper. Tholoſ. c. 7.

Græcos id impunè ferrè. Aiunt enim Latini Græcos è ſua Codicis canonum Eccleſiæ Africanæ interpretatione expunxiſſe libros Maccabæorum è Catalogo Scripturarum qui habetur Canone 24. collectionis ipſorum præter fidem omnium exemplarium Latinorum, tam typis excuſorum, quàm manuſcriptorum, referente Cardinale Perronio. Etſi non deſint qui * teſtentur in collectione Criſconij Epiſcopi Africani manuſcripta in hoc canone nullam Maccabæorum fieri mentionem. Exhibet nobis deinceps Codex Græcus ſeptem canones Concilij Conſtantinopolitani I. qui extant etiam apud Balſamonem & Zonaram & in editione Græcolatina Conciliorum generalium Romæ excuſorum. Horum tres poſtremi in Dionyſij Codice Latino deſiderantur, licet propter argumentum quod complectuntur non leuis ſint momenti; inſtituitur enim in iis ordo obſeruandus, cùm in judiciis de Epiſcopis qui accuſantur, tum in admittendis iis, qui ab hæretici ad Eccleſiæ communionem tranſeunt. Difficile eſt ſtatuere quid collectorem ad Concilium hoc truncandum impulerit. Hoc tamen ſcio in canone V I. (quem ille inter alios omiſit, quique de judicandis iis Epiſcopis agit qui in crimen vocantur) de appellationibus ſedis Romanæ nullam fieri mentionem, neque item de cauſis ullis reſeruatus, in quibus ſoli Papæ de Epiſcopis judicium ferre liceat. Ius & arbitrium omnes eiuſmodi cauſas cognoſcendi & componendi in Synodos prouinciales & Diœceſanas planè & ſine ulla exceptione confertur. Siue autem additamentum illud ad Concilium Conſtantinopolitanum aſſuerint Græci (quod minimè ſit veriſimile) ſiue Dionyſius, vel Eccleſia Romana id reſciderint, inde ſaltem patet ſcripta Eccleſiaſtica truncandi, vel infartis additamentis corrumpendi audaciam, non nunc primùm in uſu eſſe cœpiſſe. In Codice Græco poſt Canones Conſtantinopolitanos ſequuntur octo Canones Vniuerſalis Concilij Epheſini, qui referunt item à Bal-

Perron. Replic. l. 1. cap. 50. p. 372.

* Chriſtop. Iuſtelus in notis ap Cau. 24. Cod. Græ. Eccleſ. Afric.

ſamone & Zonara, & excuſi quoque habentur cum Actis eiuſdem Concilij Epheſini, primo Tomo editionis Romanæ. Sed apud Dionyſium exiguum nuſquam occurrunt, nec facilè dixerim cur eos ille omiſerit, niſi forſan grauis & moleſtus ei fuit Canon octauus, in quo ſcilicet decernitur ut Epiſcopi Cyprii ſuas ipſi ordinationes faciant, non adhibito Patriocheno Anthiocheno, & ut idem in aliis Diœceſibus & provinciis obſeruetur, adeo ut nulli Epiſcopo in prouinciam quam ipſe, vel anteceſſores in poteſtate non habuerint, liceat invadere, ne Canones Patrum violentur, ac ne *ſub prætextu adminiſtrationis rerum ſacrarum* (inquiunt ſantiſſimi illi Patres) *faſtus potentiæ mundanæ in Eccleſiam irrepat, imprudenteſq; libertatem quam nobis ſanguine ſuo Dominus noſter Ieſus Chriſtus dedit, paulatim amittamus.* An hæc conſtitutio & hæc verba metū Latinis injecerint, ac effecerint quominus reciperent Canones Epheſinos in ſuum Codicem, haud equidem ſcio, attamen nuſquam in eo comparent, & iam ſunt DCCL. anni ex quo Anaſtaſius Papæ Bibliothecarius non inueniri in vetuſtiſſimis exemplaribus Latinis teſtatus eſt Græcóſque, quaſi eos ſuppoſuiſſent criminatus eſt. Ipſi viderint. Siue Græci eos confinxerint, ſiue eos Latini expunxerint, hoc conſtat iam ab octingentis annis fraudem eſſe factam. Sed in eo quod ſequitur exemplo vix ullus erit de fraudis auctore dubitandi locus. Codex Græcus, num. 106. pro Canone 28. Oecumenici Concilij Chalcedonenſis nobis exhibet Decretum Patrum iſtorum quo, perinde ac in primo Concilio Conſtantinopolitano, definiunt, ut quandoquidem Conſtantinopolis Senatus & Imperii ſedes eſt, æquiſque cum vetere Roma honoris prærogatiuis prædita eſt, in negotiis Eccleſiaſticis exaltetur ut illa, cum ſecunda eſſet poſt eam, & ut eius ſit ordinare Metropolitanos trium Diœceſewn Ponti, Aſię & Tracię. Balſamon, Zonaras, atque adeo Canoniſtę Gręci omnes eundem Canonem iiſdem verbis referunt. Hiſtorici Eccle-

Cod. can. Eccl. univ. Græc. eſt 178.

Concil. Epheſ. can. 8 qui in VII Græc. eſt 178. Cod. Can. Eccl. Vniverſ. ἵνα τῶν πατέρων οἱ κανόνες παραβαίνωνται μηδὲ ἐν ἱερουργίας προσχήματι ἐξουσίας κοσμικῆς τῦφος παρεισδύηται μηδὲ λάθωμεν τὴν ἐλευθερίαν κατὰ μικρὸν ἀπολέσαντες ἣν ἡμῖν ἐδωρήσατο. Τῷ ἰδίῳ αἵματι ὁ Κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστός.

Anaſtaſ. Bibliot. præfat. in Synod. 8. T. 3.

Cōc. general. p. 186 Cōc. Chalc. cap. 28. Cod. Græc. Eccleſ. Vniverſ. 106. Τὴν βασιλείᾳ καὶ τῇ συγκλήτῳ τιμηθεῖσαν πόλιν καὶ τῶν ἴσων ἀπολαύουσαν πρεσβείων τῇ πρεσβυτέρᾳ βασιλίδι Ῥώμῃ καὶ ἐν τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς ὡς ἐκείνην μεγαλύνεσθαι πράγμασι δευτέραν μετ' ἐκείνην ὑπάρχουσαν.

Eccleſiaſtici plerique, cùm Græci tum Latini, id conſtitutum fuiſſe Chalcedone teſtantur, remque totam, prout geſta eſt, in ipſis Concilij Actis legere eſt. Attamen apud Dionyſium exiguum nullam canonis iſtius veſtigium extat, quaſi de eo Chalcedone ne verbum quidem unquam factum fuerit. Pontificem Leonem, & ſucceſſorem eius nonnullos, Canonem iſtum repudiaſſe neſcij non ſumus, Sed qui nobis ſpondet ſe regulas Eccleſiaſticas ordine digeſturum ac de Græco in Latinum ſermonem conuerſas editurum, iſtam adeo inſigem quo iure, aut quo modo potuit omittere? Si alia periiſſent monumenta, unquámne nobis in mentem veniſſet aliquid ſimile Chalcedone vel tantatum fuiſſe? Vnde & qua ratione de DCXXX. iſtorum Patrum, qui illuc ſuper iſto, ſummi inter huius temporis controuerſias momenti capite, conuerunt ſententia, nobis conſtitiſſet? Fluxere undecim ſecula ex quo omiſſio illa facta eſt. Quis in tot aliis, ſiue Conciliorum, ſiue Scriptorum priuatorum monumentis Græcos vel Latinos ſimilibus artibus non luſiſſe idoneè caucbit? Ex his quæ ad cognitionem noſtram venerunt quis non colligat alias multas & magno numero nos fugiſſe; Inter Veterum libros imprudens verſaris, quaſi quæ fuerit eorum genuina ſententia ex iis habiturus. At ecce iam ineunte ſexto ſeculo, ſi quid vel in ſacratiſſimis monumentis minùs cum receptis illis temporibus opinionibus conuenire viſum eſt, nulla religione ſublatum eſt. Quantumuis nullo alio argumento id factitatum fuiſſe nobis conſtaret, nonne hoc uno ſatis doceremur nobis hic viam quaſi prætentandam, magnaque cautione opus eſſe? Sequitur notanda maximè inſignis epiſtolæ Adriani I. ad Imperatorem Conſtantinum, tempore Concilij Nicæni ſecundi, depravatio. Nam in editione Anaſtaſij, quæ ab hinc ſeptingentis & quinquaginta annis facta eſt, Adrianus de ſedis ſuæ Primatus magnificè diſſerit, Græcoſque quod Taraſium Patriarcham Conſtantinopolitanum

Concil. VII Act. 2. Tom. 3 Concil. p. 416 D. E.

Oecumenicum Epiſcopum dixiſſent pellimè excipit. Horum tamen omnium ne uerbum quidem habetur, neque in editione Græca Concilii ſeptimi, neque in vulgati Latina. Cauſatur Roma truncatam à Græcis epiſtolam, contendunt Græci variis aſſutis à Latinis vitiatam & corruptam. Vtri fidem mereantur non eſt magnum negotium pernoſcere. Sed in quam partem propendeas mea nunc non refert, ſatis eſt quod hinc ſole meridiano clarius patet, iamdudum inter Chriſtianos, Scriptores ueteres truncare, vel variis additamentis pro temporum ratione adulterare ac interpolare, in more poſitum fuiſſe. Idem quoque manifeſtum fit ex ea quæ in

Ibid. p. 419. A. eodem Concilio ſequitur Epiſtola Adriani ad Taraſium; planè enim alia in codice Græco eſt, alia in Latino Anaſtaſij, id que in rebus ejuſdem cum ſuperioribus momenti. Sic Act. V. in editione Græca & Veteri La-

Concil. VII. Act. 5. Tom. 3. Concil. p. 566. Ibid. p. 557. 3, & 559. C. tina Taraſius dicitur *Epiſcopus Oecumenicus*. Apud Anaſtaſium titulus iſte nullus eſt. Eadem Actione Patres. Iconoclaſtas criminantur quod in Bibliotheca Conſtantinopolitana librum quendam reſciſſis pluribus foliis corrupiſſent, & in urbe Photia triginta volumina concremaſſent, alibi Annotata quædam ex neſcio quo libro deleuiſſent, eaq; omnia præ ſtudio quo ferebantur aduerſus imagines quæ in libris illis propugnabantur. Sed qua ratione ab iis quæ Athanaſio ſuppoſuiſſe ſupra monuimus ipſi ſe purgare poſſint equidem non video, ut nec à praua verborum quorumdam Euſebij expoſitione. Eum enim ut in inuidiam adducerent, fingunt

Concil VII. Act. 6. In refut. Sinod. Iconoclaſtar. Sect. 5. p. 629. B. T. 3. ὅτι μετεβλήθη ἡ ἔνσαρκος αὐτοῦ μορφὴ εἰς τὴν τῆς θεότητος ἐν Ibid. p. 625 A. ἡ ἔνσαρκος αὐτοῦ dixiſſe, *formam carnalem Ieſu Chriſti mutatam fuiſſe in Deitatis naturam* cùm tantùm dixerit, *mutatam fuiſſe à Deitate quæ in ea inhabitabat*. Vnde apparet quantum iis fidei debeamus, cum hinc inde mirabilia quædam & inaudita allegent, & cùm quæcunque ad Adverſariis objiciuntur cum faſtidio rejiciunt, maximè cùm repudiant quod ipſis ex Epiphanio objectum fuerat. Id illi tanquam ſuppoſititium reſpuunt, *quia* (inquiunt) *ſi Epipha-*

nius

nius imaginum fabricationem à Chriſto alienam exiſtimaſſet, eam in numero hæreſeῶν poſuit. Annon eadem ratione probari poſſet Epiphanium cum Iconoclaſtis ſenſiſſe, quandoquidem eorum opinionem hæreſibus non acceſuit? In dubio pariter relinquo quod tam ſecurè Teodoti Ancyrani & aliorum locos explodunt. Ex illo tempore nihil frequentiùs occurrit in libris cùm Græcorum tum Latinorum quàm eiuſmodi criminationes, ſibi inuicem expobrantium corrupta & adulterata eſſe cauſæ inſtrumenta. Sic in Synodo Florentina Marcus Epiſcopus Epheſinus, de proceſſione Spiritus Sancti diſputans, ad objectos locos, alterum ex Epiphanij Anchorato, alterum ex Baſilio contra Eunomium reſpondet, ad illum quidem, *iam à longo tempore Epiphanij Tractatum eſſe corruptum* ad hunc uerò *aliquem Latinorum ſententiæ ſtudioſum, eum ad ipſorum ſenſum accommodaſſe*, ſanctè affirmans Conſtantinopoli nonniſi quatuor exemplaria libri iſtius exſtare in quibus uerba à Latinis prolata haberentur eſſe autem in eadem urbe ſupra mille inquibus deſiderarentur. Regerunt Latini Orientalium, non Occidentalium eſſe libros adulterare, quod ut probent locum ſupra à nobis ex Cyrillo allatum proferunt, quo tamen de hæreticis quibuſdam, Neſtorianis videlicet, qui Athanaſii ad Epictetum epiſtolam corruperant, non uerò de omnibus Orientalibus, multò minùs de Eccleſia Græca agit. Inſtant Græci in Latinos & ex Zoſimi capite ſuperiore relata hiſtoria argumentum petunt, & ſic alii aliis inuicem uapulant grauiſſimè, in accuſando utrique quàm in purgando longè, ut cuiuis intuenti uidere licet, fœliciores ac probabiliores. Huc item refero cuiuſdam Gregorij Monachi Græci (unionis Florentiæ inſtitutæ defenſoris acerrimi) ad locum ex Ioannis Damaſceni libro reſponſionem. Ferebatur is ſcripſiſſe *Patrem ſolum eſſe cauſam*, in Trinitate uidelicet. Reponit ille *hæc verba in veteribus exemplaribus non inveniri*; argumento manifeſto ea à

[illegible]

Ibid. p. 616 C. [illegible]

Concil. Florent. Act. 18. T. 4. Concil. p. 413 A. [illegible]

Ibid. Act. 10. p. 456. D. E.

Apolog. Greg. Mon. Pro ſyn. cõc. [illegible]

Marc. Eph. in T. 4. Concil p. 730. B.

Græcís, quo Scriptorum iſtum in partes ſuas traherent, aſſuta fuiſſe. Petauius, proximè, ſic ſoluit objectionem quæ petitur ex 68. canone Apoſtolorum adverſus ieiunium Sabbathi quod in Eccleſia Romana obſervatur. *Tanquam ſpurius* (inquit) *& alienus canon ille rejicitur* & *ab otioſis Græculis verba ſunt intertexta*. Sed ſi cui cordi ſit quã dubia & incerta ſint poſtremæ hujus Antiquitatis ſcripta conſiderare, legat Synodum octauam, quam Oecumenicam volunt Occidentales; codices Latinos cum Græcis conferat, & expendat maximè Anastaſij, Papæ Bibliothecarij, præfationem. Is poſtquam accerrimè in Græcorum ambitionem inuectus eſt, poſtquam quos hi habent tertij Concilij Canones eos veluti ſuppoſititios rejecit, ut paucis rem expediat, nihil circuitione uſus, omnia Concilia, nullo niſi primo excepto, Græcos depravaſſe affirmat. Quibus jam ſcriptis aquieſcemus, quandoquidem peſtis illa adeo altè inſedit, penituſque ipſa Concilia, hoc eſt monumentorum Eccleſiæ Veterum cor ipſum occupauit? Symbolum ipſum, tot conciliis Oecumenicis conſecratum, ejuſmodi deprauationibus ſubduci non potuit Nam ut nihil dicam de hiſce levis momenti verbis, *de cælis, ſecundum Scripturas, Deum de Deo*, quæ in quibuſdam Symbolis haberi, in aliis verò deſiderari obſeruauit, in Synodo Florentina, Cardinalis Iulianus, fluxere iam integra ſecula ex quo inter Orientales & Occidentales de voce *Filioſque* in capite de proceſſione Spiritus Sancti contenditur: Illi querentibus ad his additam; his muſſantibus ab illis ſublatam; quæ quidem alteratio, licèt videatur in ſpeciem levis, magni tamen eſt momenti, adeo ut ex ea pendeat quæſtionis ſummi momenti deciſio: hæc enim eſt quæ hactenus inter utroſque ſchiſma fecit; videlicet num Spiritus Sanctus non minus procedat à Filio quàm à Patre. Indicio certiſſimo factum ſtudio partium (quiqui ſint criminis hujus rei) ut manus tam ſacro monumento injicerentur. Sed quicquid aentatum eſt olim in hiſce rebus pene

Petavius not. in Epiph. p. 359

Cõc. VIII. tot maximè Act. 6 & 10. in qua habẽtur Synodi Canones.

Anaſtaſ. in ep. ad Adrian. P. R. præfix. Cõc. VIII. p. 856 T. 3 Concil.

Conc. Flor. ſeſſ. 12. p. 413. A B. T. 4. Concil. Ibid. ſeſſ. 4. & 5. & Concil. 7. Act. 7. T. 3. p. 660. E. quo loco videnda annot. marg.

pene jocus & ludus cenſebitur, ſi cum iis comparetur quæ facta ſunt nouiſſimis hiſce temporibus, quibus adeo ſtudiis incanduere miſeri mortales, ut, ratione & pudore proculcatis, nulli neque Scripto neque Auctori pepercerint, quin paſſim obvia quæque fœdarint. Eorum certè qui eò audaciæ proruperunt nunquam ſatis damnare poteſt mala fides; quapropter nonniſi ſumma-cum ratione mihi quæ ſequuntur viſus eſt ſcrpſiſſe Eraſmus præfatione in Hieronymi Opera ad Guilielmum VVaramum Archiepiſcopum Cantuarienſem. *Extat* (inquit ille) *eximiis vereq́ Sacroſanctis auctoribus quos nobis vel erudita dedit Græcia, vel huius æmula prodidit Italia vel olim ſtudiis floretiſſima produxit Gallia, vel ingenioſa peperit Africa, vel laboriũ patiens edidit Hiſpania rara quadã eruditione ſuſpiciendos, eloquentia claros, vita ſanctimonia venerandos, quæſo te quàm pauci ſuperſunt, caſu ſeruati magis quàm noſtro beneficio; atque hi rurſũ ipſi quàm fœdè mutili quàm contaminati, quàm prodigioſis mendis undique ſcatentes, ut non magni referat ſic ſupereſſe. Equidem ut non aſpernor ſimplicem vulgi pietatem, ita non poſſum non mirari tã præpoſterum multitudinis iudicium. Calceos, Sanctorum & ſudariola muco ſordentia exoſculamur, & eorumdem libros ſanctiſſimas & efficaciſſimas Divorum reliquias, neglectos iacere patimur: Tuniculam aut induſiolum Divi aureis gemmatiſq́ thecis reponimus, & libros ab illis elaboratos in quibus id quod illorum fuit optimum nobis adhuc viuit ſpiratq́, cimicibus tineis ac blattis impunè radendos relinquimus Neque verò difficile ſit huiuſce rei cauſam coniecturis aſſequi. Poſtea quã Principum mores planè iam in barbariam, quandam tyrannidem degeneraſſent, tum Epiſcopi profanam ditionem magis cæpiſſent ãplecti, quàm ab Apoſtolis traditum docendi munus mox univerſa docẽdi provincia in iſtos quoſdam eſt relegata qui charitatis & religionis cognomen ſeu peculiare ſibi vindicant: Iam negligi cœpta bonæ litteræ, faſtidita Græcanici ſermonis peritia, multoq́ magis Hebraici, ſpretum eloquentiæ ſtudium, quin & ipſa lingua Latina ſic conſpurcata eſt ſubinde*

nova barbarie,vt iã nihil minùs eſſet quàm Latina,nec hiſto-
riæ nec Antiquitatis ulla cura,tantùm ad Sophiſticas quaſdã
argutias contracta res literaria , & eruditionis ſumma penes
Summularios quoſdã collectores ac excerptores eſſe cœpit,hoc
nimirum impudentiores quo minus eruditos.Proinde Veteres
illos Scriptores facilè vel antiquari paſſi ſunt , vel quod vero
propius eſt,ipſi abolendos curarunt,ut quos iã fruſtra legerent
nimirum his rebus deſtituti , ſine quibus illi non queunt in-
telligi. Et tamen ex illis utcunque decerpta quædam ſuis Cõ-
mentariis admiſcuerunt,qua gratia magis etiam in rem iſto-
rum erat illos interire ,ne quando vel plagii conuincerentur,
vel inſcitiæ.Scilicet tanti erat antiquari Clementem,Irenæũ,
Polycarpum,Origenem,ut horum vice Occam,Durandum, Ca-
preolum.Lyranum Burgenſem & his etiã indoctiores legeret
orbis.Sub horum igitur diutina tyrannide tanta fuit bonarũ
literarum ac bonorum auctorum πανολεθρία, ut è doctorum
ordine pelleretur qui vel paululũ litteraturæ melioris attigiſ-
ſet. His rebus factum eſt ut tot orbis lumina quorum titulos
dũtaxat,nec id ſine lachrymis,legitimus funditus interierint,
& ſi quos contigit ſuis ſupereſſe fatis,hi ſic modis omnibus de-
prauati ſunt,adeo truncati cõtemeratiq́,ut fælices videri poſ-
*ſint qui perierunt.*Hæc de omnibus in genere Patribus pro-
locutus,accedit demum ad ipſum id cuius opera præfaba-
tur Hieronymum.*Atque id profecto cùm mihi vehementer*
indignũ videtur in omnibus eruditis,tum longè indigniſſimũ
in Hieronimo.............. At nunc haud ſcio an quiſquiam om-
nium tractatus ſit indigniùs.Bana pars vigiliarum eius inter-
cidit.Quod ſupereſt non depranatum erat,ſed prorſus extin-
ctum & obliteratum,idq́ partim illiteratorum vitio ſcribarũ,
qui ſolent ex emendatis inemendata deſcribere , ex mendoſis
mendoſiora reddere prætermittere quod non legunt;corrũpere
quod non intelligunt ,velut Hebrea Græcaq́ vocabula , quæ
frequenter intermiſcet Hieronimus: ſed multo ſceleratius a
ſacrilegis haud ſcio quibus ſtudio detruncata permulta, addi-
ta nõnulla,mutata pleraque depravata,ſordidata cõfuſa pene
omnia,ut vix ulla ſit periodus quam eruditus poſſit inoffensè

legere

legere. Imo quod eſt peſtilentiſſimum vitiandi genus, perinde quaſi parum eſſet tot inſulſiſſimas nugas juxta infantes atque ineruditas in hominis eloquentiſſimi pariter ac doctiſſimi nomen ac titulũ contuliſſe, mediis illius commentariis paſſim admiſcuerunt ſuas nænias, ne quis repurgare poſſet. Nam librum falſo inſcriptum permulta ſunt quæ coargunt, cæterum fragmenta paſſim intermixta, veluti frumento confuſum lolium, quo tandem cribro repurget aliquis? Atque hæc omnia ſic eſſe facta docebimus mox in operum ipſius Catalogo, tum ſecundi Tomi duabus præfationibus ac cenſuris. Commovit itaque me partim tam inſignis Eccleſiæ Doctoris non ferenda cõtumelia, in cujus immortalia monumenta, ſic impiè debacchati ſunt iſti pluſquam apri Calydonij, partim publica ſtudioſorum utilitas quos videbã à tam eximiis epulis hiſce rebus ſubmoveri, &c. Hactenus Eraſmus. Hunc autem locum licet paulò prolixiorem huc totum tranſcribere placuit, cùm quod ingenuè & luculenter, non ſolùm malum ipſum, verùm etiam mali fontes & cauſas aperuiſſe mihi videatur, tum etiam quòd fruſtra ſit qui hîc hariolетur non rei indignitate permotum, ſed partium ſtudio ductum in has querelas erupiſſe Eraſmum. Ante natas quippe controverſias quæ diſceſſionem in religione fecerunt, & iſta ſcripſit vir ille magnus & Hieronymi opera, ex quibus ea deſumpſi, excuſa ſunt anno ſcilicet 1516. Baſileæ, apud I. Frobenium. Sed Eraſmi quærelæ recentiores non deterruerunt quin ſimili audacia in veterum monumenta graſſarentur. Ioannem quidem Gagnejum Pariſienſem Theologum cum Alcimi Avitiri poëmata, A. D 1536. Lugduni ederet, & *alia pro arbitrio immutaſſe ac depravaſſe, & quingentis prope verſibus* præter librorum tum manuſcriptorum tum etiam a. 1507. & 1509. Coloniæ editorum fidem *inaudito atque incredibili facinore interpolaſſe* obſervavit eruditiſſimus Sirmundus. Ita plurimorum de Sanctorum veterum vitis ſcriptorum lucubrationes in ſua illa tricubitali farragine Surius Carthuſianus pro ſui ingenij captu variè ac multipliciter in- *Præfat. in Avitum & not. p. 61. edit. Pariſ. a. 1643.*

L

terpęlauit; qu[?] facinus optimus monachus adeo non erubuit, vt de plerisque ipſe monuerit, ſe eorum ſtilum mutaſſe. Ita in vita Martinæ Virginis[a], Concordij[b], Genouefuæ[c], Rigoberti[d], Iuliani & Baſiliſſæ[e], Guilielmi Bituricenſis[f], Boniti Aruerni[g], Speuſippi & Eleuſippi[h], Sulpitij Bituricenſis[i], Launomari[k], Pontiani[l], Sebaſtiani[m], Præjecti[n], Popponis[o], Margaritæ[p], Conſtantii[q] monentur lectores, *ſtilum in gratiam lectoris à Surio mutatum eſſe.* Sed & in aliis ſexcentis, quos recenſere longum eſt, idem quoque ſe auſum eſſe profitetur. Clariſſimus Boſquetus hanc eius fraudem in Saturnini actis notauit[r], in quibus quod auctor ſcripſerat *ſenſim & gradatim in omnem terrā ſonus Euangelii exiuit, TARDOQVE proceſſu in regionibus noſtris Apoſtolorū prædicatio coruſcauit, id Surius contra Manuſcriptorum fidem ſuo* (inquit Boſquetus] *more, corrupit parique proceſſu* pro *tardo edidit*[s], ne videlicet hinc diſceremus Dei religionem ſerius trans Alpes ſuſceptam (vt ait Sulpitius Seuerus[t]) Sic fruſtra quæras in editionibus Operis imperfecti in Matthæum, quas Mahuſius quidam franciſcanus procurauit, varia quæ hinc inde à multis ſcriptoribus ex illo de Scriptura, de notis Eccleſiæ de Euchariſtia afferuntur. Illa omnia, dum ſe fingit opus id à fæcibus Arianorum repurgare, mundumque; ac terſum dare velle, fœdè ſubſtulit Monachus, nec venerandum Chryſoſtomi nomen, quo (licèt vt ſupra monuimus, falsò) inſcribitur obſtitit quominus ſic truncaretur. Nec vnus hanc Latinorum hominum audaciam, vidit & denotauit Eraſmus. Laurentius Brochellus, diu poſtea, Præfatione in Decreta Eccl. ſiæ Gallicanæ, id ipſum, licèt non ita fusè, perſequitur. *Taceo* inquit *innumeros auctores ſacros profanos, veteres, recētiores, ab iſtis tam improbi quam infœlicis ingenij hominibus miſerabiliter decurtatos, vel ipſis Regibus parcere non aſſuetis, nedū S. Ludouico, cuius Pragmaticā, vt vocant Sanctionis articulos nonnullos, maximè ad rei Gallicæ ſtatum pertinentes, abs Bibliotheca illa SS. Patrum, conſtitutionibus Regiis & ſtatutis Epiſ.*

a ad d. 1. Ian. p. 9.
b ibid. p. 10.
c d. 3. Ian p. 51.
d d. 4. Ian. p. 60
e Ibid. d. 9. Ian. 142.
f d. 10. Ian. p. 156.
g d. 15. Ian. p. 2. 5.
h d 17. Ian. p. 245.
i ibid. p. 285.
k d. 19. Ian. p 291
l Ibid. p. 295.
m d. 20. Ian. p. 302.
n d. 25. Ian. p. 418.
o Ibid p. 420
p d. 28 Ian. p. 544.
q d. 29. Ian. p. 549.
r d. 1. hiſt. Eccl. pall. §. 36 p. 62 & ſ[?] 2 p. 89
s Sur. ad d 29. Nouēb. p 650.
t Hiſt. ſacr l. 2.

Epiſcoporum quorundam Synodalibus, Reginæ vrbium Lutetiæ nuper impreſſis expunxerunt. Væ, iterum væ, ut cum vidente exclamen nebulonibus, qui tales Muſarum caſtitati & integritati venerandæ non ſolum inſidias ſtruunt, ſed & Muſas ipſas impudenter & nequiter ſubdolo religionis zelo nullius frontis homines deuirginant, fucumque iſtum, pietatis nomen ementitum, inter pias fraudes numerant. Sed hic aduerſus illos non ſcribimus. Satis eſt, quod luce clarius eſt confirmaſſe iſtos additis & reſciſſis plurimis innumera fidei veterum monumenta immutaſſe & deprauaſſe. Iſti ſunt qui in hac XII. Cypriani ad populum Carthaginenſem Epiſtolæ periodo. *Audiant quæſo patienter conſilium noſtrum expectent regreſſionem noſtram, vt cum ad vos per Dei miſericordiam venerimus, conuocati coepiſcopi plures ſecundùm Domini diſciplinam, & Confeſſorum præſentiam, & veſtram quoque ſententiam, beatorum martyrum literas & deſideria examinare poſſimus*, ex editionibus Gryphianis Lugd. 1528. & 1537. & Pamelij voces has, *ſecundum veſtram quoque ſententiam* quæ in aliis, puta Manutij & Morellij Pariſiis 1564. habentur, per ſcelus expunxerunt; quia ex iis diſcimus, quod nos neſcire ſua referre cenſuerunt, plebem fidelem, ſcilicet, in ſuæ Eccleſię negotiis partes ſuas, iuſq; ſuffragij aliquomodo habuiſſe. Illi ipſi ſunt qui, in epiſtola quadrageſima, de *petra petrum*[a] fecerunt, & qui corruptorum priſcorum veſtigiis inſiſtentes eiuſdem Tractatum de unitate Eccleſiæ fœdè adulterarunt, in medias eius periodos variis de ſuo inſartis, contra optimorum manuſcriptorum fidem cuiuſmodi hæc ſunt[b] *Super illum unum* (Petrum) *ædificat Eccleſiam ſuam & illi paſcendas mandat oues ſuas*[c]. Item[d] *Primatus Petro datur ut una Eccleſia Chriſti, & Chathedra una monſtretur*[e] Denique; *Cathedra Petri ſuper quam fundata eſt Eccleſia*

Cypr. Pamel. & Gryphij Lugd. a. 1528. & 1537. l. 3 ep. 16. p. 148 Aliæ editiones ut Manutij, item Morellii Par. a. 1564. legunt ſecundum veſtram quoque ſententiam a *Cypr. Pamel. ep. 40. p. 76. col. 2. Cathedra una ſuper Petrum Domini voce fundata. Gryphin. a. 1537 p. 52. Morell. a. 1564. p. 124. habebant ſuper Petrã.* b *Cypr. Pã. p. 254. col. 1.* c *Hæc deſiderantur in edit. Gryp. a. 1537. p. 244. & Morell. a. 1564. p. 33.* d *Cypr. Pamelij ibid. Vnam Cathedram conſtituit. quæ*

verba deſiderabãtur in edit. Gryphij a. 1537. p. 244. & Morellij p. 33. e *Cypr. Pam. Ibid. Primatus Petro datur ut una Eccleſia Chriſti & Cathedra una mõſtr. ser & paſtore ſunt õnes ſed grex unus oſtẽditur qui ab Apoſtolis õnibus unanimi cõſenſione paſcatur. Quæ verba õnia exceptis his (ut una Eccleſia mõſtretur) nõ habebãtur in edit. Gryph neq; Morell. ut ſupra.* f *Cypr. Pã. p. 254. col. 2. Quã Cathedram Petri ſuper quã fũdata eſt Eccleſia. Abſunt à Gryp. & Morell. edit. iiſdẽ que, ut ſupra.*

Quorum quidem additamentorum nemo eſt qui ſcopum, & qua mente aſſuta fuerint, non videat. Illi ipſi ſunt[g] qui quàm moleſtè ferant non ſuppreſſam Firmiliani Cæſariæ Cappadocum Epiſcopi, magni, ſuo tempore, nominis, epiſtolam non obſcurè ferunt. Cum enim ex ea pateat quanta libertate veterum ſeculorum Epiſcopi cum Papa agerent, eam de induſtria Manutius in Cypriani editione Romana omiſerat. Verum Morellius eam in ſua editione reſtituit, Cyprianiſque, ad quem ſcripta eſt, epiſtolis inſeruit, magno argumento quibus ſtudiis iſti trahantur, & quot eiuſmodi fœtus clam præfocarint. Hæc eſt Officina ex qua miſer ille Ambroſius tam fœdè interpolatus prodiit, & cuius ſortem grauiter lamentatus eſt Nicolaus Faber[h]. Boni illi artifices qui eum ediderunt, nimis, (ut inquit ille) in alieno opere ingenioſi, mutarunt, miſcuerunt, tranſpoſuerunt quicquid libuit, ut hoc maximè quod ipſe notat. Libros de interpellatione Iobi & Dauidis in aliis editionibus coniunctos diuiſerunt, quod ut facerent exemplo parum laudabili inſeruerunt & interpolarunt nonnulla, quod & fecerunt in prima Apologia Dauid; ſed longè peius in altera, ex cuius capite octauo quinque aut ſex lineas, quæ in omnibus veteribus editionibus leguntur, expunxerunt. Tribuerunt item Scriptori illi Tractatus quoſdam, qui eius non ſunt, quales ſunt liber de arbore prohibita. Item alius in poſtremum caput Prouerbiorum. Et tamen ex iſta Ambroſij editione expreſſa eſt ea quæ Pariſiis anno 603. prodiit Neque vero hanc, quam Faber denotauit, primam fuiſſe putes Romanorum Cenſorum in Ambroſium iniuriam. Aliam iam ante grauiſſimus, ac ſanctiſſimus ſcriptor ab eiuſdem farinæ correctoribus paſſus erat, eiuſdem generis contumeliam, quam ego hoc loco Franciſci Iunii, teſtis αὐτόπτου fide ac verbis exſequar. *Ante annos* (inquit) *viginti ſeptem cum Lugduni agerem (egi autem a. 558. & ſequente) correctore quodam typographico uſus ſum familiariter, cui Ludouico Sauario,*

[g] *Par. el. in argũ. ep. 75 Cypr. A q e ade ſor. aſſis cõſul- tius fo et ni m q am ea tam fuiſſe hanc epiſtolam it. ut putim conſ li. illam omiſiſſe Manutium.*

[h] *Nic. Faber epiſt. ad Frõ. Ducan. u iu in Opuſ. p. 215 & 216. d. ae corp. & ſang. Dom. ad c o. a al ũ p. 518. M. chro p e. by. epi ed. à. 1550.*

Iun. Præf. in Edit. expurgat. Belgicã ſe edi- tum à. 1586.

vario fuit nomen. Habitabat ille non procul à Mercuriali vico, in ædibus coniunctis trium columbarum ſigno. Cum ad ſalutandum hominem veniſſem, caſu vel potius ſingulari Dei providentia accidit, ut verſantem cum offenderem in recognoſcendis D. Ambroſii operibus, quæ tū Frelonius excudebat. Variis autem ſermonibus ultro citroq; habitis, cum me auocamēto eſſe ab opere nolle oſtenderem, ille redorſus lectionem unius paginæ, Vides-ne (inquit) hanc formam Ambroſianæ editionis noſtræ quam ſit elegans, accurata, & in ſpeciem omnibus anteponanda aliis, quæ adhuc in lucem prodiuerunt? Poſtea contuenti opus & probanti elegantiam eius dixit: Ego vero ſi quod exemplum Ambroſiani operis mihi emendum eſſet, quodvis exemplum aliud potius, quam hoc quod vides, compararem. Sollicitatus ſum huius dicti cauſam. Tum ille de forulis ſub menſa ſua latentibus aliquot paginas promens (erant autem paginæ, ut loquuntur Græci κεχιασμέναι ſiue cancellatæ, aliæ ex parte, & aliæ uniuersè.) Hæc eſt (inquit prima) forma paginarum, quas his paucis diebus ad exemplum veteris, & certi exemplaris optimæ fides impreſſimus. Franciſcani autem duo pro auctoritate has omnes paginas diſpunxerunt, ut vides, & illas ſubſtitui in locum priorum curaverunt præter omnem noſtrorum librorum fidem; quæ res ſumptum & moleſtiam Frelonio creavit graviſſimam; Nam pretium chartæ, operarumque amiſit univerſum; temporis iacturam paſſus eſt, & typographicas illas priores plagulas commutari novis ad libidinem iſtorū oportuit magno malo noſtro & admiratione mea. Hactenus Iunius de Latinis ex Franciſci ſodalitio cenſoribus. Horumne aut ſimilium recentiorum, an aliorum vetuſtiorum manu corruptus fuerit Iſidori in Originibus de ſacrificio locus, reciſa ejus ultima parte, haud facilè dixerim; Mutilatum quidem ac decurtatum locum ex Rathrammo (ſiue Bertramo) conſtat, qui eum cùm ante annos pene oſtingentos deſcriberet, ita exhibuit; *Cujus panis & calicis ſacramentum Græci Euchariſtiam dicunt, quod Latinè bona gratia interpretatur. Et quid melius corpore & ſanguine Chriſti? Panis verò & vinum ideo corpori & ſāguini*

Domini comparantur, quia ſicut viſibilis huius panis vinique ſuſtantia exteriorem nutrit & inebriat hominem, ita verbum Dei qui eſt panis vivus participatione ſui fidelium recreat mẽtes. Atque hæc quidem apud Rathramnum Iſidorus; ſed iſta ultima fruſtra in vulgatis ejus codicibus quæras, † in quibus locus in hæc verba deſinit; *Et quid melius corpore & ſanguine Chriſti?* Nimirum Latinos, qui poſt Iſidori ſecula, primo Paſchaſij Ratberti novitates, tum & ipſam tranſſubſtantiationem, admiſerunt, movit quod Iſidorus *panem* & *vinum* nominat, & quod utrumq; *corpori & ſanguini comparari* dixit, non in ipſius corpore & ſanguinis Dominici ſubſtantiam ſua amiſſa conuerti. Quæ fortaſſe ratio eoſdem, vel certè ejuſdem generis artifices, compulit hæc in alio Iſidori opere ita ſcribere atque edere. *Porro ex hinc ſexta ſuccedit confirmatio ſacramenti; vt ablatio quæ Domino offertur, ſanctificata per Spiritum Sãctum corpori Chriſti & ſanguini confirmetur*, vel nullo vel inepto ſenſu; Quid enim quæſo eſt *confirmari corpori Chriſti?* vel quod in Patrum Bibliotheca habetur *corporis Chriſti.* Caſſander, qui nunc ipſum locum recitans legit *conformetur*, & res ipſa atque ſenſus docent, ſcriptum ab Iſidoro fuiſſe *corpori Chriſti & ſanguini conformetur.* Sed id verbum Latinis ſequiorum temporum dilutius viſum eſt quàm ut ſuæ μετουσιώσεως myſterium repræſentaret. Itaque audacter mutarunt, Iſidorique nullum hic eſſe quàm ſibi adverſantem ſenſum maluerunt. Iam in homines non abſimilis ingenij incidit ille quoque fœdiſſimè truncatus & mutilatus Anaſtaſij, vel potiùs Damaſi, aut alterius, Anaſtaſio longè vetuſtioris, de vitis Pontificum liber. Nam primo ab iis Auctoris ad Hieronymum Præfatio ſublata eſt, quod hodierno Curiæ Romanæ ſtilo non multum conveniat. Deinde ex vita S. Petri periodum quam hic inſeram, prout in omnibus manuſcriptis exemplaribus extat, expunxerunt. Hic B. Clementem *Epiſcopum conſecravit, eiq; Cathedram, vel Eccleſiam omnem diſponendam commiſit, dicens. Sicut*

mihi

† Orig. l. 6. c. 19. vel e Sacrificiis p. 82. c. l. 1. edit. Iac. du Breul Benedict. a. 1601. Lutet.

L. de Offic. Eccleſ. 15 edit. du Bru. p. 585. col. 1. b. & T. 10. Biblioth. Patr. p. 188. e.

Liturgic. p. 41. edit. Pariſ. a. 1616.

Vide Anaſtaſ. de Vitis Põtif. edit. Mogunt. a. 1602. typ. Ioan. Albini.

mihi gubernandi tradita eſt à Domino meo Ieſu Chriſto po- Habentur hæc
teſtas, ligandi, ſoluendiq́, ita & ego tibi committo, vt ordines. En hac ſt. Sal-
diſpoſitores diuerſarũ cauſarum per quos actus Eccleſiaſticus maſ. ad Sirm. õl
c. 5 edit pariſ. an
profligetur, & tu minimè in curis ſeculi deditus reperiaris; ſed 1621. p. 664.
ſolummodo ad orationẽ & prædicationem populi vacare ſtude. Poſt hanc diſpoſitionẽ martyrio corronatur. His verbis teſtamentum concipiebat Petrus, ſed quod eo cauerat ſuppreſſum eſt, hæredibus enim onus & officia imponebat immenſum quantum ab ipſorum propoſito & mor'bus aliena. Alibi, apud eundnem ſcriptorem, ubi in omnibus manuſcriptis codicibus *Papa vrbis*, id eſt, Romæ le- Anaſt in Step.
gitur; falſarij iſti, *Papam orbis* ſubſtituerunt: ſic enim V. p. 215. et.
Salmaſ. in En-
nunc Romæ loquuntur. Voces illæ, Epiſcopus vrbis Ro- ch. ad S. in. õd.
mæ, pridem obſoleuerunt. Illi ipſi ſunt qui apud Fulber- p. 464.
tum Epiſcopum Carnotenſem, quo loco inſignia Auguſtini verba profert, *Figura eſt ergo præcipiens paſſioni Domini eſſe communicandũ*, has voces inſeruerunt, *figura ergo eſt, dicet hæreticus* aſtutè hæretico tribuentes ſenten- Vide Fulbert
tiam quæ reuera Auguſtini eſt, qualiter etiam à Fulber- Carnot. editã:
to allegabatur. Iidem ſunt qui apud Gregorium ma- Villerio a. 16:
gnum *ſacerdotum exercitus* in *ſacerdotum exitus* [per quos 1608 Pariſ. p.
168.
apoſtaſias & defectiones volunt intelligi] transformarunt. Legunt enim Epiſt. 38. lib. 4. *Omnia &c. quæ prædicta ſunt fiunt, Rex ſuperbiæ prope eſt, &, quod dici nefas eſt, Sacerdotum ei præparatur exitus*; cum Manuſcripti codices [imo In edit. Romã.
& ipſe Bellarminus †] legant *Sacerdotum ei præparatur* 1589. & aliis.
exercitus. Iidem alium Gregorij inſignem locum pari Ex Iameſio in
Vindic. Gregor
fraude corruperunt, qui in libris manu ſcriptis ſic habet. loco. 666.
Peruenit quoque ad nos quoſdam ſcandaliʒatos fuiſſe, quod †Bel. de Rom.
Pontif. l. 3. c. 13.
presbyteros chriſmate tangere in fronte, eos qui baptiʒati ſunt, §. Addis. &
prohibuimus. Et nos quidem ſecundũ veterem vſum Eccleſiæ extr. c. 5. pari
noſtræ fecimus. Sed ſi omnino hac de re aliqui cõtriſtrantur vbi rat. ione. Epiſt.
l. 3 ep. 26. exem
Epiſcopi deſunt, vt presbyteri etiam in frontibus baptiʒatos item.
chriſmate tangere debeant, concedimus. Recẽtiores hæc quę hodierno Romanorum, de chriſmatis in fronte miniſtro, dogmati aduerſari videbant [ſoli enim nunc Epiſc-

copo baptizatorum frontes chriſmare licet) audacter in editionibus mutarunt, & pro eo quod ſcripſerit Gregorius, *chriſmate tangere in fronte eos qui baptizati ſunt*; item, *in frontibus baptizatos chriſmate tangere*, impudenter ſcripſerunt, *eos qui baptizandi ſunt*, & *baptizandos chriſmate tangere*. Bellarminus ipſe monuit corruptum eſſe locum, & veram quam exhibuimus librorum lectionem, tum ex altero, ex ipſius Gregorii loco, qui extat eodem libro, epiſt. 9. tum ex Gratiano & Thoma confirmat; *qui hunc* (inquit) *locum ita citant, ut eſſe debet, non ut modo legitur in codicibus impreſſis*. Illi ipſi ſunt qui hunc Auguſtini locum commutarunt, quod ſuæ tranſm[u]tationis dogmati adverſaretur; *corpus Domini* (inquit ille) *in quo reſurrexit, uno loco eſſe oportet; veritas autem ejus ubique diffuſa eſt*. Sic enim ſcripſiſſe Auguſtinum & res ipſa clamat, & apertiſſimè teſtantur ſuo Cartonenſis [a], Algerus [b], Lombardus [c], Gratianus [d], Thomas [e], Bonaventura [f], Scotus [g], Durandus [h], Biel [i] & alii veteres, qui hæc verba ſic planè recitant. Recentiores Latini pro illis verbis, *uno loco eſſe oportet*, hæc, peſſima & inverecunda fraude, ſubſtituerunt, *uno loco eſſe poteſt*, ut videre eſt in omnibus Auguſtini editionibus quæ ex eorum officinis prodierunt. Ab eadem manu & cauſa eſt quod ſequitur. Auguſtinus in Ioannem, tractatu 26. extremo, ſcripſerat; *Ac per hoc qui non manet in Chriſto, & in quo non manet Chriſtus, proculdubio nec mãducat carnem ejus, nec bibit ejus ſanguinem, etiamſi tantæ rei ſacramentum ad judicium ſibi manducet & bibat*. Qui noviſſimam Auguſtini editionem Pariſinam A. D. 1635. procurarunt, fatentur ſe locum ita ſcriptum in codicibus manuſcriptis ſex reperiſſe; atque ita lectum fuiſſe etiam Thomæ Aquinatis tempore, ex ejus Catena (quod & editores iſti annotarunt) patet; quod & ipſum ex Proſpero quoque clariſſimè confirmatur, qui ſententiam 339. quam ex hoc loco eruit, ita expreſſit; *Nam qui diſcordat à Chriſto, nec carnem ejus manducat, nec ſanguinem bibit, etiamſi tantæ rei ſacramentum ad*

quæ

ut in edit. Pariſ. A.D 1533

l. de conſecr. c. 12 §. ejiquid m

Tract. 30. in Ioan.

a Decret. part. 3. c. 8.
c 1. 4. Sent. d. 10
d de conſecr. d. 2. c. Prima.
e 3. q. 75. art. 1.
g in 4. d. 19. q. 3
h in 4. d. 10.

Caſtig. T. 3. p. 74

iudicium ſuæ præſumptionis quotidie indifferenter accipiat quæ ita laudata ſunt iam ante aliquot ſecula, & ab Iuone Carnotenſi, & à Gratiano, & ab ipſo Lombardo. At nuperas omnes editiones verba Auguſtini ridiculè ſic interpolata exhibent. *Ac per hoc qui non manet in Chriſto & in quo non manet Chriſtus proculdubio nec manducat ſpiritaliter carnem eius, nec bibit eius ſanguinem,* licèt carnaliter & viſibiliter premat dentibus ſacramentum corporis & ſanguinis Chriſti, ſed magis *tantæ rei ſacramentum ad iudicium ſibi* manducat & bibit, quia immundus præſumpſit ad Chriſti accedere ſacramenta, quæ aliquis non indignè ſumit, niſi qui mundus eſt, de quibus dicitur, Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Hactenus Latini corruptores; quorum nemo non videt quo ſpectet craſſa iſta planeq; inepta Auguſtinianæ orationi attexta lacinia; nempe ut perſuadeant Chriſti carnem, quam Auguſtinus ſimpliciter negauerat ab indignè communicantibus ſumi, ab iis *carnaliter* & *viſibiliter* ſumi, tametſi eadem ſpiritualiter ab ipſis non ſumatur: Iidem in tractatu *de rectitudine catholicæ conuerſationis* (qui non Auguſtini, ſed Eligii Nouiomenſis A.D.663. donati, verè eſt †) ita de fideli ægrotante legunt, *Oleum benedictum fideliter ab Eccleſia petat, unde corpus ſuum VNGATVR.* At ſcriptum fuiſſe olim, *unde corpus ſuum ungat* clarè reſtatur Valdenſis, dum locum ita citat; & ſane id ipſum poſcit Latini ſermonis ratio (dicendum enim erat *unde corpus eius ungatur*, non autem *corpus ſuum*) ac firmat denique Sermo de Tempore apud Auguſtinum 215. hinc excerptus, in quo *ungat* legitur, non autem *ungatur*. Corruptores *ungatur* ſubſtituerunt, ne hæc Eligiana unctio à ſua extrema videretur aliena; quam nemo ægrotus ſibi ipſi miniſtrat, ut notum eſt. Illi ipſi ſunt qui Aimoino, vel eius certè Continuatori, ſuppoſuerunt quæ ſequuntur *In qua Synodo (quam octavam uniuerſalem illuc conuenientes appellarunt) de imaginibus adorandis ſecundùm quod Orthodoxi Doctores antea diffinierant ſtatuerunt*: cùm prorſus con-

Iuo Decret. P. 2. c. 8. extr. Grat. decon-ſecr. d. 2. c. qui diſcordat. Lombard. l. 4. d. 9.

T. 4. Auguſt. p. 44. c. d. † Vide Sirmond. Concil. Gal. T. 1. p. 613.

Vald. T. 2. de Sacram. c. 160. Tom. 10. Auguſt. p 367. col. 1. B.

Aim. in deg. Franc. l. 5. c. 28 p. 3 0. edit. Pariſ. A. 1603. apud Ant. ſ. & Hieronym Drouart.

M

tra ſcripſiſſet, *aliter quàm orthodoxi definierãt ſta'uerunt*, ut apparet tum ex manuſcriptis codicibus, tum ex antiquioribus editionibus, tum ex Baronio ipſo, qui hoc poſtremo modo hunc locum laudat, Annalium Tomo decimo ad annum Chriſti octingenteſimum ſexageſimum nonum. Illi ſunt qui ex Oecumenio locum ſequentem totum expunxerunt. † *Qui enim Legi patrocinabãtur venerationem etiam Angelorum inducebant, quia Lex per ipſos data eſt, mãſit autem conſuetudo illa in Phrygia, adeo ut Synodus Laodicena lege prohibuerit ad Angelos accedere, eoſue precari, unde eſt quod apud eos ſunt multa templa Michaelis Archangeli, vel ſummi ducis exercitus.* Quem locum David Hoeſchelius in notis ſuis ad librum Origenis contra Celſum pag. 483. teſtatur ſe vidiſſe & legiſſe in manuſcriptis Oecumenii codicibus, qui tamen nullus eſt in hactenus excuſis. Sed quod iſtos impulit cauſæ Romanæ ſtudium Oecumenio ſua hæc eripere, idem eos iſta aliena Theodoreto commodare & affingere ſubegit. τοῦτο τὸ πῦρ πιστεύομεν εἶναι καθαρτήριον ἐν ᾧ καθαρίζονται αἱ ψυχαὶ ὡς χρυσὸς ἐν τῷ χωνευτηρίῳ. *Hunc ipſum ignem purgatorium credimus in quo animæ purgantur, ſicut aurum in conflatorio.* Hæc enim tanquam Theodoreti verba & Latini Græcis iam pridem objectant, ut ex Nilo [a] pater, & Bellarminus [b] & Gagnæius [c] velut ex Scholiis Theodoreti in 1 Cor. 3. nunc quoque in diſputatione de Purgatorio afferunt. Quæ & olim Græci Theodoreti ſui eſſe negarunt, & nos hodie fruſtra ſiue in illius Patris in Paulum Commentariis, ſiue in aliis operibus quærimus, quæ nuſquam iſtic reperiuntur, ne in nouiſſima quidem Theodoreti editione [d].

† Οἱ γὰρ τῷ νόμῳ συνηγοροῦντες καὶ τὴν τῶν ἀγγέλων θρησκείαν εἰσηγοῦντο, ἐπειδὴ δι' αὐτῶν ὁ νόμος ἐδόθη. ἔμεινε δὲ τὸ πάθος τοῦτο ἐν τῇ Φρυγίᾳ, ὡς καὶ τὴν ἐν Λαοδικείᾳ σύνοδον νόμῳ κωλῦσαι τὸ προσεύχεσθαι ἀγγέλοις· καὶ μέχρι τοῦ νῦν εὐκτήρια παρ' αὐτοῖς τοῦ ἀρχιστρατήγου Μιχαὴλ πολλά.

a De Purgat. p. 144. extr.

b L. 1. de Purgat. c. 10. §. Theod.

c in 1 Cor. 3.

d Pariſienſi a. 1642 in fo. Græc. Lat. 4. Tom.

Similia alterius Latinorum de ſui Papæ primatu dogmatis ſtudium Thomam Aquinatem olim ſubegit falſa quædam teſtimonia & Chalcedonenſibus Patribus, & Cyrillo Alexandrino affingere. Nam adverſus Græcos diſputans hæc uelut Calcedonenſis Concilij decreta affert; *Si quis Epiſcopus prædicatur infamis, liberam habeat ſen-*

In opuſculo cõtr. error Græc. ad Vrban. P. R. 4.

ſententiam appellandi ad beatiſſimum Epiſcopum antiquæ Romæ; quia habemus Petrum petram refugij; & ipſi ſoli libera poteſtate, loco Dei ſitius diſcernendi, ſecundum claues à Domino ſibi datas. Item; Omnia ab eo definita teneantur, tanquam à Vicario Apoſtolici throni: Denique, *legitur* (inquit) *in Clacedonenſi Concilio, quod TOTA Synodus clamauit Leoni Papæ, Leo ſanctiſſimus, Apoſtolicus, & Icumeraycos* (*acumenicum* ni fallor intelligit] *Patriarcha multos viuat annos.* Cyrillum vero idem Thomas hæc quæ ipſe refert, in *Theſauro* ſcripſiſſe ait: *Sicut Chriſtus accepit à Patre ſuper omnem principatum & poteſtatem, vt ei cuncta curventur, pleniſſimam poteſtatem; ſic & Petro & eius ſucceſſoribus pleniſſime commiſit.* Item; *Nulli alii, quam Petro Chriſtus quod ſuum eſt plenum, ſed ipſi ſoli dedit.* Tum & illud; *Apoſtoli in Evangeliis & epiſtolis affirmarunt in omni doctrina Petrum eſſe loco Dei & eius Eccleſiam.* Et, *Illi* (*Petro*) *omnes iure, diuino caput inclinant, & primates mundi tanquam ipſi Domino Ieſu obediunt.* Denique; *Nos vt membra manere debemus in capite noſtro Pontifice Romano, & Apoſtolico throno, à quo noſtrũ eſt quærere quid credere & quid tenere debemus; quoniam ſolius Pontificis eſt arguere, corrigere, increpare, ratum facere, diſponere, ſoluere, & ligare.* Hæc Thomas ſane perquam impudenter; quorum nihil in veris vel Chalcedonenſis Synodi actis, vel Cyrilli operibus hodie uſpiam legitur aut apud Græcos aut apud ipſos etiam Latinos. Quin & nunc quoque in tanta litterarum luce in ſimilem tamen audaciam nonnunquam tametſi multo quam olim parcius erumpunt. Ibid.

Ita Bellarminus vt genuinum Athanaſij opus eſſe probet id quod eius nomine circumfertur Symbolum, Auguſtinum quædam de ſuo verba affingere non dubitauit; *Auguſtinus* (inquit (*nominatim Athanaſium Epiſcopum Alexandrinum citans, in Pſalm* 120. *integrum articulum huius ſymboli adducit.* Iterum alibi; *Sanctus* (inquit) *Auguſtinus tractatu* in Pſalm. 120, *ſic loquitur explicans illud*, Per diem Sol non oret; De hoc Sole Pater Athanaſius Alexandri- L.2. de Chriſto. c.25 §. A hoc De ſcrip. Eccleſ. in Athan. in Tom. 4.

nus ita pulchrè locutus eſt. Non factus,nec creatus,nec genitus. Quis Bellarmino hæc,non ſemel, ſed bis affirmanti non crederet? At certum eſt tamen iſta, quæ velut Auguſtini citat ac deſcribit nuſquam apud eum in tota Pſalm. 120. enarratione legi, nuſquam illic extare *Athanaſii* nomen quem iſte *nominatim* ibi citari ſcribit. Vnum cauſæ ſtudium hominem tranſverſum egit, & quæ Auguſtino nunquam in mentem venerant, ea velut ab ipſo diſertè ſcripta fingere compulit. Eadem quoque Auguſtino Poſſeuinus impudenter tribuere non eſt veritus. Simili de cauſa vitiatum eſt Proſperi Chronicon ad a. Arcadij & Honorii Imperatorum XXIII. quo loco auctor ſcripſerat. *Prædeſtinatorum hæreſis quæ ab Auguſtino accepiſſe dicitur initium his temporibus ſerpere exorſa.* Vſſerius ita ſcriptum fuiſſe teſtatur in duobus Anglicanis optimæ notæ manuſcirptis libris, altero bibliothecæ Regiæ, altero Benedictini, apud Cantabrigienſes, collegij Sic quoque habere & codices duos Gallicanos æque manuſcriptos, alterum S. Victoris Pariſienſis; alterum qui Antonij Oiſelij olim fuit, diſertè tradidit Iacobus Sirmondus. Editores nè hinc pateret Auguſtinum ipſum fuiſſe illa Prædeſtinatianiſmi calumnia appetitum, & qui Maſſilienſibus Prædeſtinatiani ſunt, eos reuera fuiſſe ſinceros Auguſtini diſcipulos, locum mutarunt & pro iis quæ exhibuimus ex manuſcriptis libris, iſta quæ in codicibus excuſis vulgò habentur ediderunt; *Prædeſtinatorum hæreſis, quæ ab Auguſtini libris malè intellectis accepiſſe dicitur initium his temporibus ſerpere exorſa.* Inde etiam eſt quod quandam Fauſti famoſiſſimi Pelagianorum ſigniferi epiſtolam, illius ſectæ venenis refertam, velut à IX Epiſcopis in Concilio neſcio quo Arelatenſi approbatam, eorumq; nominibus & ſubſcriptionibus munitam ediderint †, quam Sirmondus & apud Hincmarum & in veterib. optimis quibuſq; libris ſolum Fauſti auctoris nomen præferre teſtatur, * tametſi, quod meritò mireris, ipſe quoque, partium ſtudio victus, in Conciliorum Gallicanorum editione eam ab his ipſis Epiſcopis ſubcriptam

Appar. ſacr. voce Athanaſius.

Hiſt Gotheſc. p. 17. extr.

Hiſt. Præd. ſ. 5. p. 29.

Proſp. Chron. ex ed. P. Pithœi item Tom. 1 Script. Fran. à Cheſne p. 198. e.

† *T. 1. Concil. ad A. 524 p. 184. c. 2*

* *Hiſt. prædeſt. c. 7. p. 48.*

repræſentare non dubitarit [a]. Fauſti me nomen monet ne indictam prateream inſignem Margarini de la Bigne impoſturam, qui Fauſti huius non uno à veteribus ſtigmate notati librum *de gratia & libero arbitio* in altera Bibliothecæ Patrum editione lectori velut *opus inſigne* propinat. Quin & hominem aperte Semipelagianum non ſatis habens de infami hæreticorum turba eripuiſſe, cœlitum ſanctorum choris inſeruit modo *Beatum* †, modo *Divum* * appellitans. Ac licet in recentiſſima Biblothecæ editione expunctis Margarini elogiis Fauſtus longe aliis pro ſuo merito ornatus fuerit †; tamen ne nunc quidem apud Ieſuitas deſunt, qui pro eius nomine ac fama pugnent. * Sed, ut inſtitutam orationem perſequar, quis credat, ne Breuiaria quidem & Miſſalia ipſa ab hac iſtorum audacia intacta manſiſſe? Notarunt viri doctrina & probitate inſignes, in collecta quæ in feſto Cathedræ S. Petri legitur, hæc antea fuiſſe verba. *Deus qui B. Petro Apoſtolo tuo collatis clauibus regni cœleſtis animas ligandi Pontificium tradidiſti*; Sed in poſterioribus Breuiariorum & Miſſalium editionibus inductam vocem *animas.** ne Papæ poteſtas ad ſpiritualia tantùm, minimè verò ad temporalia pertinere cenſeretur: Et in Euangelio feriæ tertiæ quæ tertiam Quadrageſimæ Dominicam ſequitur excuderunt. *Dixit Ieſus Diſcipulis ſuis*, cum in veteribus exemplaribus legatur. *Reſpiciens Ieſus in Diſcipulos, dixit Simoni Petro, ſi peccauerit in te frater tuus*, vafré ſubductis vocibus, *Simoni Petro*, ne videretur Dominus Petrum, id eſt Pontificem Romanum, tribunali Eccleſiæ, ad quod ipſum amandat, ſubjeciſſe, Et ſi Tridentini Patres Thomæ Paſſij Valentini Canonici ſententiam conceſſiſſent, expuncti fuiſſent è Pontificali loci omnes qui in ordinatione Miniſtrorum Eccleſiæ populi ſuffragij, conſenſuſque; eius mentionem faciunt, & hic maximè quo ordinatione Preſbyteri Epiſcopus dicit. *Neque fuit fruſtra à Patribus inſtitutum, vt de electione illorum qui ad Regimen altaris adhibendi ſunt, conſulatur*

a To. 1. 150.
T. 4.
† T. 2.
* In in. auctor.
† Edi. 4. T. 4. p. 691.
* Sirmõd Hiſt. Præd ſt nat.
Sirmõ. Vigor. l. 1. de Monar h. Eccleſ. cap. 3 p. 44. 45. F. Paulo di Venet. Apolo. contr Bellarm. p. 353. Rog. Vdringtõ. Apol. pro iure Princ. §. 8. p. 35.
* Si legitur in Breuiario Clemẽtis VIII. l. ſu recognitio p. 937. Sic legitur Ibid. p. 369.
Sic legebatur in Breuiar. o. impreſſo Pariſ. a. 1492. per Ioan. de Prato.
Pontif. Rom. de ordin. ã. p. eſbyt f. 34. col. 2.

Græcis, quo Scriptorum iſtum in partes ſuas traherent, aſſuta fuiſſe. Petauius, proximè, ſic ſoluit objectionem quæ petitur ex 68. canone Apoſtolorum adverſus ieiunium Sabbathi quod in Eccleſia Romana obſervatur. *Tanquam ſpurius* (inquit) *& alienus canon ille reijcitur* & *ab otioſis Græculis verba ſunt intertexta*. Sed ſi cui cordi ſit quã dubia & incerta ſint poſtremæ hujus Antiquitatis ſcripta conſiderare, legat Synodum octauam, quam Oecumenicam volunt Occidentales; codices Latinos cum Græcis conferat, & expendat maximè Anaſtaſij, Papæ Bibliothecarij, præfationem. Is poſtquam accerrimè in Græcorum ambitionem inuectus eſt, poſtquam quos hi habent tertij Concilij Canones eos veluti ſuppoſititios rejecit, ut paucis rem expediat, nihil circuitione uſus, omnia Concilia, nullo niſi primo excepto, Græcos depravaſſe affirmat. Quibus jam ſcriptis aquieſcemus, quandoquidem peſtis illa adeo altè inſedit, penituſque ipſa Concilia, hoc eſt monumentorum Eccleſiæ Veterum cor ipſum occupauit? Symbolum ipſum, tot conciliis Oecumenicis conſecratum, ejuſmodi depravationibus ſubduci non potuit Nam ut nihil dicam de hiſce levis momenti verbis, *de cœlis*, *ſecundum Scripturas*, *Deum de Deo*, quæ in quibuſdam Symbolis haberi, in aliis verò deſiderari obſeruauit, in Synodo Florentina, Cardinalis Iulianus, fluxere iam integra ſecula ex quo inter Orientales & Occidentales de voce *Filioſque* in capite de proceſſione Spiritus Sancti contenditur: Illi querentibus ad his additam; his muſſantibus ab illis ſublatam; quæ quidem alteratio, licèt videatur in ſpeciem levis, magni tamen eſt momenti, adeo ut ex ea pendeat quæſtionis ſummi momenti deciſio: hæc enim eſt quæ hactenus inter utroſque ſchiſma fecit; videlicet num Spiritus Sanctus non minus procedat à Filio quàm à Patre. Indicio certiſſimo factum ſtudio partium (quiqui ſint criminis hujus rei) ut manus tam ſacro monumento injicerentur. Sed quicquid tentatum eſt olim in hiſce rebus pene

Petavius not. in Epiph. p. 359

Cõ. VIII. tot maximè Act. 6 & 10 in qua habẽtur Synodi Canones.

Anaſtaſ. in ep. ad Adrian. P. R. præfix. Cõ. VIII. p. 1?6 T. 3 Concil.

Conc. Flor. ſeſſ. 12. p. 413. A B. T. 4. Concil. Ibid. ſeſſ. 4. & 5. & Concil. 7. Act. 7. T. 3. p. 660. E. quo loco videnda annot. marg.

pene jocus & ludus cenſebitur, ſi cum iis compararetur quæ facta ſunt nouiſſimis hiſce temporibus, quibus adeo ſtudiis incanduere miſeri mortales, ut, ratione & pudore proculcatis, nulli neque Scripto neque Auctori pepercerint, quin paſſim obvia quæque fœdarint. Eorum certè qui eò audaciæ proruperunt nunquam ſatis damnare poteſt mala fides; quapropter nonniſi ſumma cum ratione mihi quæ ſequuntur viſus eſt ſcrpſiſſe Eraſmus præfatione in Hieronymi Opera ad Guilielmum VVaramum Archiepiſcopum Cantuarienſem. *Extat* (inquit ille) *eximiis vereq́ Sacroſanctis auctoribus quos nobis vel erudita dedit Græcia, vel huius æmula prodidit Itali a vel olim ſtudiis floretiſſima produxit Gallia, vel ingenioſa peperit Africa, vel laboris patiens edidit Hiſpania rara quadã eruditione ſuſpiciendos, eloquentia claros, vitæ ſanctimonia venerandos, quæſo te quàm pauci ſuperſunt, caſu ſeruati magis quàm noſtro beneficio; atque hi rurſũ ipſi quàm fœdè mutilĕ quàm contaminati, quàm prodigioſis mendis undique ſcatentes, ut non magni referat ſic ſupereſſe. Equidem ut non aſpernor ſimplicem vulgi pietatem, ita non poſſum non mirari tã præpoſterum multitudinis iudicium. Calceos, Sanctorum & ſudariola muco ſordentia exoſculamur, & eorumdem libros ſanctiſſimas & efficaciſſimas Divorum reliquias, neglectos iacere patimur. Tuniculam aut induſiolum Diui aureis gemmatiſq́ thecis reponimus, & libros ab illis elaboratos in quibus id quod illorum fuit optimum nobis adhuc viuit ſpiratq́, cimicibus tineis ac blattis impunè rade ndos relinquimus Neque verò difficile ſit huiuſce rei cauſam coniecturis aſſequi. Poſtea quã Principum mores planè iam in barbariam, quandam tyrannidem degeneraſſent, tum Epiſcopi profanam ditionem magis cœpiſſent ãplecti, quàm ab Apoſtolis traditum docendi munus mox univerſa docẽdi provincia in iſtos quoſdam eſt relegata qui charitatis & religionis cognomen ſeu peculiare ſibi vindicant: Iam negligi cœpta bona litteræ, faſtidita Græcanici ſermonis peritia, multoq́ magis Hebraici, ſpretum eloquentiæ ſtudium, quin & ipſa lingua Latina ſic conſpurcata eſt ſuibinde.*

noua barbatie,vt iã nihil minùs eſſet quàm Latina,nec hiſtoria nec Antiquitatis ulla cura,tantùm ad Sophiſticas quaſdã argutias contracta res literaria , & eruditionis ſumma penes Summularios quoſdã collectores ac excerptores eſſe cœpit,hoc nimirum impudentiores quo minus eruditos.Proinde Veteres illos Scriptores facilè vel antiquari paſſi ſunt , vel quod vero propius eſt,ipſi abolendos curarunt,ut quos iã fruſtra legerent nimirum his rebus deſtituti , ſine quibus illi non queunt intelligi. Et tamen ex illis utcunque decerpta quædam ſuis Cõmentariis admiſcuerunt,qua gratia magis etiam in rem iſtorum erat illos interire,ne quando vel plagii conuincerentur, vel inſcitiæ.Scilicet tanti erat antiquari Clementem,Irenaũ, Polycarpum,Origenem,ut horum vice Occam,Durandum, Capreolum.Lyranum Burgenſem & his etiã indoctiores legeret orbis.Sub horum igitur diutina tyrannide tanta fuit bonarũ literarum ac bonorum auctorum πανολεθρία, ut è doctorum ordine pelleretur qui vel paululũ litteraturæ melioris attigiſſet. His rebus factum eſt ut tot orbis lumina quorum titulos dũtaxat,nec id ſine lachrymis,legitimus funditus interierint, & ſi quos contigit ſuis ſupereſſe fatis,hi ſic modis omnibus deprauati ſunt,adeo truncati cõtemeratiq́,ut fœlices videri poſſint qui perierunt. Hæc de omnibus in genere Patribus prolocutus,accedit demum ad ipſum id cuius opera prçfabatur Hieronymum.*Atque id profecto cùm mihi vehementer indignũ videtur in omnibus eruditis,tum longè indigniſſimũ in Hieronimo............. At nunc haud ſcio an quiſquiam omnium tractatus ſit indigniùs.Bona pars vigiliarum eius intercidit.Quod supereſt non deprauatum erat,ſed prorſus extinctum & obliteratum,idq́,partim illiteratorum vitio ſcribarũ, qui ſolent ex emendatis inemendata deſcribere , ex mendoſis mendoſiora reddere prætermittere quod non legunt,corrũpere quod non intelligunt ,velut Hebrea Græcaq́ vocabula , quæ frequenter intermiſcet Hieronimus: ſed multo ſceleratius a ſacrilegis haud ſcio quibus ſtudio detruncata permulta, addita nõnulla,mutata pleraque depravata,ſordidata cõfuſa pene omnia,ut vix ulla ſit periodus quam eruditus poſſit inoffensè*

legere

legere. Imò quod eſt peſtilentiſſimum vitiandi genus, perinde quaſi parum eſſet tot inſulſiſſimas nugas juxta infantes atque ineruditas in hominis eloquentiſſimi pariter ac doctiſſimi nomen ac titulũ contuliſſe, mediis illius commentariis paſſim admiſcuerunt ſuas nanias, ne quis repurgare poſſet. Nam librum falſo inſcriptum permulta ſunt quæ coarguunt, cæterum fragmenta paſſim intermixta, veluti frumento confuſum lolium, quo tandem cribro repurget aliquis? Atque hac omnia ſic eſſe facta docebimus mox in operum ipſius Catalogo, tum ſecundi Tomi duabus præfationibus ac cenſuris. Commovit itaque me partim tam inſignis Eccleſiæ Doctoris non ferenda cõtumelia, in cujus immortalia monumenta, ſic impiè debacchati ſunt iſti pluſquam apri Calydonij, partim publica ſtudioſorum utilitas quos videbã à tam eximiis epulis hiſce rebus ſubmoveri, &c. Hactenus Eraſmus. Hunc autem locum licet paulò prolixiorem huc totum tranſcribere placuit, cùm quod ingenuè & luculenter, non ſolùm malum ipſum, verùm etiam mali fontes & cauſas aperuiſſe mihi videatur, tum etiam quòd fruſtra ſit qui hîc hariolетur non rei indignitate permotum, ſed partium ſtudio ductum in has querelas erupiſſe Eraſmum. Ante natas quippe controverſias quæ diſceſſionem in religione fecerunt, & iſta ſcripſit vir ille magnus & Hieronymi opera, ex quibus ea deſumpſi, excuſa ſunt anno ſcilicet 1516. Baſileæ, apud I. Frobenium. Sed Eraſmi quærelæ recentiores non deterruerunt quin ſimili audacia in veterum monumenta graſſarentur. Joannem quidem Gagnejum Pariſienſem Theologum cum Alcimi Aviti poëmata, A. D 1536. Lugduni ederet, & *alia pro arbitrio immutaſſe ac depravaſſe, & quingentis propè verſibus* præter librorum tum manuſcriptorum tum etiam a. 1507. & 1509. Coloniæ editorum fidem *inaudito atque incredibili facinore interpolaſſe* obſervavit eruditiſſimus Sirmundus. Ita plurimorum de Sanctorum veterum vitis ſcriptorum lucubrationes in ſua illa tricubitali farragine Surius Carthuſianus pro ſui ingenij captu variè ac multipliciter in-

Præfat. in Avitum & not. p. 61. edit. Pariſ. a. 1643.

terpçlauit; quod facinus optimus monachus adeo non erubuit, vt de pleriſque ipſe monuerit, ſe eorum ſtilum mutaſſe. Ita in vita Martinæ Virginis[a], Concordij[b], Genouefuæ[c], Rigoberti[d], Iuliani & Baſiliſſæ[e], Guilielmi Bituricenſis[f], Boniti Aruerni[g], Speuſippi & Eleuſippi[h], Sulpitij Bituricenſis[i], Launomari[k], Pontiani[l], Sebaſtiani[m], Præjecti[n], Popponis[o], Margaritæ[p], Conſtantii[q] monentur lectores, *ſtilum in gratiam lectoris à Surio mutatum eſſe.* Sed & in aliis ſexcentis, quos recenſere longum eſt, idem quoque ſe auſum eſſe profitetur. Clariſſimus Boſquetus hanc eius fraudem in Saturnini actis notauit[r], in quibus quod auctor ſcripſerat *ſenſim & gradatim in omnem terrā ſonus Euangelii exiuit, T A R D O Q V E proceſſu in regionibus noſtris Apoſtolorū prædicatio coruſcauit, id Surius contra Manuſcriptorum fidem ſuo* (inquit Boſquetus) *more, corrupit pariqueproceſſu* pro *tardo edidit*[s], ne videlicet hinc diſceremus Dei religionem ſerius trans Alpes ſuſceptam (vt ait Sulpitius Seuerus[t]) Sic fruſtra quæras in editionibus Operis imperfecti in Matthæum, quas Mahuſius quidam franciſcanus procurauit, varia quæ hinc inde à multis ſcriptoribus ex illo de Scriptura, de notis Eccleſiæ de Euchariſtia afferuntur. Illa omnia, dum ſe fingit opus id à fæcibus Arianorum repurgare, mundumque ac terſum dare velle, fœdè ſubſtulit Monachus, nec venerandum Chryſoſtomi nomen, quo (licèt vt ſupra monuimus, falsò) inſcribitur obſtitit quominus ſic truncaretur. Nec vnus hanc Latinorum hominum audaciam, vidit & denotauit Eraſmus. Laurentius Brochellus, diu poſtea, Præfatione in Decreta Eccleſiæ Gallicanæ, id ipſum, licèt non ita fusè, perſequitur. *Taceo* inquit *innumeros auctores ſacros profanos, veteres, recētiores, ab iſtis tam improbi quam infælicis ingenij hominibus miſerabiliter decurtatos, vel ipſis Regibus parcere non aſſuetis, nedū S. Ludouico, cuius Pragmatica, vt vocant Sanctionis articulos nonnullos, maximè ad rei Gallicæ ſtatum pertinentes, abs Bibliotheca illa SS. Patrum, conſtitutionibus Regiis & ſtatutis* Epiſ-

a ad d. 1. Ian. p. 9.
b ibid. p. 10.
c d. 3. Ian p. 51.
d d. 4. Ian. p. 60
e Ibid. d. 9. Ian. 142.
f d. 10. Ian. p. 156.
g d. 15. Ian. p. 2.9.
h ad 17. Ian. p. 245.
i ibid. p. 285.
k d. 19. Ian. p 291
l Ibid. p. 295.
m d. 20. Ian. p. 301.
n d. 25. Ian. p. 418.
o Ibid. p 420
p d. 28 Ian. p. 544.
q d. 29. Ian. p. 549.
r d. 1. hiſt. Eccl. pall. ſ. 3 6 p. 62 & [illegible] p. 89
s Sur. ad d. 29. Noueb. p 650.
t Hiſt. ſacr l. 2.

Epiſcoporum quorundam Synodalibus, Reginæ vrbium Lutetiæ nuper impreſſis expunxerunt. Væ, iterum væ, ut cum vidente exclamen nebulonibus, qui tales Muſarum caſtitati & integritati venerandæ non ſolum inſidias ſtruunt, ſed & Muſas ipſas impudenter & nequiter ſubdolo religionis zelo nullius frontis homines deuirginant, fucumque iſtum, pietatis nomen ementitum, inter pias fraudes numerant. Sed hic aduerſus illos non ſcribimus. Satis eſt, quod luce clarius eſt confirmaſſe iſtos additis & reſciſſis plurimis innumera fidei veterum monumenta immutaſſe & deprauaſſe. Iſti ſunt qui in hac XII. Cypriani ad populum Carthaginenſem Epiſtolæ periodo. *Audiant quæſo patienter conſilium noſtrum expectent regreſſionem noſtram, vt cum ad vos per Dei miſericordiam venerimus, conuocati coepiſcopi plures ſecundum Domini diſciplinam, & Confeſſorum præſentiam, & veſtram quoque ſententiam, beatorum martyrum literas & deſideria examinare poſſimus*, ex editionibus Gryphianis Lugd. 1528. & 1537. & Pamelij voces has, *ſecundum veſtram quoque ſententiam* quæ in aliis, puta Manutij & Morellij Pariſiis 1564. habentur, per ſcelus expunxerunt; quia ex iis diſcimus, quod nos neſcire ſua referre cenſuerunt, plebem fidelem, ſcilicet, in ſuæ Eccleſię negotiis partes ſuas, iuſq; ſuffragij aliquomodo habuiſſe. Illi ipſi ſunt qui, in epiſtola quadrageſima, de *petra petrum* [a] fecerunt, & qui corruptorum priſcorum veſtigiis inſiſtentes eiuſdem Tractatum de unitate Eccleſiæ fœdè adulterarunt, in medias eius periodos variis de ſuo inſartis, contra optimorum manuſcriptorum fidem cuiuſmodi hæc ſunt [b] *Super illum unum* (Petrum) *ædificat Eccleſiam ſuam & illi paſcendas mandat oues ſuas* [c]. Item [d] *Primatus Petro datur ut vna Eccleſia Chriſti, & Cathedra una monſtretur* [e] Denique; *Cathedra Petri ſuper quam fundata eſt Eccleſia*

Cypr. Pamel. & Gryphij Lugd. a. 1528. & 1537. l. 3 ep. 16. p. 148 Aliæ editiones ut Manutij, item Morellij Par. a. 1564. legunt ſecundum veſtram quoque ſententiam a *Cypr. Pamel. ep. 40. p. 76. col. 2. Cathedra una ſuper Petrum Domini voce fundata. Gryphin. a. 1537 p. 52. Morell. a. 1564. p. 124. habebant ſuper Petrã.* b *Cypr. Pã. p. 254. col. 1.* c *Hæc deſiderantur in edit. Gryp. a. 1537. p. 244. & Morell. a. 1564. p. 33.* d *Cypr. Pamelij ibid.* [f] *Vnam Cathedram conſtitui quæ verba deſiderabãtur in edit. Gryphij a. 1537. p. 244. & Morellij p. 33.* e *Cypr. Pam. Ibid. Primatus Petro datur ut una Eccleſia Chriſti & Cathedra una mõſtretur & paſtores ſunt õmes ſed grex unus oſtẽditur qui ab Apoſtolis õnibus unanimi cõſenſione paſcatur. Quæ verba õnia exceptis his (ut una Eccleſia mõſtretur) nõ habebãtur in edit Gryph necq; Morell. ut ſupra.* f *Cypr. Pã. p. 254. col. 1. Qui Cathedram Petri ſuper quã fũdata eſt Eccleſia. Abſunt à Gryp. & Morell. edit iiſdẽque, ſupra G*

g Pamel. in argũ. ep. 75. Cypr. A quo adeo ſoriaſſis cõſultius fore eſſe in[?] quam eam fuiſſe hanc epiſtolam is. ut putem conſ. li. illam omiſiſſe Manutium.

Quorum quidem additamentorum nemo eſt qui ſcopum, & qua mente aſſuta fuerint, non videat. Illi ipſi ſunt[g] qui quàm moleſtè ferant non ſuppreſſam Firmiliani Cæſariæ Cappadocum Epiſcopi, magni, ſuo tempore, nominis, epiſtolam non obſcurè ferunt. Cum enim ex ea pateat quanta libertate veterum ſeculorum Epiſcopi cum Papa agerent, eam de induſtria Manutius in Cypriani editione Romana omiſerat. Verum Morellius eam in ſua editione reſtituit, Cyprianique, ad quem ſcripta eſt, epiſtolis inſeruit, magno argumento quibus ſtudiis iſti trahantur, & quot eiuſmodi fœtus clam præfocarint. Hæc eſt Officina ex qua miſer ille Ambroſius tam fœdè interpolatus prodiit, & cuius ſortem grauiter lamentatus eſt Nicolaus Faber [h]. Boni illi artifices qui eum ediderunt, nimis, (ut inquit ille) in alieno opere ingenioſi, mutarunt, miſcuerunt, tranſpoſuerunt quicquid libuit, ut hoc maximè quod ipſe notat. Libros de interpellatione Iobi & Davidis in aliis editionibus coniunctos diuiſerunt, quod ut facerent exemplo parum laudabili inſeruerunt & interpolarunt nonnulla, quod & fecerunt in prima Apologia Dauid; ſed longè peius in altera, ex cuius capite octauo quinque aut ſex lineas, quæ in omnibus veteribus editionibus leguntur, expunxerunt. Tribuerunt item Scriptori illi Tractatus quoſdam, qui eius non ſunt, quales ſunt liber de arbore prohibita. Item alius in poſtremum caput Proverbiorum. Et tamen ex iſta Ambroſij editione expreſſa eſt ea quæ Pariſiis anno 1603. prodiit. Neque vero hanc, quam Faber denotauit, primam fuiſſe putes Romanorum Cenſorum in Ambroſium iniuriam. Aliam item ante grauiſſimus, ac ſanctiſſimus ſcriptor ab eiuſdem farinæ correctoribus paſſus erat, eiuſdem generis contumeliam, quam ego hoc loco Franciſci Iunii, teſtis αὐτόπτου fide ac verbis exſequar. *Ante annos* (inquit) *viginti ſeptem cum Lugduni agerem* (*egi autem a. 1558.*) *& ſequente correctore quodam typographico uſus ſum familiariter, cui Ludouico Sanario,*

h Nic. Faber epiſt. ad Front. Ducæum in Opuſc. p. 215. & 216. & de corp. & ſang. Dom. ad ... p. 518. Ambroſ. ed. ... ã. 1550.

Iun. Præf. in Indic. expurgat. Belgic. à ſe editum ã. 1586.

vario fuit nomen. Habitabat ille non procul à Mercuriali vico, in ædibus coniunctis trium columbarum ſigno. Cum ad ſalutandum hominem veniſſem, caſu vel potius ſingulari Dei providentia accidit, ut verſantem cum offenderem in recognoſcendis D. Ambroſii operibus, quæ tū Frelonius excudebat. Variis autem ſermonibus ultro citroq; habitis, cum me auocamēto eſſe ab opere nolle oſtenderem, ille redorſus lectionem unius paginæ, Vides-ne (inquit) hanc formam Ambroſianæ editionis noſtræ quam ſit elegans, accurata, & in ſpeciem omnibus anteponanda aliis, quæ adhuc in lucem prodiuerunt? Poſtea contuenti opus & probanti elegantiam eius dixit: Ego vero ſi quod exemplum Ambroſiani operis mihi emendum eſſet, quodvis exemplum aliud potius, quam hoc quod vides, compararem. Sciſcitatus ſum huius dicti cauſam. Tum ille de forulis ſub menſa ſua latentibus aliquot paginas promens (erant autem paginæ, ut loquuntur Græci κεχιασμέναι ſiue cancellatæ, aliæ ex parte, & aliæ univerſè.) Hæc eſt (inquit prima) forma paginarum, quas his paucis diebus ad exemplum veteris, & certi exemplaris optimæ fides impreſſimus. Franciſcani autem duo pro auctoritate has omnes paginas diſpunxerunt, ut vides, & illas ſubſtitui in locum priorum curaverunt præter omnem noſtrorum librorum fidem; quæ res ſumptum & moleſtiam Frelonio creavit graviſſimam; Nam pretium chartæ, operarumque amiſit univerſum; temporis iacturam paſſus eſt, & typographicas illas priores plagulas commutari novis ad libidinem iſtorū oportuit magno malo noſtro & admiratione mea. Hactenus Iunius de Latinis ex Franciſci ſodalitio cenſoribus. Horumne aut ſimilium recentiorum, an aliorum vetuſtiorum mane corruptus fuerit Iſidori in Originibus de ſacrificio locus, reciſa ejus ultima parte, haud facilè dixerim; Mutilatum quidem ac decurtatum locum ex Rathramno (ſiue Bertramo) conſtat, qui eum cùm ante annos pene oſtingentos deſcriberet, ita exhibuit; *Cujus panis & calicis ſacramentum Græci Euchariſtiam dicunt, quod Latinè bona gratia interpretatur. Et quid melius corpore & ſanguine Chriſti? Panis verò & vinum ideo corpori & ſāguini:*

Domini comparantur, quia ſicut viſibilis huius panis vinique ſuſtantia exteriorem nutrit & inebriat hominem, ita verbum Dei qui eſt panis vivus participatione ſui fidelium recreat mẽtes. Atque hæc quidem apud Rathramnum Iſidorus; ſed iſta ultima fruſtra in vulgatis ejus codicibus quæras, † in quibus locus in hæc verba deſinit; *Et quid melius corpore & ſanguine Chriſti?* Nimirum Latinos, qui poſt Iſidori ſecula, primo Paſchaſij Ratberti novitates, tum & ipſam tranſſubſtantiationem, admiſerunt, movit quod Iſidorus *panem* & *vinum* nominat, & quod utrumq; *corpori & ſanguini comparari* dixit, non in ipſius corpore & ſanguinis Dominici ſubſtantiam ſua amiſſa conuerti. Quæ fortaſſe ratio eoſdem, vel certè ejuſdem generis artifices, compulit hæc in alio Iſidori opere ita ſcribere atque edere. *Porro ex hinc ſexta ſuccedit confirmatio ſacramenti; vt ablatio quæ Domino offertur, ſanctificata per Spiritum Sãctum corpori Chriſti & ſanguini confirmetur*, vel nullo vel inepto ſenſu; Quid enim quæſo eſt *confirmari corpori Chriſti?* vel quod in Patrum Bibliotheca habetur *corporis Chriſti*. Caſſander, qui nunc ipſum locum recitans legit *conformetur*, & res ipſa atque ſenſus docent, ſcriptum ab Iſidoro fuiſſe *corpori Chriſti & ſanguini conformetur.* Sed id verbum Latinis ſequiorum temporum dilutius viſum eſt quàm ut ſuæ μετουσιώσεως myſterium repræſentaret. Itaque audacter mutarunt, Iſidorique nullum hìc eſſe quàm ſibi adverſantem ſenſum maluerunt. Iam in homines non abſimilis ingenij incidit ille quoque fœdiſſimè truncatus & mutilatus Anaſtaſij, vel potiùs Damaſi, aut alterius, Anaſtaſio longè vetuſtioris, de vitis Pontificum liber. Nam primo ab iis Auctoris ad Hieronymum Præfatio ſublata eſt, quod hodierno Curiæ Romanæ ſtilo non multum conveniat. Deinde ex vita S. Petri periodum quam hic inſeram, prout in omnibus manuſcriptis exemplaribus extat, expunxerunt. Hic B. Clementem *Epiſcopum conſecravit, eiq; Cathedram, vel Eccleſiam omnem diſponendam commiſit, dicens. Sicut*

† Orig. l. 6. c. 19. voce Sacrificiũ p. 82. c. l. 1. edit. Iac. du Breul Benedict. a. 1601. Lutet.

L. de Offic. Eccleſ. 15 edit. du Bru. p. 585. col. 1. b. & T. 10. Biblioth. Patr. p. 188. a.

Liturgic. p. 43. edit. Pariſ. a. 1616.

Vide Anaſtaſ. de Vitis Põtif. edit. Mogunt. a. 1602. typ. Ioan. Albini.

mihi gubernandi tradita eſt à Domino meo Ieſu Chriſto po *Habentur hæc*
teſtas,ligandi, ſoluendiq́;,ita & ego tibi committo,vt ordines. *ſcribar ſt.Sal-*
diſpoſitores diuerſarū cauſarum per quos actus Eccleſiaſticus *maſ.ad Sirm.ō l*
profligetur,& tu minimè in curis ſeculi deditus reperiaris;ſed *c ſ edit pariſ.ac*
ſolummodo ad oratione & prædicationem populi vacare ſtude *1621.p.664.*
*Poſt hanc diſpoſitionē martyrio corronatur.*His verbis teſtamentum concipiebat Petrus, ſed quod eo cauerat ſuppreſſum eſt, hæredibus enim onus & officia imponebat immenſum quantum ab ipſorum propoſito & moribus alieńa. Alibi, apud eundnem ſcriptorem, ubi in omnibus manuſcriptis codicibus *Papa vrbis*, id eſt, Romæ legitur; falſarij iſti, *Papam orbis* ſubſtituerunt: ſic enim nunc Romæ loquuntur. Voces illæ, Epiſcopus vrbis Romæ, pridem obſoleuerunt. Illi ipſi ſunt qui apud Fulbertum Epiſcopum Carnotenſem, quo loco inſignia Auguſtini verba profert, *Figura eſt ergo præcipiens paſſioni Domini eſſe communicandū*, has voces inſeruerunt, *figura ergo eſt,dicet hæreticus* aſtutè hæretico tribuentes ſententiam quæ reuera Auguſtini eſt, qualiter etiam à Fulberto allegabatur. Iidem ſunt qui apud Gregorium magnum *ſacerdotum exercitus* in *ſacerdotum exitus* [per quos apoſtaſias & defectiones volunt intelligi.] transformarunt. Legunt enim Epiſt. 38. lib. 4. *Omnia* &c. *quæ prædicta ſunt fiunt, Rex ſuperbiæ prope eſt,&,quod dici nefas eſt,Sacerdotum ei præparatur exitus*;cum Manuſcripti codices [imo & ipſe Bellarminus †] legant *Sacerdotum ei præparatur exercitus.* Iidem alium Gregorij inſignem locum pari fraude corruperunt, qui in libris manu ſcriptis ſic haber. *Peruenit quoque ad nos quoſdam ſcandaliʒatos fuiſſe, quod presbyteros chriſmate tangere in fronte,eos qui baptiʒati ſunt, prohibuimus.Et nos quidem ſecundū veterem vſum Eccleſiæ noſtrū fecimus.Sed ſi omnino hac de re aliqui cōtriſtrantur vbi Epiſcopi deſunt, vt presbyteri etiam in frontibus baptiʒatos chriſmate tangere debeant,concedimus.*Recētiores hæc quę hodierno Romanorum, de chriſmatis in fronte miniſtro, dogmati aduerſari videbant [ſoli enim nunc Epiſ-

Anaſt in Step. V. p. 215. ex. Salmaſ.in Ench.ad S.rn.ōd. p.464.

Vide Fulbert Carnot. editū: Villerio a. 16: 1608 Pariſ.p. 168.

In edit. Romā. 1589. & aliis. Ex Iameſio.in Vindic.Gregor loco.666.

† Bel. de Rom. Pontif.l.3.c.13. §. Addit. & extr. c.8.pari ratione.Epiſt. l.3 ep.26.extrem.

copo baptizatorum frontes chriſmare licet) audacter in editionibus mutarunt, & pro eo quod ſcripſerit Gregorius, *chriſmate tangere in fronte eos qui baptizati ſunt*; item, *in frontibus baptizatos chriſmate tangere*, impudenter ſcripſerunt, *eos qui baptizandi ſunt*, & *baptizandos chriſmate tangere*. Bellarminus ipſe monuit corruptum eſſe locum, & veram quam exhibuimus librorum lectionem, tum ex altero, ex ipſius Gregorij loco, qui extat eodem libro, epiſt.9. tum ex Gratiano & Thoma confirmat; *qui hunc* (inquit) *locum ita citant, ut eſſe debet, non ut modo legitur in codicibus impreſſis*. Illi ipſi ſunt qui hunc Auguſtini locum commutarunt, quod ſuæ tranſmutationis dogmati adverſaretur; *corpus Domini* (inquit ille) *in quo reſurrexit, uno loco eſſe oportet; veritas autem ejus ubique diffuſa eſt*. Sic enim ſcripſiſſe Auguſtinum & res ipſa clamat, & apertiſſimè teſtantur ſuo Cartonenſis [a], Algerus [b], Lombardus [c], Gratianus [d], Thomas [e], Bonaventura [f], Scotus [g], Durandus [h], Biel [i] & alii veteres, qui hæc verba ſic planè recitant. Recentiores Latini pro illis verbis, *uno loco eſſe oportet*, hæc, peſſima & inverecunda fraude, ſubſtituerunt, *uno loco eſſe poteſt*, ut videre eſt in omnibus Auguſtini editionibus quæ ex eorum officinis prodierunt. Ab eadem manu & cauſa eſt quod ſequitur. Auguſtinus in Ioannem, tractatu 26. extremo, ſcripſerat; *Ac per hoc qui non manet in Chriſto, & in quo non manet Chriſtus, proculdubio nec mãducat carnem ejus, nec bibit ejus ſanguinem, etiamſi tantæ rei ſacramentum ad judicium ſibi manducet & bibat.* Qui noviſſimam Auguſtini editionem Pariſiis iam A. D. 1635. procurarunt, fatentur ſe locum ita ſcriptum in codicibus manuſcriptis ſex reperiſſe; atque ita lectum fuiſſe etiam Thomæ Aquinatis tempore, ex ejus Catena (quod & editores iſti annotarunt) patet; quod & ipſum ex Proſpero quoque clariſſimè confirmatur, qui ſententiam 339. quam ex hoc loco eruit, ita expreſſit; *Nam qui diſcordat à Chriſto, nec carnem ejus manducat, nec ſanguinem bibit, etiamſi tantæ rei ſacramentum ad*

quæ

ut in edit. Pariſ. A. D. 1633

l. de conſecr. c. 12 §. eſt quid m

Tract. 30. in Ioan.

a *Decret. part.* 2. c. 8.
c 1. Sent. d. 10
d *de conſecr. d.* 2. c. *Prima.*
e 3. q. 75. art. 1.
g *in* 4. d. 19. q. 3
h *in* 4. d. 10.

Caſtig. T. 3. p. 74.

iudicium ſuæ præſumptionis quotidie indifferenter accipiat quæ ita laudata ſunt iam ante aliquot ſecula, & ab Iuone Carnotenſi, & à Gratiano, & ab ipſo Lombardo. At nuperas omnes editiones verba Auguſtini ridiculè ſic interpolata exhibent. *Ac per hoc qui non manet in Chriſto & in quo non manet Chriſtus proculdubio nec manducat ſpiritaliter carnem eius, nec bibit eius ſanguinem*, licèt carnaliter & viſibiliter premat dentibus ſacramentum corporis & ſanguinis Chriſti, ſed magis *tantæ rei ſacramentum ad iudicium ſibi* manducat & bibit, quia immundus præſumpſit ad Chriſti accedere ſacramenta, quæ aliquis non indignè ſumit, niſi qui mundus eſt, de quibus dicitur, Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Hactenus Latini corruptores; quorum nemo non videt quo ſpectet craſſa iſta planeq; inepta Auguſtinianæ orationi attexta lacinia; nempe ut perſuadeant Chriſti carnem, quam Auguſtinus ſimpliciter negauerat ab indignè communicantibus ſumi, ab iis *carnaliter* & *viſibiliter* ſumi, tametſi eadem ſpiritualiter ab ipſis non ſumatur: Iidem in tractatu *de rectitudine catholicæ conuerſationis* (qui non Auguſtini, ſed Eligii Nouiomenſis A.D.663. donati, verè eſt †) ita de fideli ægrotante legunt, *Oleum benedictum fideliter ab Eccleſia petat, unde corpus ſuum VNGATVR*. At ſcriptum fuiſſe olim, *unde corpus ſuum ungat* clarè reſtatur Valdenſis, dum locum ita citat; & ſane id ipſum poſcit Latini ſermonis ratio (dicendum enim erat *unde corpus eius ungatur*, non autem *corpus ſuum*) ac firmat denique Sermo de Tempore apud Auguſtinum 215. hinc excerptus, in quo *ungat* legitur, non autem *ungatur*. Corruptores *ungatur* ſubſtituerunt, ne hæc Eligiana unctio à ſua extrema videretur aliena; quam nemo ægrotus ſibi ipſi miniſtrat, ut notum eſt. Illi ipſi ſunt qui Aimoino, vel eius certè Continuatori, ſuppoſuerunt quæ ſequuntur *In qua Synodo (quam octavam uniuerſalem illuc cõuenientes appellarunt) de imaginibus adorandis ſecundùm quod Orthodoxi Doctores antea diffinierant ſtatuerunt*: cum prorſus con-

Iuo Decret. P. 2. c. 8. extr. Grat. de conſecr. d. 2. c. qui diſcordat. Lombard. l. 4. d. 9.

T. 4. Auguſt. p. 445. d. † Docet Sirmond. Concil. Gal. T. I. p. 613.

Vald. T. 2. de Sacram. c. 160. nult.

Tom. 10. Auguſt. p 367. col. 1. B.

Aim in. de geſt. Fr nc. l. 5 c. 28. p. 3 0. edit. Pariſ. A. 1603. apud Andr. & Hieronym Drouart.

tra ſcripſiſſet, *aliter quàm orthodoxi definierāt ſtatuerunt*, ut apparet tum ex manuſcriptis codicibus, tum ex antiquioribus editionibus, tum ex Baronio ipſo, qui hoc poſtremo modo hunc locum laudat, Annalium Tomo decimo ad annum Chriſti octingenteſimum ſexageſimum nonum. Illi ſunt qui ex Oecumenio locum ſequentem totum expunxerunt. † *Qui enim Legi patrocinabātur venerationem etiam Angelorum inducebant, quia Lex per ipſos data eſt, māſit autem conſuetudo illa in Phrygia, adeo ut Synodus Laodicena lege prohibuerit ad Angelos accedere, eoſue precari, unde eſt quod apud eos ſunt multa templa Michaelis Archangeli, vel ſumi ducis exercitus.* Quem locum David Hoeſchelius in notis ſuis ad librum Origenis contra Celſum pag. 483. teſtatur ſe vidiſſe & legiſſe in manuſcriptis Oecumenii codicibus, qui tamen nullus eſt in hactenus excuſis. Sed quod iſtos impulit cauſæ Romanæ ſtudium Oecumenio ſua hæc eripere, idem eos iſta aliena Theodoreto commodare & affingere ſubegit. *τοῦτο τὸ πῦρ πιστεύομεν εἶναι καθαρτήριον ἐν ᾧ καθαρίζονται αἱ ψυχαὶ ὡς χρυσὸς ἐν τῷ χωνευτηρίῳ. Hunc ipſum ignem purgatorium credimus in quo animæ purgantur, ſicut aurum in conflatorio.* Hæc enim tanquam Theodoreti verba & Latini Græcis iam pridem objectant, ut ex Nilo[a] patet, & Bellarminus[b] & Gagnæius[c] velut ex Scholiis Theodoreti in 1 Cor. 3. nunc quoque in diſputatione de Purgatorio afferunt. Quæ & olim Græci Theodoreti ſui eſſe negarunt, & nos hodie fruſtra ſiue in illius Patris in Paulum Commentariis, ſiue in aliis operibus quærimus, quæ nuſquam iſtic reperiuntur, ne in nouiſſima quidem Theodoreti editione[d].

† Οἱ γὰρ τῷ νόμῳ συνηγοροῦντες καὶ τοὺς ἀγγέλους σέβειν εἰσηγοῦντο· ἐπεὶ δι' αὐτῶν καὶ ὁ νόμος ἐδόθη. ἔμεινε δὲ τοῦτο ἐν Φρυγίᾳ τὸ ἔθος, ὡς καὶ τὴν ἐν Λαοδικείᾳ σύνοδον νόμῳ κωλῦσαι τὸ προσεύχεσθαι ἀγγέλοις καὶ προσανέχειν, ἀφ' οὗ καὶ ἕως παρ' αὐτοῖς τὰ εὐκτήρια τοῦ ἀρχιστρατήγου Μιχαὴλ πολλοί.

a De Purgat. p. 141. extr.

b L. 1. de Purgat. c. 10. §. Theod.

c in 1 Cor. 3.

d Pariſienſi a. 1642 in fol. Græc. Lat. 4. Tom.

Similia alterius Latinorum de ſui Papæ primatu dogmatis ſtudium Thomam Aquinatem olim ſubegit falſa quædam teſtimonia & Chalcedonenſibus Patribus, & Cyrillo Alexandrino affingere. Nam adverſus Græcos diſputans hæc velut Calcedonenſis Concilij decreta affert; *Si quis Epiſcopus prædicatur infamis, liberam habeat ſen-*

In opuſculo cōtr. error. Græc. ad Vrban. P. R. 4.

ſententiam appellandi ad beatiſſimum Epiſcopum antiqua Ro-
mæ;quia babemus Petrum petram refugij; & ipſi ſoli libera
poteſtate,loco Dei ſitius diſcernendi,ſecundum clauesà Domi-
no ſibi datas.Item; *Omnia ab eo definita teneantur,tanquam*
à Vicario Apoſtolici throni: Denique, *legitur* (inquit) *in*
Clacedonenſi Concilio,quod TOTA Synodus clamauit Leoni
Papæ,Leo ſanctiſſimus,Apoſtolicus,& Icumeraycos (*acumeni-*
cum ni fallor intelligit] *Patriarcha multos viuat annos*.Cy-
rillum vero idem Thomas hæc quæ ipſe refert, in *The-*
ſauro ſcripſiſſe ait: *Sicut Chriſtus accepit à Patre ſuper omnem*
principatum & poteſtatem,vt ei cuncta curventur, pleniſſi-
mam poteſtatem; *ſic & Petro & eius ſucceſſoribus pleniſſime*
commiſit. Item;*Nulli alii,quam Petro Chriſtus quod ſuum* Ibid.
*eſt plenum,ſed ipſi ſoli dedit.*Tum & illud;*Apoſtoli in Evan-*
gelиis & epiſtolis aſſirmarunt in omni doctrina Petrum eſſe
loco Dei & eius Eccleſiam. Et, *Illi (Petro)omnes iure,diuino*
caput inclinant,& primates mundi tanquam ipſi Domino Ieſu
obediunt. Denique;*Nos vt membra manere debemus in ca-*
pite noſtro Pontifice Romano,& Apoſtolico throno,à quo noſt-
rũ eſt quærere quid credere & quid tenere debemus; *quoniam*
ſolius Pontificis eſt arguere,corrigere, increpare, ratum facere,
diſponere,ſoluere, & ligare. Hæc Thomas ſane perquam
impudenter; quorum nihil in veris vel Chalcedonenſis
Synodi actis, vel Cyrilli operibus hodie uſpiam legitur
aut apud Græcos aut apud ipſos etiam Latinos. Quin &
nunc quoque in tanta litterarum luce in ſimilem tamen
audaciam nonnunquam tametſi multo quam olim par-
cius erumpunt.

Ita Bellarminus vt genuinum Athanaſij opus eſſe pro-
bet id quod eius nomine circumfertur Symbolum, Au-
guſtini quædam de ſuo verba affingere non dubitauit;
Auguſtinus(inquit(*nominatim Athanaſium Epiſcopum Ale-* L.2. de Chriſto.
xandrinum citans,in Pſalm 120. *integrum articulum huius* c.25 §. Ad hoc
ſymboli adducit. Iterum alibi; *Sanctus* (inquit) *Auguſtinus* De ſcript. Ecclеſ. in Athan.
tractatu in Pſalm. 120, *ſic loquitur explicans illud*,Per diem in Tom.4.
Sol non oret; De hoc Sole Pater Athanaſius Alexandri-

repræſentare non dubitarit [a]. Fauſti me nomen monet ne indictam prætercam inſignem Margarini de la Bigne impoſturam, qui Fauſti huius non uno à veteribus ſtigmate notati librum *de gratia & libero arbitio* in altera Bibliothecæ Patrum editione lectori velut *opus inſigne* propinat. Quin & hominem aperte Semipelagianum non ſatis habens de infami hæreticorum turba eripuiſſe, cœlitum ſanctorum choris inſeruit modo *Beatum* †, modo *Divum* * appellitans. Ac licet in recentiſſima Bibliothecæ editione expunctis Margarini elogiis Fauſtus longe aliis pro ſuo merito ornatus fuerit †; tamen nec nunc quidem apud Ieſuitas deſunt, qui pro eius nomine ac fama pugnent. * Sed, ut inſtitutam orationem perſequar, quis credat, ne Breuiaria quidem & Miſſalia ipſa ab hac iſtorum audacia intacta manſiſſe? Notarunt viri doctrina & probitate inſignes, in collecta quæ in feſto Cathedræ S. Petri legitur, hæc antea fuiſſe verba. *Deus qui B. Petro Apoſtolo tuo collatis clauibus regni cæleſtis animas ligandi Pontificium tradidiſti;* Sed in poſterioribus Breuiariorum & Miſſalium editionibus inductam vocem *animas*.* ne Papæ poteſtas ad ſpiritualia tantùm, minimé verò ad temporalia pertinere cenſeretur: Et in Euangelio feriæ tertiæ quæ tertiam Quadrageſimæ Dominicam ſequitur excuderunt. *Dixit Ieſus Diſcipulis ſuis*, cum in veteribus exemplaribus legatur. *Reſpiciens Ieſus in Diſcipulos, dixit Simoni Petro, ſi peccauerit in te frater tuus*, vafré ſubductis vocibus, *Simoni Petro*, ne videretur Dominus Petrum, id eſt Pontificem Romanum, tribunali Eccleſiæ, ad quod ipſum amandat, ſubjeciſſe. Et ſi Tridentini Patres Thomæ Paſſij Valentini Canonici ſententiam conceſſiſſent, expuncti fuiſſent è Pontificali loci omnes qui in ordinatione Miniſtrorum Eccleſiæ populi ſuffragij, conſenſuſque; eius mentionem faciunt, & hic maximè quo ordinatione Preſbyteri Epiſcopus dicit. *Neque fuit fruſtra à Patribus inſtitutum, vt de electione illorum qui ad Regimen altaris adhibendi ſunt, conſulatur*

[a] To. 1. 150.
T. 4.
† T. 2.
* In in. auctor.
† Edi. 4. T. 4. p. 691.
* Sirmõd Hiſt. Præd. ſt. nat.
Sirmõ. Vigor. l. 2. de Monar. h. Eccleſ. cap. 3 p. 44. 45 F. Paulo di Venetia Apolo. contr Bellarm p. 353. Rog. Vdringtõ. Apol. pro iure Princ. §. 3. p. 35
* Si legitur in Breuiario Clemẽtis VIII. l. ſu recognitio p. 937. Sic legitur Ibid. p. 369.
Sic legebatur in Breuiar. o. impreſſo Pariſ. a. 1492. per Ioan. de Prato.
Pontif Rom. de ordin. ã. p. eſbyt f. 3. col. 2.

etiam populus, quia de vita & converſatione præſtandi, quod nonnunquam ignoretur à pluribus ſcitur à paucis, & neceſſe eſt vt faciliùs ei quis obedientiam exibebat, ordinato cui aſſenſum præbuerit ordinando. Volebat bonus ille Canonicus hæreticis omnia quæ inde petunt argumenta erepta, ac proinde vt loci iſti omnes de Pontificali expungerentur, ne ullum eorum in poſterum veſtigium ſupereſſet*. Conſtat ex Hincmaro die S. Leonis dictam olim in Eccleſia Latina fuiſſe hanc orationem. *Annue nobis Domine, vt animæ famuli tui Leonis hæc proſit oblatio, quam immolando totius mundi tribuiſti relaxari delicta.* Conſtat ex Innocentio III. eandem in antiquis Miſſalibus planè ita conceptam fuiſſe. Reſpondet enim quærenti, quare hæc verba mutata fuerint, quæ antiquiores codices continebant, pro quibus in modernis Sacramentariis iſta haberi dicit quæ & in noſtris hodie leguntur: *Annue nobis quæſumus Domine vt interceſſione B. Leonis hæc nobis proſit oblatio.* Nempe deleta eſt ea orationis forma quæ docebat Veteres etiam pro ſanctis & quiete fruentibus animabus precari ſolitos; non adeo putaſſe quod apud Latinos poſtremorum temporum obtinuit, pro iis duntaxat animabus eſſe precandum quæ in fictitio purgatorij ignis carcere cruciarentur. In Martyrologia, quorum præcipuam inter publica Eccleſiæ monumenta fidem atque integritatem eſſe decebat, eodem quoque modo nouitas atque audacia graſſata eſt. Ipſe Areopagiticæ de Dionyſio fabulæ vindex ac defenſor Milletus, ſcribit *nulla ad nos niſi adjectione nouorum Sanctorũ, aut Græcorum imitatione corrupta Martyrologia perueniſſe.* Bedæ quidem Martyrologio [quod vetuſtiſſimum putatur] multa à Floro, multa ab aliis ſubinde addita vel detracta notat Launoyus, neque ea facilè ab ipſis Bedæ verbis diſcerni poſſe. Quod verò Euſebij dicitur, quam non ſit Euſebij, ex eo, vt idem obſeruauit, patet, *quod Hieronymum, Auguſtinum, Leodegarium, dedicationẽ Corbeienſis Eccleſiæ memorat*; quàm verò fidem mereatur ex eo quod crucis Domi-

* *Suaue Hiſt. Conſil. Trid. l. 7. p. 574.*

D *Prædeſt. c. 34. T. 1. p. 297. init.*

Extra. de celebrat. Miſſ. cap. cum Marthæ. l. b. 3. Decret. Gregor. Tit. 41. c. 11.

Vind. l. 2. c. 4.

Diſcuſſ. c. 7. p. 101.

Ibid p. 106.

Dominicæ inuentionem contigiſſe dicat &c. poſt Chriſti paſſionem 233. Cæterea recenſere longum eſt & inutile. Quædam tantum in Romano Martyrologio (quod omnium inſtar eſt) ab eodem Launoyo animadverſa hic referam. Ad diem 28. Maij Martyrologium Romanum Patauij circa a. 1500. & Venetiis a. 1549. editum habebat. *S. Carauni Martyris qui apud Carnotum ciuitatem, capite amputato martyrium ſumpſit.* Item ad Non. Auguſt. *Depoſitio B. Memmij, primi eiuſdem loci Epiſcopi qui inter plurima miracula, mortuo ſuſcitato, magnificus extitit, & cuius ſepulcrũ celeberrimis illuſtratur miraculis.* Item ad d. 27. Ianuarij: *Cenomannis depoſitio S. Iuliani, primi eiuſdẽ vrbis Epiſcopi.* Sed poſtquam Monachis placuit & harum & multarum aliarum ciuitatum primos Epiſcopos homines fuiſſe Apoſtolicorum temporum, mutata eſt ad eorum guſtum, vetus hæc lectio. Petrus enim, primùm, Galeſinius Mediolanenſis, tum etiam Baronius Cardinalis, in ſua uterque Martyrologij Romani recognitione, primo quidem loco ita ediderunt. *Carnoti in Gallia S. Carauni Martyris, qui SVB DOMITIANO IMPERATORE capite amputato martyrium ſumpſit.* Secundo verò ita ſubſtituerunt. *Catalaunis in Gallia S. Memmij CIVIS ROMANI QVI A S. PETRO illius ciuitatis Epiſcopus conſecratus populum ſibi commiſſum ad Euangelij veritatem perduxit.* Tertio denique hæc recripſerunt: *Apud Cenomannos depoſitio S. Iuliani primi eiuſdem vrbis Epiſcopi QVEM S. PETRVS ILLVC AD PRÆDICANDVM EVANGELIVM MISIT.* Ita miſerum Martyrologium poſterorum impoſtura coegit teſtari *Caraunum* & *Memmium* & *Iulianum* Apoſtolorum, quod hactenus neſciuerat, temporibus vixiſſe, paſſòſque eſſe. Idem Martyrologium Patauij à Bellino editum ad Kal. Octob. hæc habet: *Tornaco S. Piatonis Presbyteri & Martyris, qui cum B. DIONYSIO Epiſcopo, eiuſq; ſociis, ab vrbe Roma Galliam prædicationis cauſa expetiit, ac poſtea in perſecutione Maximiani conſummato Martyrio migrauit ad Dominum.* Hic vides,

Dionyſium Epiſcopum (id eſt Pariſienſem) cum eo homine veniſſe in Galliam, qui ſub Maximiano (id eſt poſt A D.285)paſſus eſt, adeoque; Areopagitam Pauli Diſcipulum eſſe non poſſe. Noſtri Romani, ne hæc importuna vox ſuauia ſuorum Areopagitarum ſomnia turbaret, totum locum pro ſua libidine,ſic, ut eſt apud Baronium effinxerunt.*Tornaci S.Piatonis Presbyteri & Martyris, qui cum B. Quintino eiuſq; ſociis ab urbe Roma in Galliam prædicationis cauſa perrexit,ac poſtea in perſecutione Maximiani conſummato martyrio migrauit ad Dominum.* In eadem veteri Patauina editione, ad d. 5. Non. Octob. ita ſcriptum habebatur. *Natale B. Dionyſij Epiſcopi & Martyris, qui poſt clariſſimã confeſſionem fidei,poſt grauiſſima tormentorum genera glorioſo martyrio coronatus eſt,ut teſtatur Ariſtides Athenienſis.* Ad d.vero 7. Id.Octob. hæc eadem illa editio exhibebat; *Natale SS.Martyrum, Dionſij Epiſcopi, Ruſtici presbyteri,& Eleutherij Diaconi, qui B.Epiſcopus à P. R. in Gallias prædicandi gratia directus, præfatam vrbem deuenit,vbi per aliquot annos commiſum ſibi opus fideliter proſequens, tandem à Præfecto Feſcennino una cum ſociis gladio animaduerſus martyrium compleuit.* Iſtud Dionyſiorum Epiſcoporum & Martyrum par, duobus diebus diuerſis paſſorum, noſtris Romanis diſplicuit, qui viderent, ſcilicet,eo nos doceri priorem quidem, d. 5. Non octob. paſſum, Athenienſem fuiſſe; poſteriorem verò, d. 7. id. Octob paſſum, Pariſienſem liquidò eſſe, alium adeo ab Athenienſi. Itaque, ut tuta ſecuraque; eſſet ſua de Pariſienſi Areopagita fabula, effecerunt,ut prior ille Dionyſius, d. 5. Non,iam paſſus, iterum, non quidem in gladium ſed in ſpongiam incumberet, ac de medio tolleretur.Alter ſolus,ad d. 7. Id Octob. ſupereſſet; quo loco, poſt Galeſinium, expuncta alterius ad 5. Non mentione, hæc quoque habet Baronius *Natalis SS Martyrum Dionyſij AREOPAGITÆ Epiſcopi,&c. Ex quibus Dionyſius AB APOSTOLO PAVLO BAPTIZATVS,PRIMVS ATHENIENSIVM EPISCOPVS EST ORDINA-*

DINATVS : DEINDE ROMAM VENIENS AB CLEMENTE Rom.P.in Gallias prædicandi gratia directus eſt. I nunc,& nega iſtos viros eſſe. Sed Galeſinius veritus,credo,ne martyres haberet iratos,quod ex Eccleſiæ Diptychis unius de ſuis ſoldalibus nomen evaſiſſet, numerum eorum ingenioſè ſuppleuit, aliunde adſcitis & in ſuam Martyrologij editionem præter vetuſtiorum librorum, tum ſcriptorum tum excuſorum fidem inſultis aliorum martyrum nominibus; ut ad d. 7. Kal. Iun. *Viennæ* (inquit) *S. Zachariæ Epiſcopi & Martyris, qui ſub Traiano paſſus eſt.* Item ad d.6.Id.Decemb.*Treuiris S. Eucharij, diſcipuli B Petri Apoſtoli,& primi eiuſdem ciuitatis Epiſcopi* Item ad d.18.Kal.Oct.*Treuiris S.Materni Epiſcopi, diſcipuli B.Petri Apoſtoli,qui Tungrenſes,Colonienſes & Treuirenſes alioſq; finitimos populos ad Chriſti fidem perduxit.* Hæc ad fabulas ſuas firmandas inuenta, & Galeſinius Martyrologio Romano primus adjecit, & Baronius retinuit, quæ φιλαληθέστατος Launoyus negat in veteribus libris,quoſcunque inſpexit, extare. Sed & Galeſinius ſuis Diuis nouam ſanè, neque in hoc unquam orbe antea viſam vel auditam comitem addidit, Synoridem Antiochenam, ſcilicet, Martyrem,quam ad d.24.Ianu. ita conſignauit; *ibidem*(id eſt Antiochiæ *Sanctæ Synodis Martyris.* Magnus Annalium parens in prima Martyrologii ſui editione Galeſinium bona fide ſecutus eſt,& hanc ad eius verba annotationem ſcripſit; *De ea* (inquit, id eſt Synoride) *Scribit S.Ioannes Chryſoſtomus homilia quarta de Lazaro. De alia iuniori*,&c. Locus autem Chryſoſtomi in quo ſe ſuam Synoridem reperi ſſe putauit ita habebat apud Latinum interpretem.*Verum non exiſtimavimus eſſe tutum B Babylæ & Synorides Sanctorum Martyrũ qui Babylã ſecuti ſunt rectè facta præterire.* Hinc errore planè ioculari pro ſingulari ſua in Græcis eruditione decepti Galeſinius & Baronius Synoridis nomen eſſe putarunt mulieris alicuius proprium, quam, quia Babylæ coniungitur, & martyribus eum ſecutis, Antiochiæ &

Diſſertat. de Sulpit. loco p. 70 119. 121. 122.

paſſam eſſe, & poſt paſſionem ad Chryſoſtomi tempora celebratam decreverunt. Græca auctoris immanem iſtorum hallucinationem vel pueris produnt, quæ ſic habent, Ἀλλ' οὐκ ἀσφαλὲς εἶναι ἐνομίσαμεν τοῦ μακαρίου Βαβύλα καὶ τῆς ξυνωρίδος τῶν ἁγίων μαρτύρων τῶν μετ' ἐκεῖνον παρελθεῖν τὰ κατορθώματα. Senſum eſſe, quem Fronto Ducæus Ieſuita eruditiſſimus in ſua editione expreſſi, omnes qui Græcè ſciunt vident; *Verum exiſtimavimus eſſe tutum B. Babylæ, & ξυνωρίδος, bigæ Sanctorum Martyrum, qui poſt illum occurrerũt, benefacta præterire.* Hæc Martyrum Synoris, ſive biga, Iuventium & Maximum ſignificat, quos d. Ian.25. laudaverat, cum d. præcedente (hoc eſt Ian.24.) Babylam laudaſſet, ut ex ea ipſa oratione apparet, quam in illos dixit. Sic enim eam orditur: Ὁ μακάριος Βαβύλας πρώην ἡμᾶς ἐνταῦθα μετὰ παίδων τριῶν συνήγαγε. σήμερον στρατιωτῶν ξυνωρὶς ἁγίων τὸ τοῦ Χριστοῦ στρατόπεδον ἐπὶ τῆς παρατάξεως ἔστησε. τότε ἅρμα μαρτύρων νῦν ξυνωρὶς μαρτύρων. *Heri B. Babylas, cum tribus pueris, nos his congregabat, hodie vero* Synoris militũ (i.e. par ſiue biga) *in acie exercitum Chriſti oſtendit. Heri quadriga Martyrum, hodie* Synoris *biga Martyrum.* Illa ergo Chryſoſtomea *Synoris*, nõ Virgo Antiochena, quod delirantes hariolantur noui Martyrologi, ſed par duorum Martyrum eſt, Iuventius & Maximus, qui pro Chriſto una paſſi ſunt. Rem fusè explicat Ducæus Notis ad poſteriorem hunc locum, quem, ſi quis volet, conſulat. Audio Baronium ipſum à Nicolao Fabro, & aliis amicis de fœdo & puerilli errore admonitum, & Galeſinianum textum, & ſuam in eum Annotationem ſuſtuliſſe (à poſterioribus quidem Martyrologij editionibus abſunt) & Synoridem ſuam retro, in nihilum, unde malis avibus venerat, egiſſe. Veriſimile eſt ſimili errore Galfridum, veterum Britanniæ hiſtoricum, & alios eum ſecutos, cùm non intelligerent quid ſit amphibalum (quod nomen ſignificat birrum utrimque villoſum) in his Gildæ verbis, *ſub ſancti Abbatis amphibalo*, id pro viri proprio nomine accepiſſe, & apud Gildam ea poſuiſſe quæ in aliquibus codicibus leguntur, *ſub ſancto Abbate*,

T. 5. edit. Paris p. 74. a. edit. Savil. T. 5 p. 253.

Orat. 40. T. 1. edit. Par. ſ. ſ. 485. Savil. T. 5. p. 523.

Not. in Orat. 40. T. 1. p. 83.

Narrat. Launoy. Diſcuſſ. c. 14. extr.

Amphibalo; ut ſuſpicari quem poſſe ait reuerendiſſ. Vſſerius; quod ſi verum eſt, ita ex cucullа vel birro factus fuerit Abbas, quod non eſt difficilius quam ex biga fieri virginem Martyrem Synoridem.

Vſſerius Antiq. Britan. c. 14. p. 539. 540.

Sed ſatis non fuit his modis quædam ex quibus de veteris Eccleſiæ ſententia nobis conſtare poterat monumenta depravare, in libros totos ſæuitum eſt, & in iis magno numero abolendis allaboratum. Quod ut pernoſcamus, ſciendum eſt prioribus ſeculis Imperatores Chriſtianos in ſcriptis, quę rectæ fidei aduerſari cenſebantur, exterminandis gnauiter incubuiſſe, ut patet ex libris Arianorum, Neſtorianorum & aliorum eiuſmodi, quos certum eſt ſeueris Principum iſtorum Edictis non ſolum prohibitos, ſed etiam profligatos & abolitos fuiſſe. Quinimo Eccleſia ipſa, ſicubi in libris ſuperiorum aliquid animadverteret, quod cum receptis ſuo tempore ſententiis non conveniret, eorum ſcripta, licèt pridem in Catholicorum communione obdormiiſſent, infamia notabat. Sic in Synodo quinta Oecumenica, cum Theodoro, Theodoreto, & Iba, illo Mopſueſtenſi, iſto Cyrenſi, hoc Edeſſeno, Epiſcopis, licèt longè ante in Eccleſiæ pace defunctis, actum èſt, ut & cum Origene, etſi tre centis annis ante mortuo. Non defuit hic Pontifex Romanus ſibi, veſtigiis iſtorum inſtitit, ni etiam dicendus ſit eos cum tempore ſuperaſſe. Vſſit, ſecuit, imò & penitus ipſa monumenta oppreſſit, ſi quid in Veterum ſcriptis occurrit à ſententia ſua alienum. Nec duorum, triumue, quatuor, aut quinque ſeculorum, vel etiam plurium ætati parcitum eſt. Exempli cauſa; Num vetus Eccleſia in templis ſuis Chriſti & ſanctorum imagines habuerit colueritve, hodie diſputatur. Certatum eſt etiam ſuper hac controuerſia diu & acriter in Græcia. Cùm in Concilio VII. Nicææ habito ſuperiores euaſiſſent qui cum affirmantibus ſentiebant, prohibuerunt ne quis adverſarum partium libros apud ſe haberet, iuſſeruntq; ut ad Patriarcham Conſtantinopolitanum com-

Concil. V. Collat. VIII. p. 612. A. B. T. 2. Concil. Ibid. collat. V. p. 564. & collat. VIII. Anathem. XI. T. 2. Concil.

Concil. VII. Act 8. Can. 9. T. 3. Concil. p. 606. A.

Ib. Act.5.p. 566.B. [illegible]

portarentur omnes, ut ſcilicet, iis fieret ſecundum Papæ Adriani Legatorum poſtulata, & flammis mandarentur quæcunque ſcripta fuiſſent aduerſus venerabiles imagines. Nec dubium eſt quin eadem clade perierint, quæcunque è libris veterum repugnare viderentur. Cuiuſmodi fuere Euſebii ad Conſtantiam, & Epiphanij ad Ioannem Hieroſolymitanum epiſtolæ, & aliæ quæ ea calamitate abſumptæ, ut probabile eſt, nunc deſiderantur. Epiſtola enim Epiphanij quam habemus eſt ex interpretatione Hieronymi & in Occidente conſeruata, ubi ſtudium imaginum longè remiſſius fuit quàm inter Orientales, apud quos Archetypos Græcum periit. Hos imitatus Adrianus II in ſuo Concilio decernit in Acta Concilij, quod Photius aduerſum Eccleſiam Romanam cœgerat, cum iis omnibus quæ cùm Photius, tum qui à partibus eius ſtabant, contra ſedem Romanam ſcripſerant ignibus tradantur; quod & in Synodo VIII. quam Latini Oecumenicam volunt, denuo imperauit. Fieri non poteſt quin iis ignibus conflagrarint plurima monumenta quæ uſui eſſe potuiſſent in illuſtranda veterum ſententia, ſeu ſuper imaginibus, de quibus in Synodo VII. actum erat, ſeu ſuper auctoritate Pontificis Romani, de qua maximè certabatur in controuerſia Photij, cuius ea de cauſa, etiamnum Romæ ſub claui cohibentur ſcripta nonnulla, quæ proculdubio edita haberemus, ſi tam in rem Romanam fuiſſent, quàm probabile eſt ab ea eſſe aliena. Inter hodiernas controuerſias nulla ferè eſt ea nobilior quæ de panis Eucharistici tranſſubſtantiatione agitatur. De hac nono etiam ſeculo diuerſæ fuerant doctorum virorum ſententiæ. Nam cùm Paſchaſius Rarbertus Adbas Corbeienſis a. 818. librum edidiſſet quod tranſſubſtantiationem apertè ponere videtur, Theologi aliquot horum & proximorum temporum eruditiſſimi, inde orta rei accuratiùs expendendæ occaſione, contra nouum illud dogma. ſcripſerunt. In primis Amalarius Archidiaconus Treuiren-

Cap.1. habetur in Conc. I III. Act.7.T 3 Concil.p. 256. Ibid. Act 1. in ep Adriani col 2 A.

uirenſis, Rabanus Abbas primò Fuldenſis & Moguntinus demum Archiepiſcopus, & apud nos Heriboldus Epiſcopus Antiſſiodorenſis, Ioannes Scotus, ſiue Erigen., & Rathramnus, ſiue (ut vulgo nunc dicitur) Bertramus. Cùm Berengarius, qui undecimo poſtea ſeculo Ratberti opinionem vehementer confutabat, Ioannis Erigenæ de hoc argumento opus afferret, magniq; faceret, Synodus Vercellenſis à Leone Papa IX. de hac cauſa habita eſt; atque in ea Ioannis illius *Scoti de Euchariſtia liber lectus eſt ac damnatus*, (inquit Lanfrancus [a] Berengarii aduerſarius) Hiſtoriæ Franciçæ fragmentum vetus [b] tradit, Berengarium Romam à Nicolao P. R. euocatum, Ioannem Scotum igni combuſſiſſe, id eſt Scoti librum; ipſe enim in Britannia ante annos 167. hoc eſt A. D. 883. in ſumma eruditionis atque pietatis opinione mortuus erat, ut tradit Guilielmus Malmesburienſis. [c] Vtcunque ſit Vercellenſi illo, Romanoq; fulmine ita afflatum concidit Ioannis opuſculum, ut planè penituſq; interierit; quod tamen ſi ſupereſſet, luculentiſſimum teſtimonium prohiberet de nouitate tranſſubſtantiationis. Eadem ut videtur cauſa & Rabani ad Egilonem Epiſtolæ, & Heriboldi Antiſſiodorenſis diſputationi perniciem attulit, quos duo de hoc argumento contra Ratberti opinionem tractatus extitiſſe certam fidem facit vetuſtiſſimum manuſcriptum opuſculum, quod in Bibliotheca Thuanæa ſeruatur. Et manuſcripti opuſculi teſtimonium firmant Thomæ Valdenſis de utroque viro verba, dum Vicleſi de Euchariſtia ſententiam refellens, ſcribit eum *conſonare Heribaldo & Rabano Moguntinẽſi ponentibus* (inquit) *venerabile ſacramentum altaris ob noxium eſſe ſeceſſui*, vel (ut eorum ſententiam in diſputationes titulo inuidiosè expreſſerat) *corpus Domini in ſacramento eſſe cibum digerendum in humanã carnem*. Sed quia Ratberti dogma poſtea præualuit, eo factum, ut ſi quæ eſſent, tametſi veterum, ſc. ipta quæ receptæ opinioni repugnarent, ea paulatim obliteraren-

[a] L. de corp. Dom. contra Bereng. c. 4. p. 234 b. 2. edit. Pariſ. a. 1648.

[b] T. 4. Script. Francic. Cheſnei p. 87. C.

[c] Lib. 2. c. 4.

Doctrinal. Eccl. Pa t. 2. quæ de Sacramentis. c. 61. init.

tur; neque alia manerent quàm quæ cum præſentis ſeculi fide congruerent. Itaque Ratberti quidem liber vivit ac floret, Ioannis verò Scoti, Ereboldi Antiſſiodorenſis, Rabani ipſius, viri alioqui clariſſimi, ſed in has cauſa improbati, contraria Ratberto opuſcula perierunt. Vnius Rathramni fœlicius fatum fuit, cuius de tam multis Ratberti adverſariis opus hoſtium manus effugit, & ad nos incolume peruenit; ſed à noſtræ memoriæ hominibus peſſimè, ut mox dicemus, exceptum

Concil. Later ſub Leone X. ſeſſ. 10. T. 4. Concil. Gen. p. 345. D. E

Eo tandem deventum eſt, ut Leo X. in Concilio Lateranenſi, quod anno 1518 finem habuit, decreuerit *ne ullus librum aliquem, ſeu aliam quamcunque ſcripturam, imprimere, ſeu imprimi facere præſumeret, niſi prius in urbe per ſacri Palatij Magiſtrum, in aliis verò Diœceſibus, per Epiſcopū vel alium ab Epiſcopo ad id deputandum, & Inquiſitiorem hæreticæ pravitatis diligenter examinetur; ſub pœna ei qui ſecus præſumpſerit, ultra librorum impreſſorum amiſſionē, & illorum publicam combuſtionem, ſolutionis centum ducatorū fabricæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, ſine ſpe remiſſionis* (cuius quidem mulctæ nullum in ullis Veteris Eccleſiæ canonibus exemplum occurrit) *ac ſuſpenſionis anni continui exercitij impreſſionis, & ſententiæ excommunicationis quæ innodatus exiſtat.* Quo decreto generali non minus Patrum opera quàm alia comprehenduntur, ut apparet ex eo

Ibi. col. 2. 2. Reſpōderunt omnes placere excepto R. P. Alexio Epiſc. Melfitano qui dixit placere de nouis operibus non autem de antiquis.

Concil. Trid ſeſſ. 4. de edit. & uſu ſacror. librr. Ibid. ſeſſ 18. in principio.

quòd cùm Epiſcopus Melfitanus, lecto decreto, reſpōdiſſet, ſibi placere *de nouis operibus, non autem de antiquis*, reliqui omnes Patres ſimpliciter placere dixerunt, nec ulla decreto addita fuit limitatio. Idipſum diſertis conceptiſque verbis confirmauit Concilium Tridentinum, præfecítque viros nonnullos, qui libros recognoſcerent & cenſerent, & de eo ad Concilium referrent, *ut facilius poſſent varia & peregrina doctrina, tanquam Zizania à Chriſtianæ veritatis tritico ſeparari*, id eſt, ut expungi & induci queat quicquid Eccleſiæ Romanæ palato non ſapit. Sed cùm ipſis Patribus per otium non licuiſſet in tam ſanctum opus incumbere, qui ad id delecti fuerant, iuſſi ſunt

ſunt quicquid præſtitiſſent Pontifici Romano exhibere. † Hinc profluxere Pij IV. primùm, deinde Sixti V. & Clementis VIII. juſſu editæ regulæ, & Indices librorum & Auctorum quos abolendos aut repurgandos cenſuerunt; tam accuratè & ſollicitè librorum impreſſioni conſuluerunt, ut in locis, in quibus ex iſtorum præcepto viuitur, nullo modo metuendum ſit, ne vel minimum quid in lucem exeat, quod vel Eccleſiæ Romanæ noxium ſit, vel adverſariis ejus commodum. Has autem omnes regulas, quas, quod prolixæ ſint, moleſtum eſſet hic inſerere, ad finem Concilij Tridentini, ad quod plerumque ſubtexi ſolent, videre eſt. Deinceps ſtrenuè operi manus admotæ & procuſi ſunt Indices expurgatorij (quos vocant Belgicus, Madririanus, Sandoualianus, & alij), quibus egregij iſti Cenſores veluti totidem machæris libros omne genus confodiunt, laniant, concerpunt, exſcindunt, periodos, capita, tractatus totos pro ſua libidine mutant, vel effingunt, idque ſæpe in operibus Scriptorum qui, maximam partem, nati, educati & mortui in eorum communione ſunt. Si ab hinc octingentis, aut nongentis annis eadem ſuit Chriſtianorum diligentia ac praxis, operam ludit qui altiùs aſcendit, ut pernoſcat quæ fuerit Veterum Chriſtianorum ſententia ſuper controuerſiis noſtris, quæcunque enim fuerit, vix fieri potuit ut eiuſmodi Cenſorum manus effugerit. Quod ſi nihil ſimile vel inſtitutum vel uſu receptum in Eccleſia fuit, quare, qui nos Antiquitatis adeo ſtudioſos fingimus, huiuſmodi nouitates uſurpamus? Scio profiteri Cenſores iſtos, ſe nonniſi in recentiores, cultros & nouaculas ſtringere; ſed quis non videt fucum fieri, & hoc obtendine Poetici Iouis ipſis objiciatur ſæuitia, qui ne patris quidem ſui genitalibus pepercit? Quæ adeò ſollicitè recentiorum ſcriptis expunguntur, longè magis noxia ſunt, cum in Veterum libris (ut plerumque fit) occurrunt. Quæ, malum, eſt hæc, ſeu moroſitas, ſeu inconſtantia, ea, ubi magis nocent

† Seſſ. 25. decret. Indice lib.

relinquere, ubi verò minùs nocent, tollere? Inquiſitio Madritiania* ex Indice operum Athanaſii hæc verba delet. *Adorari ſolius Dei eſt* quæ tamen ipſiſſima ſunt verba Athanaſij†. Idem Pater dicit* *eſſe quoſdam libros,*) præter eos quos recenſuerat ſcilicet) *qui in Canonem recepti non ſunt, ſed ad id à Patribus conſtituti ut legantur iis qui accedũt & qui volunt inſtitui in verbo pietatis,* quo in ordine ponit Sapientiam, Eccleſiaſticum, Iudith, Eſter, Tobiam, & alios quoſdam. Et tamen iidem Expurgatores, ex Indice operum Athanaſii, verba quibus libros iſtos non eſſe Canonicos ſignificãtur delent. † Ex Indice Auguſtini hæc verba expungunt. [a] *Chriſtus dedit ſignum corporis ſui,* quæ tamen diſertè & totidẽ ſyllabis habentur apud Auctorem ipſum, contra Adiman. cap. 12. Ex eodem hæc quoq; induci jubent. [b] *Auguſtinus putat Euchariſtiam neceſſariam infantibus,* licèt in ea ſentẽtia fuerit Auguſtinus paſſimque in operibus ejus, cùm iiſdem verbis, tum aliis, ut infra videbimus,[c] occurrat. Ex eodem ſimiliter delent [d] *Templa Angelis non ſunt conſtruenda*, & tamen diſerta ſunt Auguſtini verba; *Nonne ſi templum alicui ſancto Angelo excellentiſſimo de lignis & lapidibus faceremus anathematiʒaremur à veritate & ab Eccleſia*[e]? Cenſores Belgæ & Hiſpani eadem methodo utuntur in multis aliis locis quos hic refere neceſſe non eſt. Si vero eiuſmodi gnomas ex indicibus expungis, quare eas è textu ipſo non euellis? Aut ſi in hoc relinquis quare in illis deles? Quid ſibi vult in hominibus adeo ſapientibus conſilium tam inſolens? Sed quis non videt quomodo ſe res habent? Gnomæ illæ, quæ iſtis dant adeo graues pœnas, non minùs ipſis inuiſæ ſunt apud Veteres, quam apud recentes Scriptores, & cùm id tutò licét, non minùs ex illis quàm ex his eas expungunt: Sed palam non audent, ne maior ex eo oriatur offenſio, quàm ea eſt cui mederi ſtudent. Si enim adeò inuerecundè Antiquitatem haberint, reuerentiam qua omnes eam proſequuntur penitus euerterent. Cum autem ab eorum rebus id multis de cauſis ſit vehe-

Index expurgat. Sandoval. in Athanaſ. Ind. 1.

[illegible]

At. orat. 3. contra Arianos, p. 394. edit. Pariſ. a 1. 16.

*Id. in fragm. ep. Feſt. [illegible]

† Index expurgat. Sandou.

a Id. in Auguſt.

b Id ibid.

c Infra lib. hoc primo cap. 8

d Index expurgat. in Auguſt.

e Auguſt. contra Maxim. T. 6. fol. 142.

vehementer alienum planè ipſorum magnopere intereſt, reuerentiam illam, ſaltem in ſpeciem ſartam & tectam tueri. Sed dum tam acriter caſtigant miſellos illos qui in Veterum opera indices conſtruxerunt, vna fidelia (ut eſt in Prouerbio) duos parietes dealbant. Inuiſas quidem ſententias conuellunt, dum hos recentiores tam acerbè excipiunt, reuerentiam verò erga veteres rebus ſuis neceſſariam teſtantur, dum Patribus, veris ſententiarum auctoribus, parcunt. Quanquam ne illud quidem ſimpliciter verum eſt, quod Patribus parcant, quorum plurima monumenta non una ratione aboleuerunt, vt ex iis exemplis patet quæ vel memorauimus, vel mox affeтemus. Quæſo enim nonne Patres erant illi trecenti Francofordienſis Synodi Antiſtites, quorum Binius Canones in Conciliorum editione ſuppreſſit ob damnatam ſecundo Conone Nicænam de cultu imaginum definitionem; Nonnè Patres erant Synodi Parienſis, ſub Ludouico pio, Epiſcopi, quorum iſti librum modis omnibus infamare atque abolere conantur, quemque Hiſpanici Cenſores diſerte inter prohibitos nominant; *Ludouici* (inquiunt) *Imperatoris nomine liber fictus contra ſacras imagines.* Ille vero adeo non eſt *fictus*, vt (quod mox dicemus) etiam à Ieſuita celeberrimo Sirmondo pro vero & genuino Epiſcoporum à Ludouico Lutetiæ A. D. 824. congregatorum fœtu agnoſcatur. Idem eos quoque Caroli libros pro veris, & octauo ſeculo ſcriptis habet, quos Tridentini Biblomaſtiges in interdictorum, atque delendorum operum ordinem retulerunt. Quid de Synodo Remenſi dicam, cuius Acta ante ſexcentos quinquaginta annos ab eo homine edita qui poſtea Romæ Pontifex ſedit, iſti nunc boni poſteri deſpuunt & ex omnibus libris delent? Certè & inter veteres Eccleſiæ Doctores claruit ille Ioannes Erigena, ſiue Scotus, (id eſt, vt hodie loquimur, Hibernus) cuius de Euchariſtia liber fere ducentis poſt auctoris mortem annis exuſtus eſt, vt iam diximus. Neque cauſa

Ind. libr. prohibendorum. lit. L. claſſ. 2.

Ind. Trid. libr. prob. lit. L. claſſ. 2. Libr. inſcriptio &c.

O

dici poteſt cur non Rathramnus Corbe'enſis & ipſe quoque in Patrum numero cenſeatur, cuius de eodem argumento diſputato quàm malè ab iſtis excepta fuerit ſtatim reddemus.

Neque vero de recentiorum numero fuit Huldaricus Auguſtanus huius nominis Epiſcopus prior, † Rathramni (vt videtur) æqualis, cuius epiſtolam ad Nicolaum. P. R I· pro Sacerdotum coniugio nono ſæculo ſcriptam ſimpliciter exqungunt & Tridentinorum & Hiſpanorum indices † Eſt quoque inter veteres cenſendus nobiliſſimus ſcriptor Sigebertus Gemblacenſis, quem ante annos quingentos, & quod excurrit undecimo ſæculo præcipiti, ineunte duodecino floruiſſe conſtat, Atqui ne huius quidem operibus parcitum eſt, Turpes mitto notas quibus eius chronicon, laudatiſſimum opus, deformarunt cenſores Hiſpani †. Sed & hi, & ante hos ipſi quoque Tridentini inſignem Sigeberti de Papali in Principes tyrannide ſuo primum tempore ab Hildebrando vſurpata diſputationem in ſuos vtrique indices, veluti exitio deuotum opus, retulerunt, his verbis, *Sigeberti liber contra Papam Gregorium, & contra epiſtolam Paſchalis Papæ.* Circa eadem tempora ſcriptus eſt liber *de vnitate Eccleſiæ conſeruanda* pro Henrico IV. Auguſto aduerſus Hildebrandum Apologeticus; ſiue eum Venerico Vercellenſi, ſiue VValramo Naumburgenſi, ſiue denique Conrando Trajectenſi Epiſcopo tribuamus. Atqui & in hunc ipſum dicta eſt ab Hiſpanis triſtis hæc ſententia; *Præcidatur tota Apologia Henrici IV.* Neque mitius iudicarunt de ſacris ipſius Auguſti litteris *Expungantur* (inquiunt) *nouem epiſtolæ Henrici IV. Imperatoris.* Eo minus mirandum, quod in Honorium Aug iſtodunenſem, [a] in Dantem [b] in Petrarcham, in Theodoricum à Niem, [c] in [d] Ockamum, [e] & alios ſequentium temporum Scriptores, tametſi pro noſtro ſæculo veteres graſſari auii ſint.

Neque ij diſputationem quandam inter clericum & militem de ciuili & Eccleſiaſtica poteſtate ab incerto quidem

*Secundũ A. D. 978. obiiſſe. diſertè notat Cõpilatio Chronolo. 2 etus p. 732. Tomi Germ. Script. 1. ã. Piſtorii. id. a. 1613

† Lin. H. laſſ 2. Hiſp etiam lit. V. cl. 2.

* Ind. expurg. Sandov. in B Bib. Pat. T. 7.

Ind. lib. prohibit. ſãdov. & Trident. lit. S. claſſ. 2.

Ind. expurg. Sãd. in G Germã. ver. Script. T. 5.

Ibid. T. 4. Ger. ver.

a Ind. lib. proh. Sandov. in H. claſſ. 2.

b ibid in D. c 2. & Ind. expurg. D. cl 2.

c Ibid. in F. cl. 2. d Ibid. lit. H. cl. Hiſtoria

e ibid. lit G. c. 2. Gielmur.

dem

dem auctore, ſed tamen ante A. D. 1380. ſcriptam omiſerunt[f] Sed Romani noſtri ne iis quidem nunc abſtinent, quæ publico ſuæ ipſorum Eccleſiæ uſu conſecrata erant. Nam Hiſpanicus Index ex quodam libro, cuius hic erat titulus *Ordo baptizandi cum modo viſitandi iuxta ritum S. Romanæ Eccleſiæ*, tria hæc quæ ſequuntur loca deleri iubet. 1. *Credis non propriis meritis, ſed paſſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti virtute & merito ad gloriam peruenire?* 2. *Credis quod Dominus noſter Ieſus Chriſtus pro noſtra ſalute mortuus eſt? & quod ex propriis meritis, vel alio modo nullus poſſit ſaluari, niſi in merito paſſionis ipſius?* 3. *Non erit deſperandum vel dubitandum de ſalute illius qui ſupra poſitas petitiones corde crediderit, & ore confeſſus fuerit.* Hęc Hiſpanici Cenſores, quæ à ſuo de operum humanorum apud Deum meritis dogmate aliena, & contrariæ Proteſtantium ſententiæ plane penituſque conſona eſſe cenſebant, expungi præcipiunt ex libro illo Venetiis A.D.1575. apud Ioannem Guariſcum & Socios, excuſo. Et infelicem librum iam antea, *niſi corrigetur*, proſcripſerat Index Romanus. Atqui hæc quæ iſti delent etiam apud eorum maiores, etiam Romæ in communi uſu antehac fuiſſe, & ille ipſe liber docet, & locupletiſſimus teſtis eſt Hoſius Cardinalis, qui ſe *Sacerdotale Romanum* vidiſſe narrat, in quo ipſa illa quæ nunc iſti delent (ea enim deſcribit) totidem verbis haberentur & confirmant denique Anſelmi Cantuarienſis ad fratrem moriturum exhortatio, & aliorum formulæ in quibus plane ſimilia leguntur. Atque hæ quidem ſunt artes quibus iſti extinguere atque abolere conati ſunt quicquid Romanorum doctrinæ aduerſatur, ſi quis tamen veterum huius generis liber, rata aliqua genii ſui fœlicitate, ſuperatis omnibus & temporum & hominum injuriis, ad nos uſque manſerit; ne ſic quidem eo in his de religione diſputationibus uti fruiq; licebit. In hunc enim Romanorum partium Theologi facta veluti coniuratione plerumque inſurgunt, hunc vel de medio, ſi licet, tollunt; ſi non li-

f Ibid. litt. D. claſſ. 3.

Index Quirogæ Madriti excuſus A. D. 1584. in littera O fol. 34. libri prohibiti.

Ibid.

Fol. 35

Confeſſ. Petri. Koniens. c. 720.

cer, calumniantur, infamant, nullum non lapidem movent ut Scriptor fiat inteſtabilis; ſine hoc quidem aſſequi poſſunt, teſtimonium certè ipſum, aut expungunt aut variis fraudibus interuertunt, ac, ne uſui eſſe poſſit, efficiunt. Ita Bellarminus (ut exemplis aliquot rem illuſtrem) Marci Eremitæ Opuſcula, quod multa continere videret de fide, deque iuſtitia apud Deum noſtra, ab hodiernis Romæ placitis aliena, infamauit, ſcribens *ſe ſuſpicari coge vel ab hæreticis noſtri temporis conficta, aut valde depravata eſſe*, id eſt, à Papæ Romani communione alienis. Extat Gelaſij P.R. de duabus Chriſti naturis contra Eutychem liber, in quo inſignis habetur contra tranſubſtanciationem locus. Cùm librum vererem eſſe non poſſent negare Romani Theologi, eo confugerunt, ut alterius eſſe quam Gelaſii Romani contenderent; quod, viri docti, & ſuî Pontificis, maximam eſt auctoritatem intelligerent. Primò ergo & Baronius, & Bellarminus, & Petronius, & alij, conquiſitis undique ſophiſmatis ac ſtrophis, pugnant non eſſe Gelaſij urbici Epiſcopi, tum miſerum opuſculum à vera ac genuina parentis ſui familia abactum in alienum ignobilius nomen tranſcribunt; aliique Gennadii, alij Gelaſij neſcio cuius Cæſarienſis, alii denique alterius Gelaſij Cyziceni fœtum eſſe affirmant; ut incerti auctoris teſtimonium nullius ſit apud homines fidei. Nequicquam; quod hunc ipſiſſimum libellum Gelaſio Papæ jampridem aſſeruerint auctores duo omni exceptione maiores, Fulgentius Ruſpenſis*, & Ioannes P.R. II. † A. D. 794. celeberrima 300. Epiſcoporum Synodus Francofordiæ habita eſt; in qua conſtans eſt omnium pene hiſtoricorum veterum fides, damnatam eſſe Nicænam alteram pro imaginum veneratione ac cultu Synodum. Quid hic Romanarum partium magiſtri? Illi vero negant quicquam huiuſmodi in hac Synodo fuiſſe decretum; etiam aiunt in ea confirmatam fuiſſe Nicænam, adeoque & venerationem imaginum. Quin & eo impudentiæ progreſſi ſunt, ut in publi-

De Script. Eccleſ. in Marco Eremita.

Bellarm. l. de Script. Eccleſ. in Gelaſ. Baron. A. D. 496.

*Reſp. ad Fer. Diac. p. 248. 249.

† Epiſt. ad Auson. Bibl. Patr. T. 4. part. I. p. 414. a.

Vide Bin. ſur Suarez. T. 6. Concil. p. 183. 185. 186.

publicis atque authenticis Conciliorum Tomis, ubi ad hanc ventem eſt, hunc ei titulum præſcripſerint: *Concilium Francofardienſe Provinciale approbatum, quo 300. circiter Epiſcopi Elipandum condemnarunt*, &c. *actaque Nicæni Concilii II. confirmarunt.* Tum Synodi ea quidem exhibent, quæ aduerſus Elipandum acta ſunt, Canones verò, quorum ſecundus eſt in Nicænam Synodum diſertiſſimus, planè plenituſque omiſerunt; id molientes, ſcilicet ut ij paulatim aboleantur. I nunc, & nega frontem periiſſe de rebus. Sed fruſtra & hi quoque fuerunt. Repertus eſt enim vir Romanæ communionis, & quidem Ieſuita, eruditiſſimus Sirmondus, qui totam iſtorum ſophiſticen diſcuſſit, & omnes Synodi Francofordienſis Canones, & in his ſecundum, optima fide publicauit, & Nicænam pro imaginibus Synodum damnatam eſſe docuit. Extant item Caroli Magni libri, de imaginibus, quatuor, circa eadem tempora aduerſus Nicænæ Synodi decreta ſcripti; parentum verò noſtrorum memoria, A. D. 1549. à Ioanne Tilio Briocenſi primùm, deinde Meldenſi Epiſcopo editi; qui ſuorum inuidiam & odia veritus, interpolato ſuo nomine ſe pro Ioanne Eliam pro Tilio Phityram dixit, teſte Paulo Petavio Pariſienſi Senatore, quod Ioannes Baptiſtes alter Elias dictus fuerit; φιλυρα vero tilia arbor à noſtris vocata ſit, *Tillet* Hos libros ſtatim inuaſerunt Romani Theologi; & Surius quidem aſſentiente Suareſio *putida hæreticorum fraude ſub Caroli nomine excuſos eſſe* ait, *non abſque contumelia tam ſancti principis.* Bellarminus opus eſſe dicit *hominis barbari, imperiti, levis, ac pene ſtulti.* Alij miſerum ſcriptorem aliis conuitiis perfundunt. Sed quam ſint immanes iſtorum ſycophantiæ, & res ipſa loquitur, Sirmondus ſatis eo fatetur quod ſcribit *libros Caroli pro legitimis nunc omnes fere agnoſcere, neque id inficiari poſſe niſi qui Hadriani Papæ ad eoſdem libros reſponſioni ſeu confutationi quæ in omnium manibus verſatur fidem detractam velit.* A. D. 824. Kal. Nou. Ludouici Pij iuſſu habitus eſt Lutetiæ

T. 5. edit. Pariſ A. D. 1636. pag. 163. col. 1

T. 2. Conc. Gall. p. 191. 193. 19[illegible]

Syntag. de Nithardo. Tom. 2. Francic. [illegible] Script. Chef p. 312.

T. 6. Concil. Not. in Concil. Franc. of. p. 184 C. 1. Bel. de Imag. l. 2. c. 15. §. deniq.

T. 2. Concil. Gal. p. 19. adm. ad Lect.

[Epiſc]oporum in Palatio conuentus, in quo dicta ſunt multa hodierno Romanorum de imaginibus dogmati aduerſantia. Extat de Actis illius Conuentus Liber, nomine *Synodi Pariſienſis*, ex Pithœano, manu, in membranis, ſcripto, eoq; vetuſtiſſimo ac optimæ fidei codice, qui etiam hodie in Bibliotheca Thuanæa ſeruatur, deſcriptus, & in Germania publicatus. Sed huic tamen libro Romani noſtri, tametſi Epiſcoporum ſit & Veterum & Catholicorum, & ab optimo ac Chriſtianiſſimo Principe Ludovico probatus, locum in ſua Conciliorum editione nullum eſſe paſſi ſunt, ne hæc extarent ſuæ à veterum in Gallia Chriſtianorum fide diuerſitatis argumenta Quin & locum qui huic debebantur, apud eos occupat verboſa ac ſophiſtica Bellarmini in ipſum opus diſputatio; in qua omnibus modis pugnat ut liber nullius ſit fidei. Suſpicatur *vel totum eſſe confictum ab hæreticis recentioribus*, vel *deprauatum & auctum ad inuidiam Romanæ Eccleſiæ conciliandam*, denique *ſiue ſit verus, ſiue confictus ſiue partim ſincerus, partim adulterinus, luce* certè *dignum* eſſe negat, indignumq; pronuntiat *in quo legendo tempus teratur*, cuius ſcilicet *dictio barbara ſit, ſententia inſulſa, ordo peruerſus, crebra eorũdem repetitio.* His iſti floſculis exornant etiam vetuſtiſſimos libros, quicunq; à Romanis placitis diſcedunt. Sirmondus librum quidem verum confitetur, & ab Epiſcopis Galliæ Ludouici iuſſu atque auctoritate confectum. Sed neque ipſe totum ſuæ Conciliorum Gallicanorum collectioni inſerere auſus, duas tantum Ludouici epiſtolas edidit *Cæteris* (ut ait) *quæ in huius conuentus Actis continentur prætermiſſis, quod Gallorũ eius ſeculi ab imaginum adoratione abhorrentiam hæreſim redolerent.* Ita vir, aliàs ſatis candidus, antiquiſſimam maiorum noſtrorum de imaginibus ſententiam hæreſeos damnare, & quæ illi ea de re ſcripſerant æterna oblinione ſepelire maluit, quam ſuorum odia atque inuidiam prouocare. Iam poſt Ludouici Pij tempora ad Carolum eius filium Rathramnus Corbeienſis, vulgò Bertramns,

Tom 6. Concil p. 306. C. 1.

T. 2. Concil. Gall. p. 459.

tramus, inſigne de Chriſti corpore volumen teſtibus Trithemio & Sigeberto ſcripſit quod ; ad nos (vt nuper diximus) manſit, & auorum noſtrorum memoria a. 1532. Coloniæ,& alibi poſtea, è manuſcriptis codicibus optima fide publicatum eſt, ut vel ex iis antiquitatis notis apparet, quæ toto opere cernuntur. At Romanarum partium homines, ne ſuæ tranſſubſtantationis nouitatem inde poſſemus ediſcere, librum, primò vexare, ac infamare, ſum abolere; poſttemo vitiare & interpolare totis viribus agreſſi ſunt. Sixtus Senenſis ſcribere non dubitauit, *perniciosũ eſſe Oecolampadij volumen aduerſus ſacramentum corporis Chriſti ab impiis ſuorum temporum hæreticus*, (ſic enim ille noſtros pro ſua modeſtia appellat) *inuulgatum ſub titulo Bertrami Preſbyteri de corpore & ſanguine Domini ad Carolum M.* Tridentinæ verò Synodi deputati, intacto auctore, opus ipſum in ſecunda Indicis ſui claſſe repoſuerunt, *in quam, non auctores, ſed libri ſunt relati, qui propter doctrinam quam continent nõ ſanam aut ſuſpectam rejiciuntur, etiãſi auctores à quibus prodiere ab Eccleſia nunquam deſciuerunt.* Ergo nunc iſti librum, non Oecolampadij, ut Sixtus ſané temere & impudenter, ſed Bertrami eſſe putarunt, quem tametſi ſcirent ac confiterentur *nunquam ab Eccleſia deſciuiſſe*, eius tamen opuſculum ſimpliciter & abſolutè prohibuerunt quo ſcilicet doctrinam contineri *non ſanam* (id eſt à Papali fide alienam) iudicarent. Eadem fere eſt Molani, Aubetti Miræ †, & Gilberti Manguini * ſententia. Ideo Index Hiſpanicus Tridentinos ſecutus. *Totus (inquit (liber Bertrami Presbyteri penitus auferatur*, ex orthodoxographorum volumine. Cenſores verò Belgici cum eo agunt mitiùs dicam an inhumaniùs, dum ſi ipſum planè non iugulant, ſaltem membris mutilant, quaſi alterum Deiphobum apud Poetam,

Lacerum crudeliter ora,
Ora, manuſq́; ambas, populataq́; tempora raptis
Auribus, & truncas inhoneſto vulnere nares.

Catal. viror. il luſtr. c. 95.

Præfat. in Biblioth. Sanct.

Ind. Trid. libr. prohibit. lit. B.

† Ad Sigebert. c. 95.

* Diſſert. Geheſ. contrau. c. 17. p. 154.

Prolixiores enim ex eo locos duos vno calami ductu expunt, adeo vt exigui Tractatus, qualis iſte eſt, non minimam partem conſtituant, cùm ſinguli viginti octo aut triginta verſiculis conſtent. Cur autem Cenſores Belgici quem librum ſcirent á Tridentinis ſuis exſerte prohibitum, exitioque deuotum, eum ipſi tolerandum, dummodo emendatum, iudicarint, operæ pretium eſt audire. *Quanquam* (inquiunt) *librum iſtum magni non exiſtimemus momenti, itaque non magnopere laboraturi ſimus, ſi vel nuſquam ſit, vel intercidat, attamen cum iam ſæpe recuſus ſit & lectus à plurimis, & per interdictum nomen omnibus innotuerit; hæreticis conſtet de eius prohibitione per varios catalogos; † fuerit Catholicus Presbyter, ac Monachus Corbeienſis cænobii, Carolo non tam Magno, quam Caluo carus, ac venerabilis; iuuet hiſtoriam eius ætatis; in Catholicis veteribus alios plurimos feramus errores & extenuemus, excuſemus, excogitato COMMENTO perſæpe negemus, & commodum iis ſenſum AFFINGAMVS, dum opponuntur in diſputationibus, aut conflictionibus cum aduerſariis; non videmus cur non eandem æquitatem, & diligentẽ recognitionem mereatur Bertramus; ne heretici ogganniant nos antiquitatem pro ipſis facientem exurere & prohibere? itaque mirum non eſſe pauca pro ipſis videri facere nobis Catholicis tam irreuerenter antiquitatem vel in ſpeciem à nobis diſſentientẽ exſibilare ac perdere*. *Quin & illud metuimus, ne liber iſte non ſolum ab hæreticis, verum immorigeris quoque Catholicis ob interdictum auidius legatur, odioſius allegetur, & plus vetitus, quam permiſſus noceat.* Hactenus Belgæ Cenſores, quorum ego candorem exoſculor; primo quod non diſſimulant ſe vno *hæreticorum* quos vocant, & *Catholicorum immorigerorum* metu, non aliqua in antiquititatem reuerentia deterreri à perdendo Bertramo. Tu idem de cæteris dictum puta; ſiqui à ſui Papæ dictatis abludunt. Sed & illud quanti eſt, quod ſe Belgæ iſti in veterum negotio veterat res eſſe ipſi ſimpliciter, ac optima quidem fide profitentur; dum edunt ingenue, quæ ſuæ, quæ ſuorum ſint

Ind. expurg. Belg. co. fectus a. 1571. Ducu... beni iuſſi pſſ à F. Iuni a. 1586. euulgatus, in Bertramo.

*videtur deeſſe, cum auctor fuerit.

*videtur deeſſe audiſsibus, aut aliud quid.

ſint in iis eludendis artes, quæ quin Patrum ſint dubitari non poteſt? illa ſe ſcilicet *extenuare*, *excuſare*, alio inflectere *vel excogitato COMMENTO*, vel *AFFICTO ſenſu commodo*. Equidem in omnibus uibici Papæ copiis non puto ullos eſſe melioris fidei ſophiſtas, quam bonos iſtos Belgas. Atq; hinc, ſi lippus non es, videre potes, quæ ſit uniuerſi Romanorum generis de *Patribus* iſtis, quas ad rauim clamitant, ſententia quæ quantaque in eas humilitas, ac docilitas. Cæterum quin vere *commentum* ſit quod ipſi mox Belgæ in artis ſuæ veteratoriæ experimentum, de Bertrami in ſuo libello mente, atque conſilio excogitant; nemo dubitabit, qui rem ipſam paulo attentius conſideraverit, neque ſe ſciens volens iſtorum offuciis, ac præſtigiis deludi ſiuerit. Sed duo tamen quod iam diximus, loca quæ ſuis ſcilicet artibus emolliri poſſe deſperarunt, fortiter ſane amputarunt; Alexandrum æmulati, qui quem manu non ſatis expediebat nodum, eum forro exſecuit. Horum locorum alterum, quo lector de Cenſorum audacia certius iudicare queat, hic totum placuit deſcribere. *Conſiderandum quoque* (verba ſunt Bertrami de ſancta Euchariſtia agentis) *quòd in pane illo, non ſolum corpus Chriſti, verùm etiam corpus in eum credentis populi figuretur: unde multis frumenti granis conficitur, quia corpus populi credentis multis per verbum Chriſti fidelibus augmentatur* (al. coagmentatur) *qua de re ſicut myſterio panis ille Chriſti corpus accipitur, ſic etiam in myſterio membra populi credentis in Chriſtum intimantur. Et ſicut non corporaliter, ſed ſpiritualiter panis ille credentiū corpus dicitur: ſic quoque Chriſti corpus non corporaliter, ſed ſpiritualiter neceſſe eſt intelligatur. Sic & in vino, qui ſanguis Chriſti dicitur, aqua miſceri iubetur, nec unum ſine altero permittitur offerri, quia nec populus ſine Chriſto nec Chriſtus ſine populo, ſicut nec caput ſine corpore, vel corpus ſine capite valet exiſtere. Aqua denique in ſacramento populi geſtat imaginem Igitur ſi vinum illud ſāctificatum per miniſtrorum officium in Chriſti ſanguinem corporaliter conuertitur, aqua quoque, quæ*

Bertran. Presbyter de corpore & ſanguine D. p. 1140.

pariter admixta eſt, in ſanguinem populi credentis neceſſe eſt corporaliter convertatur. Vbi namque una ſanctificatio eſt, una conſequenter operatio, & ubi par ratio, par quoque conſequitur myſtirium. At videmus in aquam ſecundum corpus nihil eſſe conuerſum, conſequenter ergo & in vino nihil corporaliter oſtenſum. Accipitur ſpiritualiter quicquid in aqua de populi corpore ſignificatur; Accipiatur ergo neceſſe eſt ſpiritualiter, quicquid in vino de Chriſti ſanguine intimatur. Item quæ à ſe differunt idem non ſunt. Corpus Chriſti, quod mortuum eſt & reſurrexit, & immortale factum iam non moritur, & mors illi ultra non dominabitur; æternum eſt iam, non paſſibile: hoc autem quod in Eccleſia celebratur temporale eſt, non æternũ, corruptibile eſt, non incorruptibile, in via eſt, non in Patria Differunt igitur à ſe, quapropter non ſunt idem. Quod ſi non ſunt idem, quomodo verum corpus Chriſti dicitur & verus ſanguis? Si enim corpus Chriſti eſt, & hoc dicitur verè, quia corpus Chriſti in veritate corpus Chriſti eſt, & ſi in veritate corpus Chriſti incorruptibile & impaſſibile eſt, ac per hoc æternũ. Hoc igitur corpus Chriſti quod agitur in Eccleſia, neceſſe eſt ut incorruptibile ſit & æternum: ſed negari non poteſt corrumpi quod per partes commutatum diſpartitur ad ſumendum, & dentibus commolitum in corpus trajicitur. Hactenus Bertramus. Alter eius locus hoc etiam prolixior eſt, & in eandem ſententiam: ſed eum breuitatis cauſa omitto. Cùm viderent egregij Cenſores neutri loco poſſe unquam cum Tranſſubſtantiatione convenire, utrumque expungere expedire cenſuerunt, ne ſi quibus imperitis occurrerent, exiſtimarent iam Caroli Calui tempore non defuiſſe ſacramentarios. A. D. 991. Ind. 4. d. 15. Kal. Iul. habita eſt Remis Synodus in qua depoſitus fuit Arnulphus Remenſis Archiepiſcopus. In ea multa liberè dicta ſunt contra Papæ Romani tyrannidem, imprimis ab Arnulpho Aurelianenſi Epiſcopo, viro grauiſſimo, & quod etiam ipſius inimici * fatentur, *honeſtis pollente moribus*; quale illud eſt; *Sed ô lugenda Roma! quæ noſtris maioribus clara Patrum lumina præbuiſti, noſtris temporibus mõſtruoſas tene-*

Ind. Expurg. Belgic. a. 157. in Bertramo. Non male aut inconſultè omittantur igitur omnia hæc à fine paginæ. Conſiderandum quoque quod in pane illo, &c. uſque ad illud multo poſt, ſed aliud eſt quod exterius geritur &c. in ead. pag. & ſeq. pag. omnia illa ſequentia. Item quæ idem ſunt una definitione comprehenduntur &c. uſque ad illud hoc namque quod agitur nunc ſpiritualiter, &c.

** Aimoin. vit. Abbon. Flor. 8.*

tenebras futuro ſeculo famoſas offudiſti! Sed & illud mox de Papa Romano: *Quid hunc reuerendi Patres, in ſublimi ſolio reſidentem, veſte purpurea & auro radiantem, quid hunc in quam eſſe cenſetis? Nimirum ſi caritate deſtituitur, ſolaq; ſcientia inflatur & extollitur, Antichriſtus eſt in templo Dei ſedere, & ſe oſtendere tanquam ſit Deus: Si autem nec caritate fundatur, nec ſcientia erigitur, in templo Dei tanquam ſtatua tanquam Idolum eſt, à quo reſponſa petere, marmora conſulere eſt* Hæc & alia eiuſdem generis non pauca in illa Synodo paſſim obvia non tulerunt delicatæ Romanorum auriculæ. Itaque Acta Synodi, tametſi vetuſtiſſima, & ipſis illis temporibus ſcripta, & quidem à Gerbertro (viro adeo Romæ probato, ut etiam Papa Romanus, aſſumpto Sylveſtri II. nomine, A. D. 999. factus fuerit) nuſpiam apud iſtos comparent, ne in immenſa quidem illa Biniana farragine, in qua tam multa ſunt vel falſa & commentitia, vel vana & ridicula. Quin & nuper Cheſnæus, cùm in Francicorum Scriptorum collectione hujus Synodi hiſtoriam collocaret, ſedulo cauit ne quid iſtic eſſet quod Romanos offendere poſſet. Nam & hæc quæ proximè deſcripſimus, & alia eiuſdem generis omnia, peſſimo exemplo, expunxit, & miſeræ Synodi hiſtoriam multis reſectis capitibus, optima ſui parte mutilatam, edidit. Quid ab iſtis verum ſincerumq; expectamus, qui ne Paparum quidem ſuorum. ut ut veterum, lucubrationibus parcunt, ſi quid in iis ocurrat quod ſuis dogmatis adverſetur? Quin & ea etiam ex libris expungunt quæ pudendam ſuperiorum temporum ignorantiam & ſupinitatem arguunt, ne quam iſta ſuæ Eccleſiæ labem afferant; ut ex vetuſtiſſimis juris Pontificij Gloſſis hanc in nouis editionibus eraſerunt quæ abſurdiſſimam ac plane anilem de Stramineo Papa Cyriaco fabulam pro re certa affert. *Datur certum exemplum de Cyriaco Papa, de quo legitur quòd cum Vrſula & undecim millibus virginum martyrizatus eſt. Scribitur enim de ipſo quòd ſibi quondam revelatum eſt quod eſſet cum illis vir-*

Apud Baron A. D. 991. §. 18. 22.

T. 4. p. 105.

In ſext l. 1. tit. 7. de renunciat. c. 1. Quoniam.

ginibus palmam martyrij recepturus. Tunc congregatis Clero & Cardinalibus omnibus inuitis, & præcipuè Cardinalibus, coram ipſis renuntiauit dignitati & officio. Sed iſte Cyriacus in Catalogo Romanorum Pontificum non denominatur, quia creditum fuit per Cardinales quòd, non propter deuotionem, ſed propter oblectamenta virginum Papatum dimiſiſſet. Hanc gloſſam quæ in antiquioribus editionibus habetur fruſtrà in Gregoriana quæſieris.

Sed neque hanc iſtorum poſtremo fraudem omiſerim qua quoties neque de ſcriptore, quin pius & Catholicus fuerit, neque de libro, quin verum eius opus fuerit, dubitare licet; calumniantur objectas voces operi ab hæreticis fuiſſe aſſutas. Hoc Bellarminus fecit in Epiphanij ad Ioannem Hieroſolymitanum Epiſtola; in qua ſanctiſſimus ille vir pronuntiat *hominis in Chriſti Eccleſia imaginem pendere* nefas eſſe, idque; ſi fiat, *cōtra auctoritatem Scripturarum fieri*: Alanus quidem Copus nothain & Epiphanio ſuppoſitam fuiſſe totam Epiſtolam dixerat; Marianus verò Victorius & Vaſquez veram eſſe ſimpliciter concedentes, verba eius ſtropharum & gloſſarum ſuarum ſubtilitate declinare ac eludere conantur. Bellarminus cùm illud quidem improbum & impudens, hoc verò arduum & penè impoſſibile eſſe iudicaret, aliter ſibi conſuluit, concedere enim & epiſtolam verè eſſe Epiphanij, & verba ex ea objecta Iconoclaſtarum dogmati fauere, comminiſcitur illam epiſtolæ partem, in qua leguntur, non Epiphanij ſed alicuius eſſe hæretici, qui hanc ſuam laciniam Epiphaniano opuſculo aſſuerit. Itaque, ſi Bellarminum audimus, delenda eſt hæc tota particula de Epiphanij operibus, vt inoffenſo deinceps pede in iis decurrere poſſit lector ad vnguem catholicus.

T.2. Epiphanij T.2. Hieronymi D. 21. ſ. c. 21. In 3. Thom. d ſpu, 101. c. 3. De imag. cap 9.

Par fuit Latini Latinij, in plurima Chryſoſtomi contra confeſſionem auricularem loca temeritas, atque inuercundia, qui in libello de confeſſione, à Baronio ſummopere laudato, opuſcula in quibus iſta leguntur, vel Chry-

A. D. 56 § 35

Chryſoſtomi eſſe præfactè negat, vel certè à Nauatianis neſcio quibus, vel olim, vel nuper, inſertis ſuis, contra confeſſionis vocalis neceſſitatem, ſententiis, corrupta atque interpolata eſſe contendit. Itaque huic quidem viro, & aliis, ſi quos habet conſentientes, nulla erit religio, quæcunque apud Chryſoſtomum huius generis occurrunt, ea omnia ſimul ſemelque; ex libris & ex hominum memoria euadere ac delere.

Eandem ſtropham Bellarminus adhibet ad eludendam & Ignatij, & Canonum Apoſtolicorum de Sabbati à ieiunio immunitate legem; *Poſſet fieri* [inquit] *vt tam in canone Apoſtolico, quã in epiſtola Ignatii ſolum prohiberetur ieiunium diei Dominicæ, ſed poſtea à Græcis poſterioribus inſertum fuerit nomen Sabbati*; quod ſic ab omni veri ſpecie abhorret, vt etiam ab ipſo Binio * refellatur. Sed nuſquam deſperata hac exceptione vel frequentius, vel inverecundius vtuntur, quam in quæſtione de ſuo Honorio; in qua eos vrit magna vis veterum monumentorum Romanum illum præſulem hæreſeos ſummo conſenſu damnantium. Primo exſtant duæ Honorij ipſius epiſtolæ Monotheletarum venenis conperſæ. Tum vrget ſextæ Synodi diſertum & quidem non uno in loco repetitum anathema; tum & Leonis P. R. II. & Bedæ, & aliorum, quos memorare longum eſt, teſtimonium; vt in tota Eccleſiæ Chriſtianæ hiſtoria vix quicquam occurrat certius, clarius, conſtantius traditum. Quid hic Latini noſtri; Bellarminus de more ſuum illud vſurpat *fortaſſe ab hæreticis confictas Concilio generali inſertas Honorij epiſtolas* *; Synodum Pighius † quidem ſimpliciter repudiauerat, *& ter exſecrandum Concilium* noncupauerat; Bellarminus verò affirmat *Honorii nomen inter eos, qui damnantur à VI. Synodo, ſine dubio inſertum eſſe ab æmulis Romanæ Eccleſiæ, ſimiliter quicquid alind ibi dicitur contra Honorium* [a]. Baronius [b] pro innata temeritate, ingeniique leuitate etiam vltra progreſſus ſua nobis figmenta, veluti totidem hiſtorias venditat, & acta Synodi à

Ign. ep. ad Phil.
Can. Ap. 65.
Bell. de bon. op. l. 2. c. 18 §. Poſſet.
* *Not. in can. Ap. 65.*
Syn. 6. Act. 11 13. 18. paſſim.
Leo 2. ep. ad Conſt. Imp. Beda l. de 6. ætat.
* *Bell. l. 4. de Pont. R. c. 11. §. Ad 1.*
† *Pigh. de Act. 6. & 7. Synod.*
[a] *Bell. ubi ſup. §. Add.*
[b] *Bar. ad a. 681. §. 13. & ſeqq.*

Theodoro CP°. Præſule viciata Honorii nomine pro ſuo ubique ſubſtituto refert; rei geſtæ tempus, locum cauſas, occaſiones, ac ſi pręſens adfuiſſet, primus poſt A.D. 681. quo habita eſt Synodus, nullo ſequentium temporum auctore, ipſe ſæculo 16°. natus confidentiſſime narrat; quod ei ſolenne eſt, ut ſuas conjecturas, ſuas ſuſpiciones, ſua denique vel vota, vel ſomnia in Annales diligentiſſime referat. Binius Baronii dictata bona fide de more ructat [c]. Iam Leonis II. epiſtolam Bellarminus [d] quidem *ab hæreticis corruptam*; Baronius [e] non corruptam, ſed plane fictam fuiſſe, eorumque meram eſſe *impoſturam* contendit. Bedam poſtremo Bellarminus [f] nil dubitat eadem ſecum de Honorio ſenſiſſe; ſed *in eius libro ſciolum aliquem nomen Honorii addidiſſe* ſibi ipſe videtur merito vaticinari. Non exagito iſtorum vanitatem, atque inverecundiam; qui tabulas publicas, Gręcorum pariter ac Latinorum communes, à nouem ſæculis ſummo (quod conſtat) conſenſu inter ſe hactenus conſpirantes, falſi inſimulare nullo de veteribus auctore, nullo teſte, nulla (ſi unum Papę ſtudium demus) ratione audent; quod & Ioannes Rainoldus [g] noſter olim & nuper ex ipſis adverſariis Franciſcus Combeſis [h] juſta, ac erudita diſputatione fuſe demonſtrarunt. Mihi nunc ad pręſens inſtitutum ſatis eſt, quod veterum libros ipſi qui nos eo prouocant, mendoſiſſimos eſſe profitentur.

[c] Bin Not. ad Conc. vniu. 6.
[d] ubi ſupr. §. Act 6.
[e] ad a. 683 § 13. 14. 15.
[f] ubi ſupr. §. Addidi.
[g] Apolog. Theſ. p. 4. 8. & ſ 97.
[h] Vindiciæ Act. 6. Syn. edit. Pariſ. a. 1648.

Huc quoque pertinet quod Baronius [i] in Gręcis eius epiſtolæ, quæ Ignatij nomine circumfertur, codicibus additum & inſultum, vel à Nouatoribus (ut vocat) vel à recentioribus Græcis, Pauli inter Apoſtolos conjugatos nomen, contendit, nulla ratione, mero cauſæ ſtudio cùm ne unus quidem exiet ſincerus eius epiſtolæ codex, in quo non legatur Pauli nomen. Quod enim incredibile putat, ut id ab Ignatio, præter euidentiſſimam veritatis lucem, ſcriptum fuerit, fruſtra eſt; quòd verus, ſcilicet, eius epiſtolæ auctor ſit, non *Ingnatius*, ut ipſe falsò arbi-

[i] Ad A.D. 57 §. 64.

arbitratur ac ſumit, ſed aliquis de Græcorum gente impoſtor, cui mirandum non eſt eiuſmodi erratum excidiſſe; maximè cùm apud non neminem ex vetuſtiſſimis Patribus aliquid huiuſmodi legiſſet. Sed hæc temeritas Baronio familiaris eſt, ut, in rebus etiam non magni momenti, quæ ſibi in Patrum libris diſplicent, illa audacter affirmet eſſe aliena manu eorum verbis aſſuta, ut cùm *ad Epiphanium ea ab aliquo fuiſſe addita* hariolatur quæ is de Origenis lapſu tradidit Hæreſi LXIV. & cùm alibi ab Irenæo ſcripta eſſe negat quæ in omnibus eius exemplaribus de Chriſti ætate, lib. II. adverſus hæreſes cap. 39. habentur ſuis quibuſdam coniecturis planè inanibus, adverſus conſtantem omnium codicum fidem fruſtra pugnans, ut eſt à Petavio demonſtratum. Sed hęc quidem hactenus; ex quibus conſtat, quàm facile ſibi iſti homines perſuadeant vitiata ac mendoſa eſſe veterum ſcriptorum monumenta, quoties ea vel cum Romana fide, vel cum priuatis ſuis opinionibus pugnant. Vnde porro quiuis non hebes intelligit eos in veterum codicibus, quos ſoli & omnes olim habuerant, & pleroſque etiam nunc habent, & hæc ipſa quę adulterata eſſe diſputant, libenter ſi id tuto licuiſſet, mutaturos fuiſſe, proque ſuo libitu emendaturos, & vero plurima alia eiuſdem generis, quæ inuertere & ad rem ſuam effingere commodè in tenebris licuit, haut dubie mutaſſe.

Apud Clem. Alex. l. 3. Strom.

Ad. A. D. 253. §. 120.

Ad. A. D. 54. §. 141.

In Ephiph. p. 145.

Quiſquis es qui ſalutis tuæ doctrinam in veterum libris inueſtigare tua referre in animum induxiſti, ex hujuſmodi ſtrophis fallaciiſq; quas velint nolint in lucem protrahimus, diſce quot & quantis curis Veterum circa ſacra ſententiam, ubi vel tantillum à ſua recedebat, oculis noſtris ſubducere ſtatuerint. Attende item quàm ipſis facile fuerit & nunc etiam ſit, hac in re animo ſuo morem gerere, & apud te ſtatue magnis conatibus pares ſucceſſus non defuiſſe: quibus ſi addas, quęcunque, vel tempus, vel hæreticorum nequitia, vel veterum Chriſtianorum incauta & pia fraus, vel recentiorum

ac dirimendis hiſce controverſiis idoneos eſſe libros obſcurè ſcriptos. Ego verò haud ſcio annon de pleriſque veteris Eccleſiæ ſcriptoribus meritò id uſurpari poſſit quod Hieronymus de quorundam in S. Scripturam Commentariis dixit. *Pleriſque nimium diſertis accidere ut maior ſit intelligentiæ difficultas in eorum explanotionibus quàm in iis quæ explanare conātur*, id eſt, commentarios ipſos eſſe textu S. Scripturæ intellectu difficiliores. Nam ad veterum libros probè intelligendos imprimis neceſſaria eſt linguarum quibus plerique ſcripti ſunt, Græcæ ſcilicet ac Latinæ, accurata cognitio. Qui enim Syriacè, vel Arabicè, vel Æthiopice, vel alia lingua vernacula ſcripſerunt, ii quidem, ad pernoſcendam veteris Eccleſiæ de religione ſententiam, fortaſſe non minùs eſſent utiles quàm quiuis alij; Sed eorum tamen nulla, quod ſciam, extant publica monumenta, niſi in Græcum aut Latinum ſermonem tranſlata, qualia ſunt Ephremi opera (ſi modo qui oſtentantur genuini ſunt eius fœtus) & Moſis Barcepha de Paradiſo liber quem Maſius Latinum fecit, & forſan pauca alia. Scio pleroſque interpretibus, ſiue Latinis ſive vernaculis fidem habere, imò & eo ventum eſſe, ut nonnulli non dubitarint de Patribus Græcis, nulla (quantum quidem ex eorum ſcriptis apparet) Græcæ linguæ ſolida cognitione inſtructi, iudicare; quod magnæ fuiſſe temeritatis nemo, credo, inficiabitur. Res ipſa per ſe ſatis docet ac penitus introſpiciendam ſcriptoris mentem, maximè in rebus magni momenti, qūantùm conducat eius linguam, phraſes, vocabula, connexioniſq; ipſorum inter ſe rationem ad unguem callere, cùm quælibet lingua habeat neſcio quam vim ſignificandi ſingularem, & quaſi innatam, quam nemo quantumvis eruditus, diſertus ac fidus ſic aſſequitur ut interpretando non deterat ac diluat. Sed quod utile eſt in omnibus aliis argumentis, in hoc neceſſarium euaſit, adeo exigua ſeu eruditione, ſeu fide inſtructi, ad hoc opus ſe accinxere plerique ſiue veteres ſiue recentiores Patrum interpretes.

Hieron. ep. 139. ad Cypr. T. 3 p. 153.

Bellarminus.

Cap. ſuper. De Ruffini fide ſupra iam dixi. Quàm ſit autem periculoſum eius interpretationi credere, vel hoc exemplo diſce. Ille in Ecclesiaſtica Euſebij hiſtoria Martyres Lugdunenſes ita apud Paganos loqui facit, ad pugnandum Thyeſtæarum epularum crimen; *Multum erratis ô viri, putantes humanis viſceribus veſci eos, qui ne mutorũ quidem animalium carnibus utuntur.* Pamelius ardentiſſimus Latinarum traditionum admirator, hæc verba arripuit & ex iis conficit iam ætate B. Irenæi uſitatum fuiſſe in Galliis apud Chriſtianos à carnibus abſtinere, hodierno ſcilicet Romanorum ritu. Atqui de *carnibus* nihil apud Euſebium hiſtoriæ auctorem legitur; longe aliæ, hæc ſcilicet, leguntur; πῶς ἂν παιδία φάγοιεν, οἱ τοιοῦτοι οἷς μη δὲ ἀλόγων ζώων αἷμα φαγεῖν ἐξόν; *Quomodo hi infantes comederent, quibus ne mutorum quidem animaliũ ſanguinem guſtare licèt?* Nempe ex Apoſtolico decreto (quod diutiſſimè in Eccleſia obſeruatum eſt, etiam ultra decimum ſeculum) Chriſtiani tum ab eſu ſanguinis & ſuffocati abſtinebant. Hieronymus Ruffino vir fuit (fateor) haud paulo doctior; interpres neſcio an multo fidelior ac religioſior. Anaſtaſius (qui ante 800. annos vixit) qualiter ſe geſſerit in Synodi VII. interpretatione non ita pridem monui. Is tamen Præfatione ad VIII. Synodum extra omnem dubitationis aleam ponit, nihil in ſua editione non verum, non certum; falſum contra & ſuppoſititium quicquid apud Græcos vel ſuperat vel deſit. Si reliqui interpretes ea eſſent fide, quam iſte ſibi arrogat, facilè Græcis codicibus carere poſſemus, & æquo animo fere pinguem illam Latinitatem qua iſte in ſua verſione uſus eſt. Sed neque fidem in his quæ de ſe prædicat ab omnibus impetrauit, neque ſi is eſſet qui vult haberi, hoc eſt, ſi ipſi archetypo præſtaret; eodem quoque loco ac numero cæteri interpretes cenſeri poſſent, maximè recentiores. Primò diverſus ipſarum linguarum genius, etiam ubi abeſt partium ſtudium, efficit tamen, ut apud interpretem nonnulla interdum occurrant ambiguè dicta, quæ planè ac ſine ulla ambi-

Cap. ſuper. — *Hiſt. Eccl. l. 5. c. 1. ex Ruffini verſione.*

In Tertull. de Ieiun. num. 51.

L. 5. Euſeb. cap. 1. fol. 46. a. edit. Gr. R. Steph.

Concil. T. 3. p. 187.

guitate auctor ſcripſerat; cuius generis inſigne ac memorabile imprimis dabo exemplum. Athanaſii interpres quemdam, eius ex libro de Synodis Arimini & Seleuciæ, locum ſic tradit; *Duo Dionyſiſij ante eos Septuaginta fuere qui Samoſatenſem ſuſtulerunt, quorum alter Romæ alter Alexandriæ Præſul erat.* Baronius aliqua horum verborum ambiguitate deceptus, ſcribit teſtari Athanaſium *à duobus Dionyſiis Romano & Alexandrino ſublatum fuiſſe Paulum Samoſatenum* Non exagito pudendum, in tanto Annaliſta, ac planè puerilem errorem, in quem eum partim Papæ ſtudium, partim linguæ Græcæ ignorantia impulit. Vnum hoc dico, ſi Athanaſium Græcè legiſſet, clarè animadverſurum eum fuiſſe, non à duobus Dionyſiis, ſed à ſeptuaginta illis Epiſcopis ſublatum memorari ab Athanaſio Paulum. Sic enim Græca citra ullam ambiguitatem habent Διονύσιοι γὰρ δύο γεγόνασιν ἔμπροσθεν πολὺ τῶν ἑβδομήκοντα τῶν καθελόντων Σαμοσατέα; τούτων ὁ μὲν τῆς Ῥώμης, ὁ δὲ τῆς Ἀλεξανδρείας ἦν Ἐπίσκοπος. Quod vero idem Annaliſta † in alia parte operis, quæ Euſebius de Chriſtiana quadam nobili, & Alexandrina muliere ſcripſerat Maximinum illam φυγῇ ζημιῶσαι, * ea perinde accipit ac ſi dixiſſet auctor eam *fuga* ex urbe Alexandria, & ex Ægypto *elapſam eſſe*; hoc inquam non interpretis, ſed ipſius Baronii peccatum eſt, temere & pueriliter ſtudentis quæ de illa muliere à veris hiſtoricis traduntur ea ad *Catharinam* ſuam fictitiam accommodare, quam (& hoc quoque abſurde & inſcite) Hecatorinam † ab Hecate dictam olim fuiſſe hariolatur. Deſcriptus enim ab ipſo Euſebii interpretes diſerte habet eam mulierem, non quod ipſe vult *fuga lapſam*, ſed, quod tradit Euſebius, *fuga multatam, & omnibus facultatibus ſpoliatam*, à Maximino ſcilicet tyranno. Sed præter ipſam linguarum diverſitatem, ex Interpretum animo plerumque etiam oriuntur magnæ verſionum à ſuis fontibus diſcrepantiæ. Cùm enim plerique interpretes partium ſuarum ſtudio ducantur, parum, ut mihi quidem videtur, prudentis eſ-

Athã. T. 1. de Syn. Arim. & Seleuc. p. 918.

A Bar. ad A. D. 265. §. 11. 12.

† Ad A. D. 307 §. 3. Quod inſuper eadē fuga lapſa dicatur.

** Euſeb Hiſt. Eccl. l 8. c. 15. edit. Gr.*

† Bert. A. 307. §. 31.

ſet,eorum omnium fidem ſequi. Si cui animus eſt periculum facere quantùm tribuendum ſit eiuſmodi verſionibus, conferat, ſi tanti eſt, Præfationem Græcam Origenis in libros contra Celſum, cum interpretatione cuiuſdam Chriſtophori Perſonæ, percurrat totum opus, & niſi Proteſtantibus ludibrium debere velit, caueat ne ex adeo locupletis interpretis fide iis objiciat, ex quinto libro, hunc locum pro inuocatione ſanctorum *Vota & preces omnes, & gratiarum inſuper actiones ad Deum ſunt per Angelum trāſmittendæ qui per Pontificem & viuens verbum & Deum Angelis præfectus eſt.* Videtur velle Chriſtum Angelorum quempiam conſtituiſſe qui preces noſtras excipiat,& per quem vota noſtra ad Deum deferantur.

Origenes Chriſtoph. Perſon. l.5.cont. Celſu. T.4.p.85.

At nihil tale Origenes. Sed prorſus contra, *Omnem precationem, omne votum, omnem orationem & gratiarum actionem mitti oportere ad Deum qui eſt ſuper omnia, per ſummum Sacerdotem, qui eſt verbum viuens, & Deus ſupra omnes Angelos.* Nec diſſimilis eſt ratio Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Ioannis Chriſtophorſoni eſtendit enim variis in locis præter Auctorum quos interpretatus mentem, vehemens in interprete partium ſtudium. Exempli gratia? Ille Clementem Alexandrinum quodam apud Euſebium loco hęc loquentum inducit, *Epiſcopus adoleſcentulum*, &c. *ad extremum Baptiſmi ſacramento illuminauit: poſtea ſigillo Domini, id eſt, ſecramento Confirmationis, tanquam perfecta, tutaque eius animi cuſtodia obſignauit.* Eleganter ſaue,& plane ad rem Romanam. Quis neget? Nam nemo eſt qui hęc ſcripta legens non putet & Euſebij & Clemētis, imo & ipſius Ioannis Apoſtoli, ad quem pertinet tota hæc narratio, temporibus iam in uſu fuiſſe,& chriſmatis Latini ſacramentum, & ipſam quoque Confirmationis nomenclaturam Sed tu iſti, ſi ſapis, caue credas Hæc enim ipſius ſunt, Euſebij non ſunt, non ſunt Clementis; cuius Græca ita habent. Ὁ δὲ πρεσβύτερος τὸν νεανίσκον, &c. τὸ τελευταῖον ἐφώτισε, καὶ μετὰ τοῦτο ὑφῆκε τῆς πλείονος ἐπιμελείας καὶ παραφυλακῆς ὡς τὸ τέλειον αὐτῷ φυλακ-

Orig. Cōt. Cel. l.5.p.329. πᾶσαν μὲν γὰρ δέησιν καὶ προσευχὴν καὶ ἔντευξιν καὶ εὐχαριστίαν ἀναπεμπτέον ἐπὶ τὸν ἐπὶ πᾶσι Θεὸν διὰ τοῦ ἐπὶ πάντων ἀγγέλων ἀρχιερέως ἐμψύχου λόγου καὶ Θεοῦ.

Chriſtoph hiſt. Eccl. Euſeb. l.3. c.17.p.46.

Euſeb hiſt. l.3 c.23, fol. 27.b. edit. Gr. R. Stephani.

φυλακτήριον ἐπισήσας τὴν σφραγῖδα τοῦ Κυρίου. *Sigillum Domini* adoleſcenti adhibitum fuiſſe dicit à Preſbytero qui ipſum baptizauit; *Sigillum Domini* eſſe *ſacramentum Latinæ Confirmationis* non dicit: Imo id *Dominicum ſigillum*, non Latinum chriſma, ſed illum ipſum fuiſſe baptiſmum quo tinctus fuerat adoleſcens perſpicuè ſignificat, ut vident qui Græcè ſciunt. Neque aliter ceperat Ruffinus; *Tum vero* (inquit) *Presbyter adoleſcentem ſuſcepit*, &c. *ad ultimum etiam Baptiſmi gratiam tradit. Poſt hæc iam veluti confidens gratiæ qua fuerat communitus* † *paulo indulgentiùs iuvenem habere cæpit.* Alud eundem Chriſtophorſonum Eccleſia Smyrnenſis de Paganis verba faciens, *Illud quidem miſeri* (inquit) *penitus ignorabunt, nimirum nos non aliquando in animum poſſe inducere, ut Chriſtum deſeramus, qui pro ſalute omnium, qui in toto mundo ſalui ſint futuri, crucis tormenta perpeſſus ſit; uel alium quempiam aliquando colamus ut Deum. Illum enim qui verè Dei Filius eſt adoramus. Martyres autem ut diſcipulos & imitatores Domini propter incredibilē eorum benevolentiam, quam in proprium Regem & Magiſtrum declaraverūt meritò amplexamur.* Hæc Chriſtophorſonus; eo ipſo quod negat quemquam à Chriſtianis *ut Deum coli*, innuens *coli aliquos religioſè, tametſi non ut Deum*, quod eſt, ut liquet hodiernum Latinorum dogma. At veteres illi Smyrnenſes ſimpliciter negant fieri poſſe ut alium præter Chriſtum colant, Martyres verò *à ſe amari* profitentur. Ἀγνοοῦντες (Pagani) ὅτι οὔτε τὸν Χριστόν ποτε καταλιπεῖν δυνησόμεθα, &c. οὔτε ἕτερόν τινα σέβειν. τοῦτον μὲν υἱὸν ὄντα τοῦ Θεοῦ προσκυνοῦμεν. τοὺς δὲ μάρτυρας ὡς μαθητὰς τοῦ Κυρίου καὶ μιμητὰς ἀγαπῶμεν ἀξίως, &c. Idem alibi Irenæum de Paſchali jeiunio reddens; *Quidam namque unum diem ſe jeiunare oportere exiſtimant, alÿ duos, non pauci plures, multi quadraginta.* Planè quaſi iam tum aliqui eſſent Chiſtiani qui nunc ſolennem Latinis Quadrageſimam obſervarent. Græca nihil huiuſmodi tinniunt, ſed ſignificant fuiſſe, qui diem ſuum eſurialem horis quadraginta diurnis nocturniſque metirentur; ex-

E lit. Euſeb. Baſil. A.D. 1559. p. 506.

† *Sic legendum non cōmonitus quod habet codex editus.*

L. 4. hiſt. Euſeb. c. 14 p. 66. edit. Chriſtophorſ.

L. 4. c. 16. ed. Gr. R. S teph. fol. 39. a.

Hiſt. Eccl. l. 5. c. 24. edit. Chriſtophorſ. p. 96.

cerum neminem memorant, cuius Paſcale illud ieiunium quadraginta dierum fuerit; momorant quorum fuerit plurium quam duorum. *Οἱ μὲν γὰρ οἴονται μίαν ἡμέραν δεῖν αὐτοὺς νηστεύειν, οἱ δὲ δύο καὶ πλείονας, οἱ δὲ τεσσαράκοντα ὥρας ἡμερινάς καὶ νυκτερινὰς συμμετροῦσι τὴν ἡμέραν αὐτῶν* Eſt & hoc Criſtophorſoni. Sozomenus de Liberio Epiſcopo Romano ſcribit, quod eum Conſtantius Auguſtus *ἐβιάζετο ὁμολογῶν μὴ εἶναι τῷ πατρὶ τὸν υἱὸν ὁμοούσιον*; id eſt *quod eum compulerit confiteri non eſſe Filium Patri conſubſtantialem*; & pauci interjectis, quod eum Baſilius, & Euſtathius & Eleuſius principes Arianorum Epiſcopi *παρὰ σπουδάζουσι συνταγέντι* ſuo cuidam de fide male ſano libello; quæ verba ſignificant eos *effeciſſe*, ut Liberius *huic* ſuo libello *conſentiret*. Chriſtophorſonus in interpretatione Sozomeni ſua, ut hanc à ſue Pontifice labem amoliretur, verba ſui auctoris peſſima fide ſic reddidit Conſtantius *compellere* (inquit) *TENTAVIT eum fateri Filium non eſſe Patri conſubſtantialem*: Sic quoque mox de Epiſcopis Arianis; *CONANTVR* (inquit) *ut liberius huic* (ſuo de fide libello) *conſentiat*, Simile cauſſæ Romanę ſtudium Ioannem quemdam Porteſium tranſverſum quoque egit, dum quæ Euſebius de ædificato & exornato à Conſtantino templo Hieroſolymitano ſcribit ita interpretatus eſt; *Sed huc acceſſit aurearum imaginum, argentearumq́ vis infinita.* Vnde Bellarminus, cæcus cæcum ducens ſequens, concludit in ſua de imaginibus ſacris diſputatione, *Euſebium in libris de vita Conſtantini dicere in templis à Conſtantino extructis in Palæſtina fuiſſe maximam copiam imaginum aureorum & argentearum* Bellarminus Porteſium tam incredibilis mendacij auctorem laudare debuerat. Euſebius, quem falsò & impudenter teſtem laudat nihil habet de imaginibus. Æ[illegible]em *denariis aureis argenteiſque lapilliſque* ſiue *gemmis pretioſis exornatam fuiſſe* dicit: *Imaginem* ullam in ea fuiſſe nullus dicit *Ἐκόσμει δ' αὐτὸν* (inquit) *ἀδιηγήτοις κάλλεσι, πλείστων ὅσων ἀναθημάτων. χρυσοῦ καὶ ἀργύρου καὶ λίθων πολυτελῶν διαλλατ-*

Gr. edit. l. 5. c. 26. fol. 55. b.

L. 4. hiſt. c. 15. edit. Gr. in.

Sozom. Lat. edit. Chriſt. l. 4. c. 14. imis.

L. 3. de vita Conſt. edit. Euſ. Baſil. A. D. 1559 p. 681

Bellarm. de imag. c. 9. § Sozomenus.

Euſeb. l. 3. de vita Conſtantini ſ. epis. G. R. Steph.

διαλλαττούσαις ὕλαις Ἀναθήματα non ſunt imagines, ſed *Luc.21.5.*
donaria. Lucas de Iudaico Hieroſolymorum templo, in quo, ex Moſis diſciplina, nulla fuiſſe imagines certum atque confeſſum eſt, λίθοις (inquit) καλοῖς καὶ ἀναθήμασι κεκόσμηται, id eſt, ut habet vetus interpres Latinus *bonis lapidibus*, &, non *imaginibus*, ſed *donis ornatum erat*. Bel *L.3. de pœnit. c.8.§ ſexto habeamus.* larminus idem inter cætera, quæ pro auriculari confeſſione, adducit, hæc ex Gregorij Nyſſeni Epiſtola ad Letoium deſcribit; *Rectè habuerit ſi hodierno die, non ſolùm eos qui ex regeneratione per lauacri gratiam tranſmutati ſunt adducamus, ſed eos etiã qui per pœnitentiam & CONFESSIONEM à mortuis operibus ad viuentem viam aſcendunt ad viuentem ſpem tanquam manu deducamus.* Hęc Latinè apud Bellarminum. Græca auctoris nihil habent de *confeſſione* cuius vocabulum interpres dolo malo pro ἐπιστροφῆ *conuerſione* ſubſtituit Ἀλλὰ καὶ τοὺς διὰ τῆς μετανοίας τε καὶ *Greg. Nyſſ. ep. ad Let. T. 2. p. 116.* ἐπιστροφῆς ἀπὸ τῶν νεκρῶν ἔργων εἰς τὴν ζῶσαν ὁδὸν πάλιν ἐπανιόντας: *Sed eos etiam qui per pœnitentiam & controverſionē à mortuis operibus ad viuentem viam aſcendunt.* Vt habet ipſa Nyſſeni editio nouiſſima Pariſienſis. Peior etiam fuit cuiuſdam Theologiæ Doctoris (cui ſeu verum ſeu fictum *Domini de S. Iuliano* nomen præſcribitur) in opere lingua vulgari edito. Is enim hæc Auguſtini † laudans. *Defenſe de la pieté de l'Egl. Rom. contre l'abbadie a. 1651. ch. 31. p. 299.* *Colimus ergo martyres eo cultu dilectionis & ſocietatis, quo & in hac vita coluntur ſancti homines Dei, quorum cor ad talem pro Euangelica veritate paſſionem paratum eſſe cenſemus*; hæc inquam Francicè interpretata ſic exhibet: *Nous* *† L.20. contr. Fauſtum c.21.* *honorons donc les Martyrs de ce culte de DEVOTION & de ſocieté, avec laquel on a accouſtumé d'honorer les hommes de Dieu ceux qui mènent une ſaincte vie, lors que l'on croit que leur cœur eſt diſpoſé de ſouffrir la mort pour la verité de l'Evangile.* In hac verſione leuius videri poteſt quod hæc Auguſtini, *& in hac vita*, planè penituſq; omiſit, quæ tamē ut quiuis videt, ſingularem hoc loco vim habent. Illud verò quis ferat, quod pro *dilectione*, quam Martyribus exhiberi ait Auguſtinus, hic noſter interpres *deuotionem*

diis iſtis contentionibus cui conſtabit de Patrum mente, qui ipſos non convenerit, neque ex eorum quaſi ore rem omnem habuerit? Hoc ergo tanquam ſatis manifeſtum ſtatuo, ad pernoſcendum quid Patres ſenſerint eorum linguam, non perfunctoriè, ſed accuratè eſſe intelligendam; cum unaquæque lingua habeat quædam loquendi genera & idiomata eruditis, quales fuere Patrum pleiique, familiaria quæ qui eam ſuperficie tenus attigerit, ejuſque arcana minimè penetraverit, nunquam planè penitùſque intelliget. Vin' tu ſcire quàm neceſſaria ſit huius rei cognitio, quàm periculoſa ignoratio? Sume in manus Theodoretum ubi de Euchariſtia agens inquit, Οὐδὲ γὰρ μετὰ τὸν ἁγιασμὸν τὰ μυστικὰ σύμβολα τῆς οἰκείας ἐξίσταται φύσεως· μένει γὰρ ἐπὶ τῆς προτέρας οὐσίας, καὶ τοῦ σχήματος, καὶ τοῦ εἴδους. Proteſtantes omnes nec non (ante Cardinalem Perronium) eorum omnes adverſarij hoc modo interpretati ſunt. *Neque enim Symbola myſtica poſt ſanctificationem recedunt à ſua natura, manent enim in priore ſubſtantia & figura & forma.* Quid poteſt diſertius dici contra Tranſubſtantiationem? Cardinalis verò Perronius, ex eodem, ni fallor, Linguæ Græcæ penu ex quo habuit μιαίνειν, idem eſſe quod nobis fumare eſt, mirificam nuper obtruſit, planéque novam ac inauditam hujus loci interpretationem, quaſi vellet Theodoretus ſigna Euchariſtica manere in figura & forma prioris ſuſtantiæ, quod tacitè & indirectè tranſſubſtantiationi patrocinaretur. Certum quidem eſt hanc expoſitionem non ſolùm auctoris ſcopo, verùm etiam recepto Græcorum ſtilo repugnare; ſed ni Græcam linguam ad unguem calleas, qui de ea judicabis, maximè cum eam Perronius, non timide, ſed præſidenter atque audacter, more ſuo, proponat? Hoc enim iſti ſolenne eſt, ut nihil unquam affirmet ac commendet gravius aut confidentiùs, quàm quòd maxime dubium & incertum eſt. Idem alibi ex imis raræ & ſingularis iſtius Grammaticæ, nemini præter quam ei ſoli cognitæ, penetralibus extundit inſi-

Theod. Dial. 2.

Perron. Repl. l. 4 p. 790. Reſp. ad 2. Inſt. c. 1. ubi vocem illā fumare vertit cum ſignificat, inquinare, contaminare. Sic etiā reddit in Tractatu de locis Aug. c. 10. p 134.

gnem quandam emendationem inſcriptionis epiſtolæ Conſtantini Imperatoris ad Militiadem Epiſcopum Romanum, in Hiſtoria Eccleſiaſtica Euſebij? Legit enim *Conſtantinus Auguſtus Miltiadi Epiſcopo Romano longum tempus*, aut, *prolixam occaſionem*, præter fidem exemplarium omnium, cùm manu ſcriptorum, tum typis editorum, quæ legunt, conſtantinus Auguſtus Miltiadi Epiſcopo Romanorum & Marco, veritus, ut mihi quidem videtur, ne Imperator contra decorum peccaſſe putaretur, ſi Marcum iſtum, cum Pontifice Romano, nullum ſecundum ferre ſolito, componeret atque æquipararet. Nullus eſſet fi is ſi cætera hujus generis perſequi vellem; Hac enim ille techna plurima Patrum loca vel eludit vel declinat, quæ alioqui videbantur in rem Proteſtantium diſertiſſima. Atque hinc ſatis, ut mihi quidem videtur, patet quàm ſit ab probè capiendam veterum mentem neceſſaria Græcæ Latineque linguæ cognitio: ex quo porro illud, quod nos initio conſtituimus, evidenter conſequitur, nempe, haud facile eſſe eorum ſcripta intelligere. Quis enim neſcit quàm non leui negotio parabilis ſit duarum iſtarum linguarum omnibus numeris abſoluta ſcientia? quotq; non ſolum laboribus; ſed & ingenij facultatibus ad eam conſequendam opus ſit? memoria tenaci, ingenio perſpicaci, ſtudio indefeſſo, acri comprehenſione, diuturna & ſedula lectione, & aliis id genus, quæ nonniſi rarò reperiuntur. Sed hoc ipſum quod poſuimus abundè etiam ex perpetuis eorum inter ſe contentionibus rixiſque conſtat qui de Patrum arbitrio compromiſerunt, non enim minùs pro eorum tribunali de capitibus multis, de quibus nunquam inter ipſos convenit, digladiantur. Pontificiorum militi in obſcuritatis, quam, adverſus Proteſtantes, Scripturæ impingunt, argumentum, afferunt ſententiarum, inter ipſos Proteſtantes, ſuper nonullis capitibus, pugnas; Lutheranorum cum Calviniſtis de Euchariſtia, horum item cum illis & Arminianis, de libero arbitrio & Præ-

deſti-

Euſeb. lib. 10. Hiſt. Eccleſ. c. 5. p. 114
Κωνσταντῖνος Σεβαστὸς Μιλτιάδῃ ἐπισκόπῳ Ῥωμαίων καὶ Μάρκῳ
Card. Perron. Repl. p. 309.
vulg. legendum Κωνσταντῖνος Σεβαστὸς Μιλτιάδῃ ἐπισκόπῳ Ῥωμαίων πολὺν χρόνον
Videtur legendum. ἢ μακρὰν.
Et Merocles qui numerat Mediolanenſis Epiſcopus, ut diximus ex Optato l. p. 334. A.

deſtinatione, altercationes. Si cuiuſvis eſt hæc ratio pretij quis non videt eam hic etiam valere, & probare quod contendimus? Profitentur enim tùm Græci tum Latini ſe è Patrum authoritate pendere, & ſe iis judicibus velle cauſam ſuam dicere, necdum tamen inter eos convenit. Suave eſt exercitatiſſimos utrimque pugiles in hac palæſtra apud Synodum Florentinam certantes ſpectare pluréſque horas, ac totos interdum dies in enucleandis * pauculis vel Epheſinæ Synodi, † vel Epiphanij, * vel Baſilij † voculis conſumentes, rémque eo tandem moleſtiſſima diſputatione deduci, ut quantumvis utrique de ſuarum expoſitionum perſpicuitate glorientur, Patrum ſenſus multò fiat poſtremo obſcurior quàm ante fuit, offuſis in res ipſas, per tam longas altercationes, tenebris. Satis quidem probabiliter alij aliorum argumenta confutant, ſed mirum quam parum ſolidè ſua ipſi adſtruant. Latini ſanè, quorum ut cauſa melior ita & diſputatio fœlicior fuiſſe creditur, in loco quodam Baſilij triumphant, & quaſi victa cauſa, cantato epinicio, Græcis indignis modis inſultant, verbíſque eos mordacibus laceſſunt. Ipſi tamen adeo jejuna Dialectica uſi ſunt ad perſuadendam quam afferebant explicationem ut etiamnum hodie in poſtrema Operum Baſilij, quam Fronto recenſuit, editione, interpretatio Latina explicationem Latinorum rejecerit, Græcoſque, licèt Schiſmaticos, hoc loco ſecura ſit. Cùm Proteſtantium nonnulli hoc pugnæ genus ſuper quibuſdam controuerſiis capitibus cum iis iniiſſent, animadvertere quilibet poteſt, quanta ſit locorum utrimque allatorum obſcuritas Si eadem fuit Tertulliani, quæ eſt hodie Eccleſiæ Romanæ, de Euchariſtia ſententia, quicquàmne fingi poteſt obſcurius hoc loco è quarto libro contra Marcionem? Chriſtus *acceptum panem & diſtributum diſcipulis, corpus illum ſuum fecit, hoc eſt corpus meum dicendo, id eſt figura corporis mei.* Si Auguſtino credita tranſſubſtantiatio quid ſibi volunt hæc eius verba. *Non enim Dominus dubitauit di-*

Concil. Flor. Seſſ. 5. de decreto quodam Concil. Epheſ. Act. 6. Seſſ. 11. & 12.

**Concil. Flor. Seſſ. 18. 20.*

**Ibid. Seſſ. 21. p. 480. & ſeqq.*

Ibid. locus Baſilij.

ὃ λαμβάνομεν τὸ [illegible] τοῦ [illegible] τοῦ ὕδωρ τὸ πνεῦμα.

Baſil. in Orat. in ſacr. Bapt. p. 511. T. 1. edit. Par. apud Mich. ſonium 1618.

Tertull. l. 4. contra Marcion c. 40.

Auguſt. contra Adimant. c. 12. T. 6. fol. 39. A.

*cere hoc eſt corpus meum,cùm ſignum dare corporis ſui.*Si loci iſti & alij penè innumerabiles id volunt quod contendit Cardinalis Perronius, fuerùntne unquàm obſcuriora, vel Sphyngis Thebanæ ænigmata, vel Sibyllæ oracula? Quod ſi ad alteram partem te conuerteris, non pauciora fortaſſe hic quoque offendes,quæ Proteſtantium ſenſum nullo modo admittere poſſe videntur, qualia ſunt quæ diſertis verbis, vel aiunt panis naturam immutati & per omnipotentiam Dei verbi carnem fieri, vel negant Euchariſtiam panem eſſe aut vinum. Sunt in ſingulis controverſiis ſimiles loci, quorum alij Romanæ Eccleſiæ, alij Proteſtantium judicio in explicabiles videntur. Si Cardinalis Perronius & alij præſtanti ingenio viri, tam harum quam illarum partium, ſibi plana & aperta omnia videri confirmant, fatendum eſt id confidentiùs, nec ſine jactantia dici, longéque ipſos plus in fronte promittere quàm in receſſu habeant, aut ſanè reliquos homines præ iſtis acie cùm ingenij tum oculorum eſſe admodum hebere, cùm nihil niſi tenebras videant, ubi iſti meram lucem ſibi obverſari teſtantur. Enim vero ſi obſcuritas magna non eſt, unde fit ut ipſi tam ſæpe adeo ſe torqueant, quare tot verbis, nullàque arte non adhibita in iis elucidandis laborant? Vnde fit ut cùm lectoribus ſe poſſe ſatisfacere deſperant, in ipſos quos allegant auctores, aut in eorum ſcripta invehuntur eorùmque fidem labefactent? Quod genus hoc judicij eſt, quod longe fuſiore elucidatione opus habet quam res ipſa? quod lites, quas decidere debuit, ſerit? quod utrique parti æqualiter favere videtur? De ſenſu horum Domini verborum contenditur. *Hoc eſt corpus meum.* Adducuntur Tertullianus & Auguſtinus qui ea exponant. Fidem tam, lector, nonne æquè, immò magis perſpicua ſunt hæc ipſa Scripturæ verba, quam utriuſque Scriptoris loca, qua quidem ratione explicantur? Nullum hic judicem recuſo; te, lector,quiſquis es, appello; tantum ne te legere & expendere pigeat quæ in utrumque locum

cum hodie dicuntur, & quam longis ambagimus ad verum eorum ſenſum deducamur, Ac niſi doctiſſimis quibuſcunque, in explicandis Patrum Scriptis aqua hæreret, non eſt credibile Cenſores Belgicos, viros Lectiſſimos, ſuo exemplo præire nobis voluiſſe, ut adeo turpibus effugiis eorum authoritate, dum opponuntur in diſputationibus, aut conflictibus cum adverſariis, preſſi, elabi conotaremur, *ex cogitato* videlicet, *commento* aut *ſenſu commodo iis affict o*. Sed de his hactenus ſatis, opinor, ut quilibet ſui compos, per ſe agnoſcat, non facile eſſe quid ſenſerint Patres ex ſcriptis eorum pernoſcere. Verùm ne quis ſcrupulus reſtet, expendamus breuiter præcipuas quaſdam iſtius obſcuritatis cauſas, Sanè cùm Patres viri ſapientes fuerint, ideo cenſendi ſunt ſcripſiſſe, ut intelligerentur. Itaque cum plerique ingenio & doctrina excelluerint, mirum videri queat cur finem, quem ſibi propoſuerant, non ſint aſſecuti. Sed in memoriam hic redeat quod ſupra monuimus, eos cùm nondum natis noſtris controuerſiis ſcripſerint, non potuiſſe in animo habere de iis agere. Sapientes quippe quàm minimum poſſunt dubia in religione movent. Adde quòd non deerant illis, ſuis ſeculis, variæ & quidem nobiles controverſiæ, in quibus enodandis occuparentur, ut nihil opus eſſet ipſis ad noſtras animum appellere. Super iis de quibus agunt perſpicuè quidem quid ſuæ eſſet ſententiæ expoſuerunt, Inter obſcuros Scriptores ferè eminet Tertullianus: Attamen cùm adverſus Marcionem diſputat, ita perſpicuè quid ſentiat aperit, ut nullum dubio locum relinquat, Si ergo hiſce temporibus vixiſſent, aut ſi ſuperſtitibus illis hodiernæ controuerſiæ agitatæ fuiſſent, nullus dubito quin clarè ac perſpicuè fuerint de iis acturi, Nam, ut cuiuis notum eſt ex uſu communi, ſermones certo conſilio, & ex deſtinato non habiti, nunquam ſunt aperti & definiti, ſed pendentes & ambigui ita ut ad varios fines, imò ſæpè contra ſenſus & ſtudia eorum quibus exciderunt referri poſſint. Sic ante or-

Index Expurg. Belgic. in Bertram.

tam, quæ tam grauiter veterem Eccleſiam afflixit, Arij peſtem, pauca habentur, apud Patres, de æternitate Diuinæ Ieſu Chriſti naturæ, aut, ſi aliquid occurrit, apparet id obiter; non rotundé, & ab aliud agentibus, nec ex deſtinato dictum, unde fit ut quę de hoc argumento habent, non minoribus ſint tenebris obſita, nec ſolutu faciliora, quàm quæ apud eos ad noſtras controuerſias aliquando pertinere videntur. Explica, ſodes, hæc verba ex Iuſtino contra Tryphonem. *Deum qui Moſi apparuit & Patriarchis Filium fuiſſe, non Patrem*, eo quod Pater nunquam locum mutet, nec aſcendat nec deſcendat. Item. *A nemine unquam viſum Patrem, ſed Filium quidem, & Angelum ejus, qui ſit etiam Deus, per voluntatem Patris.* Vix enim hæc ſic reſolvi poſſunt, quin diuerſitas naturæ in Patre & in Filio ponatur, quod Arianum eſt. Expende etiam quę de hoc argumento habet Tertullianus. *Patrem ex ſemet ipſo proferendo Filium feciſſe, & Patrem eſſe totam ſubſtantiam filium verò derivationem totius & portionem*, & paſſim alia multa in præſtanti illo, adverſus Praxeam, opere obuia, quæ ad bonum ſenſum revocare non levis eſt operæ. Sic Dionyſius Alexandrinus † Filium *opus, aut figmentum, Patris vocat*, quæ ſunt ipſamet verba quæ in Ario anathemate percuſſa ſunt. Immò ipſi LXXX. Patres, qui Paulum Samoſatenum Epiſcopum Antiochenum damnarunt, dicunt * *Filium non eſſe ejuſdem eſſentiæ cum Patre*, qua ratione ὁμοούσιον negant, quod poſtea in Concilio Nicæno conſtitutum fuit. Hæc ipſa obſeruatio leui negotio probare poſſet, & in aliis Eccleſiæ cum Macedonio, Pelagio, Neſtorio, Eutychete & Monothelitis controuerſiis Patres, videlicet, obſcuriſſimè de hiſce rebus locutos antequam in quæſtionem vocarentur, cùm nempe de iis certo conſilio non agerent. Iam olim iſta ſcripta ſunt Hieronymo. *Antequam in Alexandria quaſi dæmonium meridianum Arius naſceretur, innocenter quædã & minus cautè locuti ſunt* Eccleſiaſtici *& quæ nõ poſſunt perverſorum hominum calumniam declinare.* Inter recentiores doctiſ-

Iuſt. contra Tryph. p. 283. & 356 357. Ib. p. 157. [illegible Greek]

Tertull. l. 2. cõt. Marcio. c. 27. Id. l. cõtr. Praxeam c. 9 & paſſim in eo opere.

† Dion. Alex. apud Athan. de ſid. Dion. Alex. T. 1. p. 551. B. Vid. & Baſil. ep. 41 T. 2. pag. 803. [illegible Greek]

** Athan. de Synod. Arim. & Seleuc. p. 917. D. T. 1. Vide & Hilarium de Synod. fol. 97 A init. col. 1. Octoginta epiſcopi olim reſpuerunt ὁμοούσιον.*

doctiſſimi hoc ipſum animadverterunt. Sic Cardinalis Perronius, ſic Petauimus, magno apud ſuos in pretio Ieſuita, in Epiphanium ſcribens, ut Lucianum Martyrem Arianiſmi & Samoſatenianiſmi ſuſpicione liberaret, ait *pleriſque Veterum Patrum in ... negotio* Trinitatis, *tum in aliis fidei Chriſtianæ capitibus inveniſſe, ut ante errorum atque hæreſeωn, quibus ea ſigillatim oppugnabantur, originem nondum ſatis illustrata & patefactâ rei veritate quadam ſcriptis ſuis aſperſerint quæ cum orthodoxæ fidei regula minimè conſentiant.* Cùm ergo ſic verſati ſint in aliis argumentis, quid mirum ſi in iis quæ nunc inter nos cōtrovertuntur eadem ratione ſe geſſerint? Si cùm longè ante motas has controverſias vixerint, de iis obſcurè, ambiguè, & confusè locuti ſint? Equidem in ea ſum ſententia, longè magis mirum fore ſi aliter ſe res haberet, & vehemens apud me ſuppoſitionis indicium futurum, ſi in ſcripto veterum cuipiam tributo, controverſiæ noſtræ æquè perſpicuè ac diſertè, ac fit hodie, excuterentur. Amabo te, confer Antiquiſſimorum de Divinitate & æternitate Filij Dei dicta cum iis quæ de Euchariſtiæ natura aliquando apud ipſos occurrunt, enim vero patebit hæc, ab ea, quæ nunc obtinet ſuper poſteriore capite, ſententia, non eſſe alieniora, quàm illa ſunt à doctrina olim in Concilio Nicæno illuſtrata & recepta. Filium eſſe Patri conſubſtantialem Nicææ definitum fuit. Id Antiochiæ negatum. Affirment ergo, vel negent Patres Euchariſtiam eſſe corpus Chriſti realiter, ſententiæ tuæ non adverſabuntur vehementiùs, quàm Antiocheni Patres in ſpeciem contradixerunt Nicænis. Adde jam quòd queamdmodum Ariani jure non potuerunt in ſententiam ſuam trahere, neque tanquam copias cauſæ decretorias, voces iſtas quæ Patribus antiquiſſimis obiter tantùm, in alia argumenta, nullo conſilio vt de hoc agerent, innocenter exciderunt allegare, ſic æquius ſi verum amamus, neque à me, neque à te afferri, tanquam ſententias ſecundùm nos in controverſiis recens natis pronuntiatas, ea quæ

Hieron. A l. 2. ont. Ruff. T. 2. p. 329. C.
Perron. Repl. obſervat. 4. c. 5. p. 633.
Petavius in Panar. Epiphã ad hær. 69 quæ eſt Ariã p. 285.

Patribus ſcripta ſunt in alia argumenta, multis ante has exicitatis contentiones, ſeculis, de quibus ut nihil iis unquam in mentem venit, ſic etiam variè admodum & obſcurè locuti ſunt, imò & quandocunque contradictoriè ſpeciem. Et quemadmodum fideles qui poſt vetuſtiſſimos illos Patres vixerunt, illorum ſententias ad veritatem quam profitebantur revocare conati ſunt; qua ratione Athanaſius erga Dionyſium Alexandrinum & Patres Antiochenos ſe geſſit; ſic noſtræ ſunt partes nullum lapidem non movere, ut quàm commodiſſimè fieri poteſt, exponamus quicquid in eorum & ſimilium ſcriptis videtur cum ordodoxa fide de Euchariſtia & aliis capitibus pugnare, nec ſupra modum percelli, ſi aliquando loci qui in ſobis planè videantur inexplicabiles in iis occurrant. Fieri enim poteſt ut reipſa ejuſmodi ſint, quandoquidem fieri item potuit ut de perſona & naturis Filij Dei ea dixerint quæ ſupra retulimus, ut notum iis qui in eorum libris verſati ſunt. Fieri item poteſt ut eorum dicta, licèt reipſa explicabilia, nobis tamen videantur inſolubilia, quia nobis ea ſubſidia deſunt quæ ad lucem iis inferendam neceſſaria ſunt; ſi, verbi gratia, vel ſcopum auctoris, vel quæ apud illum antecedunt, aut conſequuntur, & alia neſcimus, quæ omnino ſunt ad quoſvis ſcriptores intelligendos neceſſaria. Eadem enim eſt verborum quæ pictarum tabularum ratio, quas in idoneo lumine conſtitui decet, appareant quod ſunt in mente auctoris, quaſque pro varietate luminis, variè etiam apparere conſtat. Exempli gratia, ſi Dionyſij Alexandrini vocula, qua Chriſtum Patris opus, ποίημα, vocat, & alia nonnulla cruda quæ ſubjicit) qualia quotidie inter diſputandum locorum fragmenta antecedentibus, & conſequentibus mutila nobis objiciuntur (ſolitaria è corpore ſuo, & ex auctoris oratione avulſa, nobis obtruderentur, quis vel peritiſſimus ſibi fingere poſſet non eſſe merum Arianiſmum? quis non pronuntiaret nodum eſſe inſolubilem? Et tamen Athanaſius locis ſupra notatis aliter

Athan. ep. de fide Dionyſ. Alex. & epiſt. de Synod. Arim. & Seleuc. ubi ſupra.

ποίημα καὶ γενητὸν εἶναι τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ, μήτε δὲ φύσει ἴδιον, ἀλλὰ ξένον κατ' οὐσίαν αὐτὸν εἶναι τοῦ πατρὸς, ὥσπερ ἐστὶν ὁ γεωργὸς πρὸς τὴν ἄμπελον, καὶ ὁ ναυπηγὸς πρὸς τὸ σκάφος, καὶ γὰρ ὡς ποίημα ὢν οὐκ ἦν πρὶν γένηται.

Apud Athan. in ep. de fide Dionyſ. Alex. pag. 1. B. T. 1.

aliter docet,& ex luce tum è loco ipſo petita,tum aliunde illata,oſtendit voces illas, duriores licèt bonum ſenſum habere. Quod ut capiamus plenius ad alias obſcuritatis Patrum cauſas pergendum eſt. Inter illas principem conſtituo, quod interdum ſtudent animi ſui ſenſa penitus occultare, aut ſaltem oſtendere non nuda & aperta in clara luce; ſed objecto, ut ſic dicam, velo, & quidem aliquando ſatis denſo; ita ut nonniſi Lynceis oculis ſit pervium. Habebant nempe meditationes neſcio quas, quas inutile imò & noxium infirmis & plebeis ingeniis aperire exiſtimabant. Jurene, an injuria, ſic ſenſerint hoc loco non diſputo. Mihi nunc ſatis quod ita ſenſerint; ut inter alios ex Clemente Alexandrino patet. Is Strom.1.initio, de conſilio ſuo agens hæc habet. *Nonnulla conſulto prætermitto: timens ſcribere quæ etiam cavi dicere, non utique invidens, neque enim fas, ſed iis metuens qui in ea inciderent, ne in aliam forte partem accipientes laberentur, & puero gladium, ut proverbio fertur, præbere inveniremur.* Cæterum ſubjungit ſe *quædam ænigmaticè ſignificaturum*, adeo ut in *quibuſdam inſiſtat, alia tantum dicat*, ita ut *occultans aperiat, & tacens oſtendat.* Sed quod maximi eſt momenti hac ipſa methodo uſi ſunt circa quædam capita quæ hodie in controverſiam vocantur; circa ſcilicet, ſacramenta Eccleſiæ. Cum enim ea myſteria nonniſi clam & ſeorſum apud ſuos celebrarent, neque ad ea contemplanda vel Ethnicos, vel Catechumenos, imo (ut quidam volunt) neque ullos alios quàm qui myſteriorũ erant participes admitterent: Sic etiam in Tractationibus ſuis, maximè in homiliis quas ad populũ habituri erant, nunquam niſi obſcurè de iis agebant, ut de Euchariſtia annotarunt Cardinalis Petronius, Caſaubonus, Petavius & alii de Baptiſmo, de Confirmatione & aliis Chriſtianorum ſacris cærimoniis. Aſpice, quæſo, quàm diligenter Theodoretus & Epiphanius ſibi caveant ne Euchariſtiç materiam nomine proprio indicent, ut ſemper eam deſignent vocibus generalibus, ab iis tantùm

Clem. Alex. Strom.1. p. 96. extr.

τὰ μὲν ἑκὼν παραπέμπομαι ἐκλέγων ἐπιστημόνως φοβούμενος γράφειν ἃ καὶ λέγειν ἐφυλαξάμην, οὔ τί που φθονῶν, οὐ γὰρ θέμις, δεδιὼς δὲ ἄρα περὶ τῶν ἐντυγχανόντων, μή πῃ ἑτέρως σφαλεῖεν καὶ παιδὶ μάχαιραν ἥ φασιν οἱ παροιμιαζόμενοι ὀρέγοντες εὑρεθῶμεν, &c. ἔστι δὲ ἃ καὶ αἰνίξεταί μοι γραφὴ καὶ τοῖς μὲν παραστήσεται, τὰ δὲ μόνον ἐρεῖ.

Caſſand. in Liturg. c. 28. Caſaub. id Baron. exercit. 16.

Perro. in Opere de Eucharis. paſſim. Caſaub. Exercit. in Baron. 16. p. 560. 561.

Petau. in Epiph. p. 367.

qui ejus aliquando participes fuerant intelligendis. Finem quem ſibi proponebant nunc non excutio; videntur mentes Catechumenorum ad reverentiam & vehemens deſiderium Sacramentorum excitare voluiſſe. Verebantur, ſcilicet, ne rei ipſius conſpectus, ſermóque de materia & ratione Sacramentorum ſimplex & apertus hoc vel illud ſtudium imminuerent. Cum ergo, tum in hoc argumento, tum in aliis ipſis propoſitum fuerit mentem ſuam caligine quadam veluti involvere, non debet mirum videri, ſi quæ ſcripſerunt, ſæpe ſint obſcura, &(quod obſcuritatem conſequitur) ſi aliquando ſecum ipſi pugnare videantur. Quin potiùs magis mirum exiſtimandum eſſet, ſi viri ingenio doctrináque inſignes, quales plerique fuere, de his ipſis argumentis, quæ occultari & celari debere cenſebant perſpicuè tamen & diſertè ſententias ſuas inſcriptis ſuis expoſuiſſent. Sed eſt aliquid amplius; quandoque enim accidit, ut etiam ubi obſcuritati non ſtudent, obſcuri tamen ſint. Sunt quibus obſcuritatem conciliavit earum artium ignorantia quæ linguam fingunt, & bene loqui docent. Alii ita nati erant, ut eos neque ars, neque ſtudium emendare potuerit. Epiphanium, abſque injuria, in priori ordine collocari poſſe puto. Fuit quidem vir ille Sanctus, ſed Grammaticæ ac Rhetoricæ admodum rudis, ut ſatis apparet ex ejus operibus, in quibus non ſolùm orationis nitorem, ſed etiam ſeriem & ſyntaxin, periodorumque ſtructuram, orationis omnis Lucem unicam, plerumque deſideres; quæ quidem vitia variis multiſque in locis neceſſario obſcuritatem pariunt, quod & queruntur ejus interpretes. Studere quidem alii eleganter loqui, ſed votis ſucceſſus defuit, ſeu quod ſeriùs in id incubuerint, ſeu quod ingenio idoneo caruerint, *ut non omnis fert omnia tellus*, nec ullo labore ulláve induſtria fieri poteſt, ut quælibet materia cujuslibet formæ capax ſit. His accenſeri poteſt Victorinus ille, de quo ſatis lepidè Hieronymus. *Victorino Martyri* (inquit) *in libris*

Hieron. ep. 84. ad Mag. Tom. 2. p. 308.

libris ſuis, licèt deſit eruditio, tamen non deeſt eruditionis voluntas. Hujus quoque cenſus Ruffinus fuit cujus Latinitatem, elocutionis genus, acytologias, & alia vitia, tam ſeverè caſtigat magnus ille Antiquitatis Cenſor Hieronymus. Et is tamen Ruffinus plurima ſcriptitavit, quin & ſuos admiratores habuit. Fit enim neſcio quo fato, ut doctiſſimi quique pauca ſcribant, neque alios ferè quam indoctos inſanabile illud ſcribendi cacoethes teneat. Ejuſmodi vitia in ſuorum Græcorum nonnullis ſcriptoribus notat in Bibliotheca ſua Photius. Sed ſanè longè majus in Patribus ab eruditione quàm ab imperitia obſcuritatis periculum. Ex iis enim qui in literis & diſciplinis humanioribus verſati erant, quique ab ineunte ætate in eloquentia & ſapientia Græcorum erant inſtituti, ſemper eum colorem ſervavere, quo ſemel imbuti fuerant, adeo ut nonnunquam & eam oſtentare geſtiant, quo fit ut in Philoſophiam Chriſtianam verba & inſtituta aliena & res peregrinas invehant, quæ quidem varietas non exiguæ voluptati eſt eruditis, ſed orationem tamen neceſſariò obſcurat & involvit. Quid ſtromatibus (hæc eſt enim inſcriptio) & aliis Clementis preſbyteri Alexandrini operibus variegatum & ornatum magis; textus eſt enim totus ille Scriptor alluſionibus ad hiſtorias, ſententias Apophtegmata & adagia literarum tum ſacrarum tum profanarum. Hic vividis earum coloribus illuſtratus aſſurgit, alibi umbris obſcuratus quodammodo deliteſcit. Itaque non eſt quod ſperent qui literarum humaniorum cultu carent, ſe cum fructu & intelligentia in ejus ſcriptis verſari poſſe. Quid dicam de Tertulliano qui præter vehementis & acris ingenii naturalem, quæ in eo paſſim apparet, aſperitatem, & ſtiii Carthaginenſis, cum reliquis Africanis, ipſi communem indolem, orationis ſuæ ſplendorem tanta eruditione, tam multis vocibus, aut novis aut è Juriſprudentia translatis, tot ſubtiliter & acutè dictis obſcuravit, ut *lectores ad nutum attentiſſimè ſagaces* (ut non nemo dixit) ſibi poſcat, nulláq; nimia ſit ad eum probè intelli-

Id. Apol. 1. in Ruff. T. 2. p. 301. B. Apol. 2. T. 2. p. 320. C. D. & 322. B. C. & 325. A & Apol. ad Ruff T. 2. p. 325. B. C.

Nicol. Rigalt. præfat. in Tertullianum.

gendum vel doctrina vel attentio. Noſtratem Hilarium, rerum & elocutionis majeſtate ſublimem, cothurnúmq; illum Gallicum, quem in eo, & in aliis ciſalpinis ſcriptoribus, obſervat Hieronymus prudens mitto, ut & Aſiaticorum † dicendi genus copioſum, Athenienſiúmq;, & eorum qui ſe ad mores illorum finxerant, argutias. His obſervationibus vix ſufficeret volumen integrum. Hoc unum in genere dicam. Scribendi, Scripturaſq; explicandi ratio, quæ ab initio ſimplex aperta & ſuccincta apud Chriſtianos fuerat, brevi immutata eſt, & ſubtilitatis ornamentorúmq, humanorum ſordes contraxit, ut apud Epiphanium teſtatur Methodius. *Doctores, non jam quod optimum eſt, gravitatiſq; plenum ſtudent, ſed id duntaxat quod placet, & quod ſecundo favore fertur reſpiciunt, uti ſophiſtæ facere conſueverunt qui orationum ſuarum mercedem accipientes, doctrinæ & eruditionis ſuæ laudibus, tanquam vili quadam pretio, redimuntur. Ac priſcis quidem temporibus, ſumma erat in explicando brevitas: cum in id illi potiſſimum incumberent, non ut oblectarent ſed ut prodeſſent auditoribus.* Idipſum graviter & eloquenter ſuo more queritur Gregorius Nazianzenus. *Fuit quondam tempus cùm res noſtræ florerent, ac præclarè ſe haberent, cùm nimirum ſuperflua hæc & verborum lepore atque arte fucata tractandæ Theologiæ ratio ad Divinas cauſas ne aditum quidem habebat: verùm idem erat calculis ludere inverſionis celeritate aſpectum fallentibus, aut omnigenis & laſcivis corporis flexibus ſpectatores ludificari, quod novi quidpiam & curioſi de Deo vel dicere vel audire. Simplex contra ingenuaq; oratio atque doctrina pietas exiſtimabatur. At poſtquam Sexti & Pyrrhones, & contradicendi libidine incitata lingua, velut gravis quidam ac malignus mor-*

Hieron. ep. 3. ad Paulin. T. 1. p. 124. A.
Sanctus Hilarius Gallico cothurno attollitur.
† Id Epiſt. 1. 3. ad Marcell. T. 3. p. 122. C.
Method. apud Epiph. Hæreſ. 64. p. 563. A.
τῶν διδασκάλων οὔ τι πρὸς τὸ βέλτιστον ἁμιλλωμένων ἐπὶ τὸ σεμνὸν, καὶ πρὸς τὸ ἀρέσαι τῇ δι' ἡμερεύσει, καθάπερ οἱ Σοφισταὶ οἱ μισθὸν αἱρούμενοι τῶν λόγων ἐπωνιζόμενοι τῆς σοφίας ἐπαίνους. τὸ μὲν οὖν παλαιὸν βραχὺ παντελῶς τὸ περὶ τὴν ἐξήγησιν ἦν, φιλοτιμουμένων μὴ τέρπειν ἀλλὰ ὠφελεῖν τοὺς παρόντας τῶν τότε.
Gregor. Nazianz. Ench. Athan.
ἦν ὅτε ἤκμαζε τὰ ἡμέτερα καὶ καλῶς εἶχεν, ἡνίκα τὸ μὲν περιττὸν τοῦτο καὶ κατεγλωττισμένον τῆς Θεολογίας καὶ ἔντεχνον οὐδὲ πάροδον εἶχεν εἰς τὰς θείας αὐλὰς, ἀλλὰ ταυτὸν ἦν ψήφοις τε παίζειν τὴν ὄψιν κλεπτούσαις τῷ τάχει τῆς μεταθέσεως, ἢ κατορχεῖσθαι τῶν θεατῶν παντοίοις λογίσμασι. καὶ περὶ Θεοῦ λέγειν τι καὶ ἀκούειν καινότερον καὶ περιεργότερον. τὸ δὲ ἁπλοῦν τε καὶ εὐγενὲς τοῦ λόγου εὐσέβεια ἐνομίζετο. ἀφ' οὗ δὲ Σέξτοι καὶ Πύρρωνες καὶ ἡ ἀντίθετος γλῶσσα ὥσπερ τι νόσημα δεινὸν καὶ κακόηθες ταῖς ἐκκλησίαις ἡμῶν εἰσεφθάρη, καὶ ἡ φλυαρία παίδευσις ἔδοξε καὶ ὅ φασι, περὶ Ἀθηναίων ἡ βίβλος τῶν πράξεων, εἰς οὐδὲν ἄλλο εὐκαιροῦμεν ἢ λέγειν τι ἢ ἀκούειν καινότερον. ὦ τίς Ἱερεμίας ὀδύρεται τὴν ἡμετέραν σύγχυσιν καὶ σκοτόμαιναν ὁ μόνος εἰδὼς ἐξισοῦν θρήνους πάθεσι.

bus

bus in Eccleſias noſtras infæliciter obrepſit, quodq́; Actorum liber de Athenienſibus narrat, ad nihil aliud vacamus quàm ad novi aliquid dicendum vel audiendum, ô quis Hieremias confuſionem noſtram caliginemq́; deplorabit, qui ſolus Lamentationes calamitatibus exæquare novit? Enimuero non diſſimulat Hieronymus, in Epiſtola ad Pammachium ſcripta ſua lectorem eruditum poſcere, artiúmq; Dialecticæ & Rhetoricæ non imperitum. Idémq; Judicium faciendum eſt de ſcriptis Origenis, Methodii, Euſebii, Appollinaris, Tertulliani, Cypriani, Minutii, Victorini, Lactantii, Hilarii & aliorum, quos eodem dicendi genere uſos fuiſſe contendit. Quanquam vero ſapientem neminem inficiaturum putem, quin Metaphoræ & figuræ (ſive in dictione, ſive maximè in rebus ipſis ſint) & alia Rhetorica ornamenta, Dialecticæ argutiæ, omniáq; ejuſmodi liberalium diſciplinarum artificia plurimum umbrarum & obſcuritatis in Orationem invehant; Lubet tamen ad argumenti hujus majorem elucidationem probationes quaſdam & exempla hic ſubtexere. Hieronymus hoc ſatis docet, cùm Commentariorum quorundam ex eo arceſſit obſcuritatem quod nimiùm eſſent diſerti. Sixtus Senenſis annotat Patres multa ſæpe dicere per hyperbolen, affectuum impetu & orationis curſu raptos, quæ non ſunt eo rigore accipienda quo primùm ad aures auditorum perveniunt. Et proximè Petavius; *multa ſunt*, inquit, *à ſanctiſſimis Patribus, præſertimq́; à Chryſoſtomo in homiliis aſperſa, quæ ſi ad exactæ veritatis regulam accommodare volueris boni ſenſus inania videbuntur.* Utrique eos ſæpe ſic excuſamus, ut cauſſemur ſub tot foliis & floribus, quibus quaſi ſertis & corollis ſcripta ſua exornant, latere aliquando alium longè ſenſum quàm qui prima fronte apparet. Quis Chryſoſtomi, Hilarii, Ambroſii non obſervavit hyperbolas? Sed ut oculis ipſis ſubjiciam quantum tenebrarum ejuſmodi ornamenta vero Scriptorum ſenſui offundant, unum exemplum huc ex Hieronymo referam. Is cùm ad

Hieron. ep. 50. ad Pamm. T. 2. p. 135. c. & paſſ.

Ibid.

Id. ibid.

Hieron. ep. 139. ad Cypr. T. 3. p. 153. B.

Sixt. Sen. Bibliothec. l. 6. Annot. 152.

Petavius Not. in Epiph. p. 244.

Hieron. ep. 21. ad Euſtoch. T. 1. p. 185. D. 18. A.

Euſtochium nobilem virginem ſcriberet,narrat ſe,quod ſecularium literarum libros ſtudioſiùs legeret, protractum fuiſſe ad tribunal Domini, ibique acriter cæſum, acerbas ejus peccati pœnas dediſſe. *Nec vero*, inquit, *ſopor ille fuerat, aut vana ſomnia quibus ſæpe deludimur. Teſtis eſt tribunal illud ante quod iacui, teſtis judicium triſte quod humi. Ita mihi tribunal illud ante quod iacui, teſtis judicium triſte quod timui. Ita mihi nunquam contingat in talem incidere queſtionem; liventes fateor habuiſſe me ſcapulas, plagas ſenſiſſe poſt ſomnum, & tanto de hinc ſtudio divina legiſſe quanto non ante mortalia legeram.* Quis hæc legens non credat totam hanc narrationem eſſe veram? Quis non omnia ad literam, & prout verba ſonant interpretetur? Atqui, ex iis quæ idem alibi dicit, certum eſt hæc nihil fuiſſe aliud quam ſomnium, & confictum more Rhetoribus familiari narrationem, ad vehementius deterrendos lectores à nimio librorum Ethnicorum ſtudio. Cum enim Ruffinus ad eum lapidem impegiſſet, ſecuréque objeciſſet ipſum, ne juratum quidem, abſtinere à Gentilium literarum libris lectitandis; Hieronymus, poſt varia in ſui defenſionem adverſus criminationem iſtam allata, *Hæc*, inquit, *dicerem ſi quippiam vigilans promiſiſſem; nunc autem novum imprudentiæ genus objicit mihi ſomnium meum*; cúmq; ad Prophetas amandat dicentes, *Somniis non eſſe credendum, quia* (inquit) *nec adulterii ſomnium ducit me ad Tartarum, nec corona Martyrii in cœlum levat*, & uno verbo injuria à ſe *exigi ſponſionem ſomnii*. Quis ſcit annon Malchi vita, quam ille tanta arte, totque adhibitis ornamentis pingit, ejuſdémque modi cùm ejus tum aliorum ſcripta ſint pariter ingenii luſus & induſtriæ ſpecimina? Nec ſanè diſſimulat ipſe de vita Pauli Eremitæ hoc factum fuiſſe judicium à quibuſdam malevolis ſuis & vehementer probabile eſt epiſtolam 47. comptam in primis ac diſertam, ejuſdem eſſe ingenii, argumento ad faciendú eloquentiæ periculum, declamatorio more, ſuſcepto ac confictо. Nec abnuit Epiſcopus Amerinus in

Hieron. Apol. adverſ. Ruff. T. 2. p. 310.

Hieron. in vit. Hilarionis T. 1. p. 321. B.

in Epiſtolæ præfixa periocha. Satis jam vides, lector, quantis veterum libro tenebris Rhetoricæ humanæ ſchemata & artes involverint; dum enim frequentiùs & liberius pigmentis iſtis oratoriis indulgent, factum eſt, magno noſtro malo, ut res ipſæ, genuinique ipſorum ſenſus nos fugerent. Quis idoneè cavebat non fuiſſe adhibitas eaſdem artes in Euchariſtiæ negotio, ut Divinorum myſteriorum tum dignitatem, tum reverentiam auctum irent? Item de Præſulum dignitate, ut iis populorum obſervantiam obedientiámq; conciliarent? Ac denique de cæteris religionis capitibus quæ hodie in controverſiam vocantur? An eſt probabile ipſos pigmentis, coloribus, umbris & luminibus ſuis pepercisse in iis argumentis quibus iſta tanto poterant eſſe uſui? Huc etiam refero quod non rarò apud eos occurrit, ſcilicet, ut negent vel affirment quædam quaſi ſimpliciter & abſolutè, quæ tamen reipſa neque negant, neque affirmant niſi comparatè cum aliis rebus tantùm. Quis Hieronymum non putet Marcionitarum & Encratitarum œſtro percitum fuiſſe, dum in nuptias tàm impotenter invehitur in libris contra Jovinianum, & alibi ſæpe, uſque adeo ut in hæc etiam verba proruperit? *Si corruptio ad omnem coitum pertinet, incorruptio autem proprie caſtitatis eſt, præmia pudicitiæ nuptiæ poſſidere non poſſunt.* Et infra. *Exiſtimo quod qui uxorem habet, quandiu revertitur ad id ipſum, ne tentet eum Satanas, in carne ſeminet, & non in Spiritu. Qui autem in carne ſeminat (non ego ſed Apoſtolus loquitur) metit corruptionem.* Hæc verba, prout ſonant, ſumpta, nuptias, conjugiique omnem uſum damnant. Quaſi eo contaminarentur conjuges, ſpéque beatæ immortalitatis exciderent. Sed in Epiſtola ad Pammachium docet, † locos iſtos, alióſque ejuſdem generis comparatè non abſolutè accipiendos, ſeque hoc unum velle, tantam eſſe virginum fœlicitatem & puritatem, ut ad eos collati conjuges nullius eſſe loci aut dignitatis videantur. Quæ quidem clavis magni eſt uſus

Hieron. l. 1. adverſ. Iovin. T. 2. p. 61.

† *Id. ep. ad Pammach.* T. 2. P. *præcipuè* 137. C. D.

Concil. VII. Act.6.T.5. confut. Icono. T. 3. Conc. p.619.B.

Ibid. p. 619. B. ἡμεῖς διὰ τῶν γραφῶν τῶν ἁγίων ἀπολαύομεν παρουσίας οὐχὶ τῶν σωμάτων αὐτῶν ἀλλὰ τῶν ψυχῶν τὰς εἰκόνας ἔχοντες, τὰ γὰρ παρ' αὐτῶν εἰρημένα τῶν ψυχῶν αὐτῶν εἰκόνες ἐστίν.

Ibid.pag.620.E. οὐ γὰρ ἡμῖν τὸ πινάξι τὰ σαρκικὰ πρόσωπα τῶν ἁγίων διὰ χρωμάτων ἐπιμελὲς ἡμῖν ἐντυποῦν (ὅτι οὐ χρήζομεν τούτων) ἀλλὰ τὴν πολιτείαν αὐτῶν δι' ἀρετῆς ἐκμιμεῖσθαι.

Ibid. p. 622. D. μὴ γράφε τὸν Χριστὸν ἐν ἱματίοις, ἀλλὰ μᾶλλον τὴν τῶν ἀναλωμάτων τούτων δαπάνην πτωχοῖς συμπορίζε. ἀρκεῖ. γὰρ αὐτῷ ἡ μία τῆς ἐνσωματώσεως ταπείνωσις.

Concil. VII. ubi ſupra.

Hiſt. Angl. l. 1. c. 17.

uſus in reſerandis Patrum ſenſibus; eaque ſolertiſſimè uſi ſunt VII. Synodi Patres * in ſolvendis quibuſdam locis quos iconoclaſtæ objiciebant, hunc maximè ex Chryſoſtomo. *Per ſcripturas fruimur præſentia ſanctorum, habentes imagines, non corporum ipſorum, ſed animarum, quæ enim dixerunt ſunt eorum imagines animarum.* Hunc item ex Amphilochio. *Cura nobis non eſt coloribus depingere in tabulis facies carnales ſanctorum (nam iſtis non indigemus) ſed per virtutem imitari eorum vivendi rationem.* Tertium denique ex Aſterio. *Chriſtum ne pingas in ſtragulis, ſed potiùs ſuppedita pauperibus iſtorum ſumptuum expenſas, ſufficit enim ipſi quod ſemel ſe demiſit, cùm carnem noſtram aſſumpſit.* Quis iſta audiens non ſibi perſuadet ex Iconomachorum genere fuiſſe tres iſtos Patres? Profectò vix videtur quicquam dici potuiſſe in hanc ſententiam diſertius. Volunt tamen Nicænæ Synodi Patres † illos loqui tantùm comparatè, & hoc tantum ſignificatum velle, Imagines, ſcilicet, Jeſu Chriſti & Sanctorum intueri, longè minoris eſſe ad pietatem uſus quàm, vel ea quæ ſcripſerunt legere, vel vitam eorum imitari, vel beneficentia pauperes proſequi.

Gregorius P.R.I. ad Auguſtini quæſtionem de conſanguinitatis gradibus intra quos matrimonium contrahere licet. Hæc, Beda teſte, olim reſponderat. *Neceſſe eſt ut jam tertia vel quarta generatio fidelium licenter ſibi jungi debeat, nam ſecunda, quam diximus, à ſe omnino debet abſtinere.* Quis hæc legens non putet hanc fuiſſe ejus mentē, ut quæ perſonæ in tertio gradu & ultra conſanguineæ ſunt, eas fas ſit, apud Chriſtianos, connubio jungi? At cùm ſequentibus poſt Gregorium ſeculis, placuiſſet ad ſeptimum uſque conſanguinitatis gradum, conjugii prohibitionem extendere; illaq; Gregoriana indulgentia diſplicere cœpiſſet, repertus eſt qui eam *non generaliter omnibus fidelibus*, ſed, *ſpecialiter uni Anglorum genti* recens ad Chriſtum converſæ conceſſam eſſe interpretaretur, ſuamque hanc gloſam, quo faciliùs admitteretur, ipſi Gre-

Gregorio affingeret, ſcripta ejus nomine ad Felicem Meſſanæ Epiſcopum epiſtola, quâ ipſum priorem illam à ſe Auguſtino datam legem hoc interpretamento mollientem ac diluentem inducit. *Quod autem* (inquit) *ſcripſi Auguſtino Anglorum gentis Epiſcopo, alumno, videlicet, ut recordaris, tuo, de conſanguinitatis conjunctione, ipſi & Anglorum genti quæ nuper ad fidem venerat, ne à bono quod cœperat, metuendo auſteriora recederet ſpecialiter & non generaliter, cæteris me ſcripſiſſe cognoſcas.* Baronius epiſtolam in qua hæc continentur pro vera ac genuina habet. Nos Blondello noſtro aſſentimur, qui ſpuriam eſſe, & ex malè conſutis variorum auctorum, etiam Gregorio recentiorum, centonibus contextam claris & invictis argumentis demonſtravit. Vetus tamen eſt, neque heri aut nudius tertius confictа. Ergo & Baronius, & quiſquis eam veluti verò Gregorianam admittit, neceſſariò fateri debet ſupra allata Gregorii verba hoc, quem epiſtola exhibet, ſenſus ſcripta eſſe. Nos, qui epiſtolam fictitiam eſſe putamus, concedimus impoſtorem, qui eam olim procudit, exiſtimaſſe ita inflecti poſſe Gregorii legem; cæteróſque (id eſt, univerſos penè Papalis communionis homines qui epiſtolam veram cenſent) idem quoque ſentire. Scio iſtas & hujus Pſeudo-Gregorii & Nicænorum Patrum ſolutiones non carere ſuis difficultatibus, neque omnes ſcrupulos ſatis expedire. Sed tamen cùm & Nicæni Patres, & hic ſive verus, ſive, quod ego potius reor, fictitius Gregorius hanc methodum adhibuerint, patet ex eorum ſententia poſſe & debere veterum auctorum ſcripta nonnunquam longè aliter quàm ſonant accipi. Undè ſequitur intellectu eſſe difficillima. Jam apud te expendas velim, an non ex tot locis qui hodie in noſtris de fide diſputationibus ultro citróque afferuntur, multos eſſe probabile ſit, qui comparatè, id eſt planè aliter quàm litera fert, ſint accipiendi. Jam ut Patrum Rhetorica homiliis & ſermonibus ad populum habitis caliginem multam affudit, ſic eorum Dialectica

Ep. extat. l. 12. ep. 32. Gregor. Ad A.D. 604. § 7. 8. 9. 10. Cenſ. epiſt. Pap. p. 668. 675.

quæ de controverſiis & polemicè ſcripſerunt ſexcentis difficultatibus implicavit. Quippe dum diſputant tanta animi contentione in ſcopum quem ſibi proponunt feruntur, ut, de cæteris ſecuri, haud rarò imprudentes ea effutiant quæ cum cæteris Religionis Chriſtianæ capitibus pugnant. Fit etiam nonnunquam ut, dum totis viribus errorem quempiam oppugnant, in contrarium, eique oppoſitum, impingere videantur. *Vehemens cum adverſariis contentio,* (verba ſunt Theodoreti) *fecit ut modum excederent, quod & iis qui arbores colunt evenire ſolet, cùm enim incurvam plantam viderint, non ſolùm ad rectam normam exigunt, ſed in alteram quoque partem ultra directum inflectunt, ut per nimiam in contrarium inflexionem ad rectum ſtatum perducatur.* Sic Dionyſii Alexandrini ſibi objecta, tanquam Arianiſmo diſertiſſimè faventia verba, explicabat, ut ſupra vidimus, Athanaſius. *Non ſcripſit* (inquit) *ſimpliciter, quaſi fidem expoſiturus, ſed occaſione temporis & perſonæ; ut agricola qui alias atque alias arbores aliter pro ſubjecti ſoli ratione curat, minimè culpari debet, quod hanc amputet, illam inſerat, iſtam plantet, aliam rurſus evellat, ſed potiùs ob multiplicem ſolertiam in admiratione eſſe.* Deinde ſubdit † Dionyſium iſta ſcripſiſſe occaſione erroris Epiſcoporum quorundam Pentapoleos, qui in Sabellii ſententia erant, *per diſpenſationem*, ut loquitur, id eſt, non ſimpliciter, ſed quodammodo tantùm. *Quæ autem* (inquit) * *ſcribuntur aut fiunt per œconomiam, malignè non ſunt accipienda, nec ad cujuſque libitum trahenda.* Alibi ſic ſolvit Patrum Antiochenorum dictum quoddam, negantium Filii conſubſtantialitatem, oſtendit † enim ipſis propoſitum tantùm fuiſſe Pauli Samoſateni ſententiam confutare, qui Patris & Filii unam eandémque eſſe perſonam, non verò utriuſque diſtinctam ſubſiſtentiam, vo-

Theod. dial. 3. c. 30. Tom. 4. edit. Sermondi. p. 170. ἡ σφόδρα πρὸς τοὺς ἀντιπάλους διαμάχη τῆς ἀμετρίας αἰτία· τοῦτο δὲ τοῦτο καὶ τοῖς φυτοκόμοις φιλεῖ ποιεῖν, ὅταν γὰρ ἴδωσι κεκλιμένον φυτὸν, οὐ μόνον πρὸς τὸ ὀρθὸν ἀνίστωσι κλάδον, ἀλλὰ καὶ πέρα τοῦ δέοντος εἰς τὸ ἕτερον ἀντικλίνουσι μέρος, ἵνα τῇ ἐπὶ πλεῖον εἰς τοὐναντίον ἐπικλίσει τὴν εὐθεῖαν πραγματεύσονται σχεῖν.

Ath. ep. de ſid. Dion. Alex. T. 1. p. 551. C. Οὐχ ἁπλῶς εἰς πίστιν ἐκτιθέμενος. Mox D. καιρὸν καὶ προσώπου προφάσεις εἱλκυκέναι αὐτὸν τοιαῦτα γράψαι. Mox. καὶ γὰρ γεωργὸς τῶν αὐτῶν δένδρων ἄλλο τε ἄλλως ἐπιμελεῖται διὰ τὴν ὑποκειμένην τῆς γῆς ποιότητα, καὶ οὐ διὰ τοῦτο μέμψαιτο ἄν τις αὐτὸν ὅτι τοῦτο μὲν τέμνει, ἐκεῖνο δὲ ἐγκεντρίζει, &c. ἀλλὰ καὶ μᾶλλον μαθὼν τὴν αἰτίαν θαυμάσει τὸ ποικίλον αὐτοῦ τῆς ἐπιστήμης. † Ath. 16. p. 552. tot. D. τὰ ὑπερτεθέντα κατ' οἰκονομίαν ἐγράφησαν. * Ath. 16. p. 552. D. οὐ δεῖ δὲ τὰ κατ' οἰκονομίαν γραφόμενα καὶ γινόμενα ταῦτα κακοτρόπως διέχειν καὶ εἰς ἰδίαν ἕλκειν ἕκαστον βούλησιν. † Id. ep. de Syn. Arim. & Seleuc. T. I. p. 919. B.

lebat.

lebat. Eadem methodo Baſilius * exponit quod ſcripſerat Gregorius Neocæſarienſis, *Patrem & Filium cogitatione noſtra duos, at hypoſtaſi unum eſſe*; reſpondet enim, *ſic locutum non dogmaticè, ſed diſputando.* Undè apparet in ſcriptis ejuſmodi ſententiam adverſus quam Patres pugnant eſſe normam & menſuram eorum omnium quæ affirmant aut negant: hinc variantur ſenſus eorum, licèt nonnunquam iiſdem vocibus eos exprimant, quas adhibere ſolent hæretici. Cùm diſputant adverſus Valentinianos aut Manichæos, videntur cum Pelagianis facere. Eadem ratione ſicubi manus cum Pelagianis conſerunt, videntur cum Manichæis ſentire. Si adverſus Arium feruntur, videntur à Sabellio minus eſſe alieni. Viciſſim cùm Sabellium adoriuntur, ad Arium accedere videntur, ut animadvertit Epiſcopus Birontinus, de Auguſtino in primis. Id ipſum quotidie accidit iis qui ad populum verba faciunt; ſi in avaros invehuntur, parum abeſt quin prodigos commendent, ubi verò prodigos, ac nimium profuſos inſectantur, putes eos ſordibus & tenacitati velificari. Sic apud Proteſtantes, qui inanes & evanidas illas figuras, quas Romani Sacramentariis neſcio quibus commentitiis tribuunt, à ſe amoliuntur, ii ita interdum agunt, ut prima fronte videri poſſint Euchariſtiæ realitatem, quam vocant, ſtatuere. Cùm autem adverſus tranſubſtantiationem realémque incluſionem diſputant, ipſos à Sacramentariis iſtis ſtare jurares. Inter Opera Athanaſii extat Tractatus quidam, in quo neque nitorem, neque nervos, neque acumen jure deſideres. Cæterum ejus ſcriptor duarum in Chriſto naturarum diſtinctionem tanto niſu conſtituit, † ut ad Neſtorii placita deflectere videatur, ſi ea tantùm legás quæ initio diſputationis habentur. At poſtremum caput oſtendit * auctorem in recta fuiſſe ſententia. Si tempore, vel quapiam alia injuria ultimum hoc caput intercidiſſet, non poterat Scriptor ille, propter periculoſas locutiones quas, æſtu diſputationis, quam adver-

* *Baſil. ep.* 64. T. 2. p 849. B. πατέρα καὶ υἱὸν ἐπινοίᾳ μὲν εἶναι δύο, ὑποστάσει δὲ ἕν. *Ibid*, τοῦτο δὲ ἐν οὐ δογματικῶς εἴρηται, ἀλλ' ἀγωνιστικῶς ἐν τῇ πρὸς Αἰλιανὸν διαλέξει οὐκ ἐνόησαν συνιδεῖν, &c.

Cornel. Muſſ. Epiſ. Bitont. Comm. in ep. ad Rom. c. 5. p. 270.

† T 2. *Op. Ath.* p. 316. πρὸς τοὺς λέγοντας Ἰουδαῖός ἐστιν ὁ μὴ ὁμολογῶν θεὸν ἐσταυρῶσθαι.

* *Id.* p. 328. πρὸς τοὺς ἀναιροῦντας τὴν τῆς φύσεως διαφορὰν μετὰ τὸ πάθος καὶ τὴν ἀνάληψιν.

ſus Eutychianos ſuſceperat, abreptus, adhibet, Neſtorianus non haberi. Eadem de cauſa Julius Epiſcopus Romanus in oppoſitum errorem, Eutychianum, ſcilicet, impingere videbatur in Epiſtola illa quam ſcribit Gennadius † fuiſſe olim utilem adverſus eos qui duas perſonas in Chriſto ponebant, *nunc autem* (inquit ille) *pernicioſa probatur, fomentum enim eſt Eutychianæ & Timotheanæ impietatis.* Quod ipſum fecit ut alii ſcriptores, Gennadio recentiores, † Julii eam eſſe negaverint, eique ab hæreticis ſuppoſitam fuiſſe cenſuerint. Eadem Patrum iſtorum ratio fuit quæ eſt gubernatoris, inter duos oppoſitos ſcopulos, alterum extantem ac conſpicuum, alterum ſub aquis latentem, navigantis; Dum ab eo quem videt totus cavet, facilè in eum quem non animadvertit impingit; ut navem, ſi non frangi, certè quati ac lædi neceſſe ſit. Sic Doctores iſti, quos Pauli Samoſateni, aut Neſtorii ſcopuli non latebant, ſed quibus Arii vel Eutychetis Syrtes, nullo tum naufragio infames, ignotæ erant, dum totis viribus in illis, à quibus ſibi metuebant, fugiendis laborant, facere non potuerunt quin, ſi in has non inciderint, ad eas tamen proximè acceſſerint, de quibus, ſcilicet, nihil dum ſuſpicabantur. Attende nunc quanta nobis cautione opus ſit apud iſtos tam multis ſpinis obſitos ſcriptores verſantibus, quamque acri judicio diſtinguenda apud eos ſint & cauſa à probationibus, & rei caput ac ſumma à parergis, & hyperbolæ & meioſes orationis, ab ipſa auctorum ſententia. Atque hinc porro expende non verum atque æquum ſit uno aut altero verbo, quæ imprudentibus contra Valentinianos & Marcionitas, vel Neſtorianos & Eutychianos diſputantibus exciderint, ea decidi ac judicari quæ nunc inter nos vel de libero arbitrio, vel de proprietatibus carnis Chriſti, vel de ipſius Euchariſtia diſputantur.

† *Gennad. in Catal. inter opera Hieron. T1. 386.*

Facund. Herm. def. 3. cap. l. 1. p. 40. quo loco vide Sirmond.

Sed antequam miſſum hoc argumentum facio, notandum quoque eſt inſtitutorum ſive conſuetudinum

num, tam in rebus ſecularibus, quàm in Eccleſiaſticis in primis mutationem, ſignificationis item vocabulorum variationem, non parum conferre ad difficultates quas in legendis & intelligendis Patribus offendimus. Nemo eſt in utriſque partibus qui mundi, imò & Eccleſiæ ipſius, faciem penè totam immutatam fuiſſe vel neſciat vel neget. Doctrinam nunc non moror; de cortice & toga Eccleſiæ tantùm mihi ſermo eſt. Quid factum eſt vetere diſciplina? quid ſeveritate, & canonibus antiquis? quid Baptiſmi & Euchariſtię adeo myſticis cærimoniis? quid ritibus in Clericorum ordinatione obſervatis? Omnia iſta defoſſa ſunt. Alia ætas, ſcilicet, alios mores poſtulavit. Cùm ergo Veterum libri ad iſta quę nos latent alluſionibus ſcateant, neceſſariò conſequitur ut laborioſum ſit admodum ſenſum eorum in ejuſmodi locis percipere. Sed longè major confuſio à vocibus ipſis, quas, ſed mutata ſignificatione, retinuimus. Papam, Patriarcham, Miſſam, Oblationem, Stationem, Proceſſionem, Peccata mortalia, Pœnitentiam, Confeſſionem, Satisfactionem, Meritum, Indulgentiam, cum Veteribus dicimus, & ſexcentas hujuſmodi voces uſurpamus, ſed ſenſu, ab eo quem tum habebant non minùs alieno, quàm illorum ætas diſtat à noſtra. Sicut olim ſub Imperatoribus Romanis Magiſtratuum, rerúmque veteris Reipublicæ, diu fuere in uſu nomina. Sed ſenſu longè alio ab eo quem ſub illa obtinebant. Cùm in veterum locum quempiam incidimus in quo Romanus Epiſcopus Papa vocatur, confeſtim tota illa ambitioſa Pompa quæ Papas hodie vel cingit, vel affectatur, etiam credo, ne quid deſit, Prætoriana Helvetiorum cohors, etiam equitum præcurrentium turma nobis in mentem venit; cùm vel mediocriter in librorum iſtorum lectione verſatis Papæ nomen, quibuſvis Epiſcopis tributum olim fuiſſe, notum ſit. Ita ſi occurrit exomologeſis vel confeſſio, illico nobis hominem in genua provolutum, confeſſario

peccata in aurem immurmurantem, videre videmur. Sic & auditum Miſſæ vocabulum nobis aures & animum illico ferit, quaſi Univerſa Liturgia, cærimoniæque Euchariſticæ omnes eædem tum fuiſſent quæ hodie; cùm apud utrarumque partium eruditos conſtet, voces iſtas ex illo tempore & antiquam amiſiſſe & novam nactas eſſe ſignificationem. Sed hæc quidem hactenus ſatis, & forſan plus ſatis, de obſcuritate veterum Scriptorum Eccleſiaſticorum. Ex quibus concludimus, longè majoris molis eſſe quàm vulgus putat, ex Patrum ſcriptis pernoſcere quid ſenſerit illorum temporum Eccleſia de iis religionis capitibus quæ hodie controvertuntur.

Cap. VI.

Ratio VI. *Patres ſæpè quæ ipſi credunt tacere, & quæ non credunt dicere; ſeu aliorum, nomine tacito, ſententias referant, ut in Commentariis; ſeu contra adverſarios diſputent, ubi nihil non adhibent quod ad argumentum ſuum faciat, ſeu ad captum auditorum ſe accommodent, ut in Homiliis.*

PAtrum ſcripta pleraque ſunt trium generum. Vel enim ſunt Commentarii in S. Scripturam, vel homiliæ è ſuggeſtu ad populum habitæ, vel diſputationes adverſus hæreticos. Vidimus quantum tenebrarum in ſcripta primi & ſecundi ordinis inferant ornamenta Rhetorica, quantumque obſcuritatis Dialecticæ tricæ & acumina in ſcripta poſtremi generis affundant. Videamus jam an, cùm Patrum ſermones ex iſta caligine eduxerimus, eorumque ſenſum accuratè perceperimus, certò tandem conſtituere liceat, quæ fuerit eorum ſententia. Enimvero id mihi vehementer optandum videtur. Sed ſi vera ſunt quæ ipſi de natura & ratione ſua-

rum

rum & lucubrationum narrant: vereor ne etiamſi hoc, quod dixi, aſſecuti fuerimus, multa tamen adhuc nobis ſuperſit de vera eorum ſententia dubitatio. Nam quod pertinet ad Commentarios, qui de locis Scripturæ controverſis nobis ſæpe conſulendi ſunt, en quid de iis ſcribat Hieronymus, Latinorum omnium doctiſſimus, quiq; paucis Græcorum hac in parte concedit. *Commentarii* (inquit) *quid operis habent? Alterius dicta edisserunt: quæ obſcurè dicta ſunt plano ſermone manifeſtant, multorum ſententias replicant, & dicunt; hunc locum quidam ſic ediſſerunt; alii ſic interpretantur; illi ſenſum ſuum & intelligentiam his teſtimoniis, & hac nituntur ratione firmare, ut prudens Lector cum diverſas explanationes legerit & multorum vel probanda vel improbanda didicerit, judicet quid verius ſit, & quaſi bonus trapezita, adulterinæ monetæ pecuniam reprobet. Num diverſæ interpretationis & contrariorum inter ſe ſenſuum tenebitur reus qui in uno opere, quod ediſſerit, expoſitiones poſuerit plurimorum?* Et quæ eodem loco ſequuntur. In eundem ſenſum loquitur variis operum ſuorum locis. * *Hic eſt Commentariorum mos* (inquit) † *& explanationum regula, ut opiniones ediſſerant. Et hoc non ſolum Sanctarum interpretes Scripturarum, ſed ſecularium quoque litterarum explanatores faciunt, tam Latinæ linguæ quàm Græcæ.* Fateor valde miram eſſe hanc commentandi rationem. Quid enim certi, quid comperti haurire lector poteſt ex hujuſmodi variarum opinionum in acervum ita congeſtarum farragine, nullo indicio demonſtretur aut innuatur, quæ ſit earum vel ſequenda, vel fugienda, quæ probabilis, quæ neceſſaria, quæ ad rem denique, & quæ non? Sed quandoquidem ſic Hieronymo libuit, quæcunque cauſa ad id eum induxerit, facile eſt videre ipſum pro ſuis non agnoſcere quæcunque in Commentariis ſuis ponit. Et cum generaliter loquatur de forma & conditionibus Commentariorum, dubium non eſt quin cæteri Patres in eadem de commentariorum legibus, ſententia fuerit, ſuoſque qui inter eorum opera nobis ſuperſunt, ad hanc normam

Hieron. T. 2. p. 300. D. ad Pam. & Marc. Apol. adverſ. Ruffin.

* *Id. Ib. p. 304. A. & 307. A. & 308. A.*

† *Id Apolog. adver. Ruf. T. 2. p. 355. D.*

com-

compoſuerint. Unde videre eſt quòd quamvis in ejus generis ſcriptis ſententia vel explicatio nobis occurrat liquidò tradita, non ideo ſequitur tamen auctorem reipſa in ea fuiſse ſententia. Forſan non ſuam ex alio interprete refert. Quod ſi nonniſi ex liquidis limpidiſque fontibus haurire ſtuduiſsent Patres, nulláſque niſi probatæ pietatis, fidei, & doctrinæ Scriptorum, vel opiniones, vel oppoſitiones, in ſuis commentariis referrent, minùs periculi eſset à multiplici confuſaque farragine quam congerunt. Nam etſi reſtaret dubium an genuina eſset ſententia Patris cujus nomen præfert, attamen, ſi ejus non eſset, conſtaret ſani alicujus auctoris eſse, æqualiſque, vel parum diſimilis auctoritatis. Sed quod rei caput eſt, nullo diſcrimine, jejunis, imò quandoque periculoſis & ex auctoribus ſuſpectis, infamiaque apud Eccleſiam laborantibus deſumptis expoſitionibus commentarios ſuos referciunt. Sæpe monet Hieronymus (& quiſquis eum cum cura evolvet id facilè animadvertet) commentarios ſuos qui maximam & ſedatiſſimam operum ejus partem conſtituunt, totos contextos eſse, ex Originis, Didymi, Apollinaris & aliorum expoſitionibus, qui jam tum malè audiebant, quod in protrudendis propriis ſententiis eſsent audaciores quodque, ut eſt apud Hieronymū *ingeniū ſuum facerent Eccleſiæ Sacramenta.* Hoc ſanè mirandum eſt. Nemo illo acrius in iſto Auctores invehitur, qui ſanctæ illius ſocietatis inter ipſum, Theophilum & Epiphanium adverſus Origenem, ejuſque diſcipulos, initæ facilè princeps eſset. Nèmo unquam tam acerbè Ruffinum excepit, propter propinata Latinis Origenis toxica in libris quos ex eo interpretatus fuerat. Et tamen in ejus Commentariis parum abeſt quin Origenis explicationes utramque paginam faciant, quas non temperatas lectoribus imprudentibus & nulla antidoto præmunitis offert. Sic in Commentariis in Prophetas perpetuo congerit varias, etiam Judæorum, expoſitiones, ita ut tibi, dum Hieronymum, docent

Hieron. Præfat. in Comm. in Ep. ad Gal. T. 6. p. 270. A. B. Apolog. 2. p. 341. A. adv. Ruff. Tom. 2. Ep. 89. ad Auguſt. alibi ſæpe.

Hieron. Commen 5. in Eſa. præfat. T. 4. p. 96. F. de Origene. Ingenium ſuum facit in Eccleſiæ ſacramenta.

Vide G. E. Comm. in Nah. T. 5. p. 391. A. B.

docentem audire te putas, ſæpe cum Judæo, aut cum hæreticores ſit. Si Patribus, cujus eſſent expoſitiones quas afferunt nos monere viſum fuiſſet, & ſigillatim auctorum quos ſequuntur nomina recenſere, ea, quam amplexi ſunt, Scripturas interpretandi ratio, longè plus utilitatis, minúſque confuſionis attuliſſet: Hæc enim nominis indicatio, quanti faciendæ eſſent ſententiæ & expoſitiones illæ præmonſtraſſet: ſed id ratò obſervant, ut animadvertere eſt in expoſitionibus Hilarij, Ambroſij † & aliorum, qui Origenem & alios quos compilant Scriptores ne ſemel quidem nominare dignantur. Apud Ambroſium certè non ſolùm periodos, ſed & paginas integras ex Baſilio reperias, at, ni me fallit memoria, nullibi ejus nomen occurrit. Alienas ſententias quaſi ſuas proponunt; non ideo tamen ſe teneti putant ut eas nobis tanquam idoneas & convenientes præſtent.

† *Vide Hier. Apol adv. Ruff. ad Pammach. & Marcell. T. 2 p. 293. A & ep. 141. ad Marcell. T. 3. p. 180.*

Hieronymus Commentario in Epiſtolam ad Galatas vult Petrum à Paulo œconomicè reprehenſum non quod reuera eum reprehenſibilem exiſtimaret, ſed ut ea reprehenſionis larua & hypocriſi (cùm interea præclarè ipſis inter ſe conveniret) Gentiles ædificarentur & ſervarentur, *ut* (inquit) *hypocriſis obſervandæ legis, quæ nocebat iis qui ex Gentibus crediderant, corruptionis hypocriſi emendaretur, & uterque populus ſalvus fieret, dum & qui circumciſionem laudant Petrum ſequuntur, & qui circumcidi nolunt Pauli prædicant libertatem.*

In Comm. 1. in ep. ad Gal. in c. 2. T. 6. p. 287

Auguſtinus cùm hanc ſententiam non probaret, ſcripſit ea de re ad Hieronymum leniter & graviter, ſuo more, modeſtè in medium afferens rationes propter quas ab eo diſſentiret. Extant adhuc utriuſque Epiſtolæ.

Aug. ep ad Hier. quæ eſt inter ep. Hier. 86. T. 2. p. 514.

Ad hæc Hieronymus multa & quidem mirifica reſpondet. Inprimis verò negat ſe præſtare debere ea omnia quæ in libro ſcripſit: quoque doceat id ſe jure facere, quædam verba ex ſua in illum præfatione refert, quæ memoratu & conſideratione digniſſima ſunt. Nam poſt indicata Origenis, Didymi, Apolinaris, Theodori Heracleotæ, Euſebij Emi-

Hier. ep. ad Aug. quæ eſt 89. T. 2. p. 514.

ſeni, Adrexandi hæretici, & aliorum ſcripta, ſubdit. *Itaque, ut ſimpliciter fateare, legi hæc omnia, & in mente mea plurima coacervans accito notario, vel mea, vel aliena dictaui, nec ordinis, nec verborum interdum, nec ſenſuum memor.* Nonne inſignis eſt, & magnificanda dignaq; quam imitemur, hæc S. Scripturæs explicandi ratio? Tum conuerſa ad Auguſtinum oratione, *ſi quid igitur* (inquit) *reprehenſione dignum putaueras in explanatione noſtra eruditionis tuæ fuerat quærere utrum ea quæ ſcripſimus habeantur in Græcis: ni ſi illi non dixiſſent, tunc meam propriè ſententiam condemnares.* Alibi in eundem ſenſum reſpondet Ruffino criminanti quædam à Commentario in Prophetiam Danielis, ab ipſo perperam (ſuo judicio) ſcripta. Hac ratione ut pernoſcamus quæ Hieronymus ex ſententia ſua in Commentariis ſcripſerit, evolvendi nobis erunt omnes iſti Scriptores Græci veteres, adeoque faciendum erit quod fieri non poteſt cùm pleraque iſta Scripta perierint, nec quicquam Commentatori tribuendum erit quantumlibet ab eo diſertè aſſertum & confirmatum, niſi priùs certò conſtituerimus nihil de eo apud Veterum ullum extare, á quibus iſte expoſitiones ſuas mutuatus eſt, nam ſi apud ullum eorum explicationum eius veſtigia occurrant, pro certo habeto nihil eas ad Hieronymum pertinere, qui nihil aliud fuit quàm iſtorum notarius, vel librarius, vel certè interpres. Agnoſces quidem ex eiuſmodi centonibus quàm ſcitè Patres ex tot variis Scriptoribus hinc inde decerpta contexuerint, ſed ad ipſi in eadem fuerint ſententia necne, haud faciliús inde cognoſces quàm de fide & opinione librarij ex libro quem deſcribit, vel de ſententia interpretis ex ſcripto quod ex una lingua in aliam transfert, unde ſequitur teſtimonia ex eiuſmodi ſcriptis deſumpta, ſiue pro nobis, ſiue contra nos, nullius pene eſſe momenti. Nec id Cardinalem Bellarminum latuit qui ad locum ex quodam Hieronymi libro ſibi obiectum reſpondet. *Hieronymus eo loco ex aliorum ſententia locutus*

eſt,

Hieron. Ibid. p. 525. A.

Ibid. B.

Lib. Apol. 2. adu. Ruff. T. 2. p. 341. A.

B. l. T. 4. l. de grat. primi hom. c. 11. §. Quarta obiectio.

eſt,ut ſæpe facit in commentarius Epiſtolæ ad Epheſios , & in alius locis. Eadem ratione Perronius ad obiectionem quã pro Scripturarum Veteris Teſtamenti canone ex Hilario aduerſus Eccleſiam Romanam Proteſtantes petunt, reſpondet confidenter, obſeruationes eo loco ab Hilario factas eius non eſſe ſed Origenis, Commentario in primum Pſalmum, cuius partem Hilarius in ſuum in Pſalmos prologum tranſtulit; tametſi nihil ille de Origene toto hoc loco dicat, neque uſpiam ſignificet exſuapte,an Origenis fide ea tradiderit quæ illic de Scripturis habet. Hæc verò Perronij reſponſio eo ſolo nititur,quod Hieronymus variis in locis teſtatur Hilarium ſuorum commentariorum maximam partem ex Origene tranſtuliſſe. Quandoquidem ergo, teſte Hieronymo, hæc eſt omnium in genere commentariorum apud Veteres ratio; quomodo nobis conſtare poterit an illi, quæ in iis habentur ex ſua ſententia tradiderint, an ex quopiam alio tranſcripſerint? Quandiu verò de hoc ambigitur, quæ vis, quiſve uſus eſſe poteſt teſtimonium quæ ex iis ſeu in hanc, ſeu in illam partem in controuerſiis noſtris deſumuntur? Atque ita manifeſtum eſt hanc methodum, quam Patres in ſuis Scripturæ expoſitionibus ſecuti ſunt, dubia reddere ea ipſa quæ omnium diſertiſſimè docent. Perron. Replic. l. 2. c. 50. p. 377

Sed illi fortaſſe in ſuis ſaltem ad populum concionibus & homiliis diligentiores fuere, & vel in huiuſmodi ſaltem ſcriptis ea tantùm adhibuere quæ ipſimet ſentirent & crederent. An ergo hic certi eſſe poterimus ipſos ex animo loqui, linguàmque, non alienam,ſed ſuam ſententiam exponere? Putauerit quidem aliquis in loco tam ſacro,unde greges ſibi commiſſos docebant, nihil unquam ab ipſis proponi debuiſſe quod non cenſerent veriſſimum. Sed prӕterquam quod ſupra oſtendimus ipſos, non ſemper omnem veritatem palam feciſſe, ſed eius partem quandam propter Ethnicos, vel imperitos ſilentio texiſſe; Cardinalis Perronius, magnus ille

Perron. de Euchar. l. 1. c. 10. p. 52. l. 2. Auſt. 24. cap. 15. & paßim l. is infra citandis.

& curioſus Antiquitatis indagator, eos his ipſis de cauſis paulò etiam ulteriùs progreſſos docet. Cùm enim ad populum, in quo erant & Catechumeni, Scripturam exponebant, ſi fortè in locum qui de Sacramentis ageret incidêrent, tum ne ea myſteria aperire paulum declinabant, & pro genuina & reali expoſitione quam in pectore clauſam cohibebant, allegoricam & ſymbolicam ac, ut loquitur Cardinalis, *acceſſoriam & collateralem* afferebant, qua rudiorum animum arte aliqua explerent. Nam ſi, cùm de hoc argumento ſe offerebat agendi occaſio, prorſus tacuiſſent, mirum id auditoribus viſum fuiſſent, ſuſpicioniq; , imo & offenſioni locum dediſſet. Vt ergo & exterorum expectationi ſatisfacerent, & myſterium tamen in occulto continerent, eos hac ratione eludebant, id ſcilicet proponentes, non quod ipſi optimum & veriſſimum exiſtimabant, ſed quod ſuo propoſito maximè conuenire judicabant. Sic pueros nucibus aut ludicro aliquo oblectamento fallimus ac lactamus, ut eos à rerum maioris momenti cupiditate auocemus. Qui ergo, quæ iis locis apud Patres habentur, pro natiuis ſolidiſque expoſitionibus, genuiniſque ipſorum ſententiis accipiunt, illi verò multum errant, & umbram pro corpore amplectuntur. His artibus luſiſſe Sanctos iſtos viros vix credibile eſſet, niſi fidem faceret tantus Cardinalis, quo etiam auctore hęc impræſentiarum proferimus, & ex eodem ſequentia hæc exempla damus. Auguſtinus cum in ſextum caput Ioannis incidiſſet, in quo (ut ille quidem putat) de Euchariſtia agitur, tot allegorias, tot ænigmata & ambages ei myſterio obtendit, ut, ſi fides Cardinali habenda ſit, ne una quidem Auguſtini extet toto tractatu XXVI. periodus quę non effugium aliquod eluſionemve, ac veræ, perfectæque de hoc capite definitionis diſſimulationem & imminutionem aliquam contineat. Sic ille *panem qui de cœlo deſcendit*, interpręratur, donum Spiritus Sancti. *Daturus*, inquit, *Dominus Spiritū Sanctum, dixit*

ſe

ſe eſſe panem qui de cœlo deſcendit. Tu, præeunte & tam diſertè docente ſanctiſſimo Doctore, putabis hunc eſſe genuinum loci ſenſum. Sed caue ne ſic putes, nam ex Caluino oſtendit Cardinalis id fieri non poſſe. Eodem quoque modo recipit quod idem Auguſtinus ſubdit, aliquando poſt *Hunc* (inquit) *cibum & potum ſocietatem vult intelligi corporis & membrorum ſuorum, quod eſt ſancta Eccleſia in prædeſtinatis & vocatis & juſtificatis & glorificatis ſanctis & fidelibus ejus.* Quis (niſi Perronius præmonuiſſet exiſtimaturus fuit Scriptorem iſtum (adeo religioſum ut in grauem cum Hieronymo contentionem venerit, quod iſte ſimulationem Paulo auſus eſſet tribuere) hic docuiſſe hanc eſſe mentem Domini, niſi eam reuera eſſe ſenſiſſet? Cardinalis tamen pleraque ſibi à Proteſtantibus ex eodem Auctore objecta hanc ipſa ratione ſolvit; ut verbi gratia hunc locum. *Credere* in Chriſtum *eſt manducare panem vivum:* & hunc item; *Qui credit in eum manducat, inviſibiliter ſaginatur, quia & inviſibiliter renaſcitur.* Et hunc denique: *Si quis manducat ex ipſo pane non morietur, ſed quod pertinet ad virtutem Sacramenti, non quod pertinet ad viſibile Sacramentum: qui manducat intus non foris, qui manducat in corde, non qui premit dente.* Cōtendit Cardinalis a Auguſtinum his omnibus locis veram plenam & integram definitionem iſtius carnis & ſanguinis Chriſti manducationis ſupprimere, eiuſque loco meditationem hanc allegoricam & acceſſoriam Catechumenis obtrudere, ut eorum oculos perſtringeret, curioſitatémque eluderet. Eadem animaduerſione ſoluit locos allatos ex Theodoreto, & Gregorio Nazianzeno,† quem dicit * Euchariſtiam corporis & ſanguinis Chriſti antitypum vocare, eadem ratione qua Abraham cùm inter infideles verſaretur, Saram *ſororem ſuam* dicebat, veri quidem aliquid diſſimulans, nihil tamen falſi enuntians. Pari modo hæc è Clementis Pædago explicat. *Caro & ſanguis Chriſti fides eſt* | *& promiſſio.* Denique ut paucis abſolvam hac obſervatione ita delectatus

Perron. Tract. de S. Aug. ſt. c. 11. & l. 2. de Euch. Auct. 22. c. 1.

† *Id. De Euch. l. 2. Auct. 14. ch. 15.*

* *Id. l. 2. Auct. 18. c. 5.*

Ibid. p. 344.

Id. de Euch. l. 2. Auct. 5.

quæ de controverſiis & polemicè ſcripſerunt ſexcentis difficultatibus implicavit. Quippe dum diſputant tanta animi contentione in ſcopum quem ſibi proponunt feruntur, ut, de cæteris ſecuri, haud raro imprudentes ea effutiant quæ cum cæteris Religionis Chriſtianæ capitibus pugnant. Fit etiam nonnunquam ut, dum totis viribus errorem quempiam oppugnant, in contrarium, eique oppoſitum, impingere videantur. *Vehemens cum adverſariis contentio*, (verba ſunt Theodoreti) *fecit ut modum excederent, quod & iis qui arbores colunt evenire ſolet, cùm enim incurvam plantam viderint, non ſolùm ad rectam normam exigunt, ſed in alteram quoque partem ultra directum inflectunt, ut per nimiam in contrarium inflexionem ad rectum ſtatum perducatur.* Sic Dionyſii Alexandrini ſibi objecta, tanquam Arianiſmo diſertiſſimè faventia verba, explicabat, ut ſupra vidimus, Athanaſius. *Non ſcripſit* (inquit) *ſimpliciter, quaſi fidem expoſiturus, ſed occaſione temporis & perſonæ; ut agricola qui alias atque alias arbores aliter pro ſubjecti ſoli ratione curat, minimè culpari debet, quod hanc amputet, illam inſerat, iſtam plantet, aliam rurſus evellat, ſed potiùs ob multiplicem ſolertiam in admiratione eſſe.* Deinde ſubdit † Dionyſium iſta ſcripſiſſe occaſione erroris Epiſcoporum quorundam Pentapoleos, qui in Sabellii ſententia erant, *per diſpenſationem*, ut loquitur, id eſt, non ſimpliciter, ſed quodammodo tantùm. *Quæ autem* (inquit) * *ſcribuntur aut fiunt per œconomiam, malignè non ſunt accipienda, nec ad cujuſque libitum trahenda.* Alibi ſic ſolvit Patrum Antiochenorum dictum quoddam, negantium Filii conſubſtantialitatem, oſtendit † enim ipſis propoſitum tantùm fuiſſe Pauli Samoſateni ſententiam confutare, qui Patris & Filii unam eandémque eſſe perſonam, non verò utriuſque diſtinctam ſubſiſtentiam, vo-

Theod. dial. 3. c. 30. Tom. 4. edit. Sermondi. p. 170. ἡ σφόδρα πρὸς τοὺς ἀντιπάλους διαμάχη τῆς ἀμετρίας αἰτία. τοῦτο δὲ τοῦτο καὶ τοῖς φυτουργοῖς φίλον ποιεῖν, ὅταν γὰρ ἴδωσι κεκλιμένον φυτὸν οὐ μόνον πρὸς τὸν ὀρθὸν ἀνίστασι κανόνα, ἀλλὰ καὶ πέρα τοῦ δέοντος εἰς τὸ ἕτερον ἀντικλίνουσι μέρος, ἵνα τῇ ἐπὶ πλεῖον εἰς τοὐναντίον ἐπικλίσει τὴν ἐναντίαν πραγματεύωνται στάσιν.

Ath. ep. de ſid. Dion. Alex. T. 1. p. 551. C. Οὐχ ἁπλῶς εἰς πίστιν ἐκτιθέμενος. Mox D. καιρὸν καὶ πρόσωπον ἀφορμὰς εἰληφὼς αὐτὸς οὕτω γράψαι. Mox. καὶ γὰρ γεωργὸς τὰ αὐτὰ δένδρα ἀλλὰ ποικίλως ἐπιμελεῖται διὰ τὴν ὑποκειμένην τῆς γῆς ποιότητα, καὶ ὁ διὰ τοῦτο μέμψαιτο τις αὐτὸν ὅτι τοῦτο μὲν τέμνει. ἐκεῖνο δὲ ἐγκεντρίζει, &c. ἀλλὰ καὶ μᾶλλον μαθὼν τὴν αἰτίαν θαυμάσει τὸ ποικίλον αὐτοῦ τῆς ἐπιστήμης. † Ath. 16. p. 552. tot. D. τὰ ὑποπτευθέντα κατ' οἰκονομίαν γεγράφθαι. * Ath. 16. p. 552. D. οὐ δεῖ δὲ τὰ κατ' οἰκονομίαν γραφόμενα καὶ γινόμενα ταῦτα κακοτρόπως δέχεσθαι καὶ εἰς ἰδίαν ἕλκειν ἕκαστον βούλησιν. † Id. ep. de Syn. Arim. & Seleuc. T. 1. p. 919. B.

lebat.

lebat. Eadem methodo Baſilius * exponit quod ſcripſerat Gregorius Neocæſarienſis, *Patrem & Filium cogitatione noſtra duos, at hypoſtaſi unum eſſe*; reſpondet enim, *ſic locutum non dogmaticè, ſed diſputando.* Undè apparet in ſcriptis ejuſmodi ſententiam adverſus quam Patres pugnant eſſe normam & menſuram eorum omnium quæ affirmant aut negant: hinc variantur ſenſus eorum, licèt nonnunquam iiſdem vocibus eos exprimant, quas adhibere ſolent hæretici. Cùm diſputant adverſus Valentinianos aut Manichæos, videntur cum Pelagianis facere. Eadem ratione ſicubi manus cum Pelagianis conſerunt, videntur cum Manichæis ſentire. Si adverſus Arium feruntur, videntur à Sabellio minus eſſe alieni. Viciſſim cùm Sabellium adoriuntur, ad Arium accedere videntur, ut animadvertit Epiſcopus Bitontinus, de Auguſtino in primis. Id ipſum quotidie accidit iis qui ad populum verba faciunt; ſi in avaros invehuntur, parum abeſt quin prodigos commendent, ubi verò prodigos, ac nimium profuſos inſectantur, putes eos ſordibus & tenacitati velificari. Sic apud Proteſtantes, qui inanes & evanidas illas figuras, quas Romani Sacramentariis neſcio quibus commentitiis tribuunt, à ſe amoliuntur, ii ita interdum agunt, ut prima fronte videri poſſint Euchariſtiæ realitatem, quam vocant, ſtatuere. Cùm autem adverſus tranſubſtantiationem realémque incluſionem diſputant, ipſos à Sacramentariis iſtis ſtare jurares. Inter Opera Athanaſii extat Tractatus quidam, in quo neque nitorem, neque nervos, neque acumen jure deſideres. Cæterum ejus ſcriptor duarum in Chriſto naturarum diſtinctionem tanto niſu conſtituit, † ut ad Neſtorii placita deflectere videatur, ſi ea tantùm legas quæ initio diſputationis habentur. At poſtremum caput oſtendit * auctorem in recta fuiſſe ſententia. Si tempore, vel quapiam alia injuria ultimum hoc caput intercidiſſet, non poterat Scriptor ille, propter pericu-loſas locutiones quas, æſtu diſputationis, quam adver-

* *Baſil. ep.* 64. *T.* 2. *p* 849. B. πατέρα καὶ υἱὸν ἐπινοίᾳ μὲν εἶναι δύο, ὑποστάσει δὲ ἕν. *Ibid.* τοῦτο δὲ εἰπεῖν οὐ δογματικῶς εἴρηται, ἀλλ' ἀγωνιστικῶς ἐν τῇ πρὸς Αἰλιανὸν διαλέξει οὐκ ἠδυνήθησαν συνιδεῖν. &c.

Cornel. Muſſ. Epiſ. Bitont. Comm. in ep. ad Rom. c. 5. *p.* 270.

† T. 2. *Op. Ath. p.* 316. πρὸς τοὺς λέγοντας Ἰουδαῖος ἐστιν ὁ μὴ ὁμολογῶν θεὸν ἐσταυρῶσθαι.

* *Id. p.* 328. πρὸς τοὺς ἀναιροῦντας τὴν τῆς φύσεως διαφορὰν μετὰ τὸ πάθος καὶ τὴν ἀνάληψιν.

ſus Eutychianos ſuſceperat, abreptus, adhibet, Neſtorianus non haberi. Eadem de cauſa Julius Epiſcopus Romanus in oppoſitum errorem, Eutychianum, ſcilicet, impingere videbatur in Epiſtola illa quam ſcribit Gennadius † fuiſſe olim utilem adverſus eos qui duas perſonas in Chriſto ponebant, *nunc autem* (inquit ille) *pernicioſa probatur, fomentum enim eſt Eutychianæ & Timotheanæ impietatis.* Quod ipſum fecit ut alii ſcriptores, Gennadio recentiores, † Julii eam eſſe negaverint, eique ab hæreticis ſuppoſitam fuiſſe cenſuerint. Eadem Patrum iſtorum ratio fuit quæ eſt gubernatoris, inter duos oppoſitos ſcopulos, alterum extantem ac conſpicuum, alterum ſub aquis latentem, navigantis; Dum ab eo quem videt totus cavet, facilè in eum quem non animadvertit impingit; ut navem, ſi non frangi, certè quati ac lædi neceſſe ſit. Sic Doctores iſti, quos Pauli Samoſateni, aut Neſtorii ſcopuli non latebant, ſed quibus Arii vel Eutychetis Syrtes, nullo tum naufragio infames, ignotæ erant, dum totis viribus in illis, à quibus ſibi metuebant, fugiendis laborant, facere non potuerunt quin, ſi in has non inciderint, ad eas tamen proximè acceſſerint, de quibus, ſcilicet, nihil dum ſuſpicabantur. Attende nunc quanta nobis cautione opus ſit apud iſtos tam multis ſpinis obſitos ſcriptores verſantibus, quamque acri judicio diſtinguenda apud eos ſint & cauſa à probationibus, & rei caput ac ſumma à parergis, & hyperbolæ & meioſes orationis, ab ipſa auctorum ſententia. Atque hinc porro expende non verum atque æquum ſit uno aut altero verbo, quæ imprudentibus contra Valentinianos & Marcionitas, vel Neſtorianos & Eutychianos diſputantibus exciderint, ea decidi ac judicari quæ nunc inter nos vel de libero arbitrio, vel de proprietatibus carnis Chriſti, vel de ipſius Euchariſtia diſputantur.

† *Gennad. in Catal. inter opera Hieron. T. 1. 386.*

Facund. Herm. def. 3. cap. 1. 1. p. 40. quo loco vide Sirmond.

Sed antequam miſſum hoc argumentum facio, notandum quoque eſt inſtitutorum ſive conſuetudi-

num

num, tam in rebus ſecularibus, quàm in Eccleſiaſticis in primis mutationem, ſignificationis item vocabulorum variationem, non parum conferre ad difficultates quas in legendis & intelligendis Patribus offendimus. Nemo eſt in utriſque partibus qui mundi, imò & Eccleſiæ ipſius, faciem penè totam immutatam fuiſſe vel neſciat vel neget. Doctrinam nunc non moror; de cortice & toga Eccleſiæ tantùm mihi ſermo eſt. Quid factum eſt vetere diſciplina? quid ſeveritate, & canonibus antiquis? quid Baptiſmi & Euchariſtię adeo myſticis cærimoniis? quid ritibus in Clericorum ordinatione obſervatis? Omnia iſta defoſſa ſunt. Alia ætas, ſcilicet, alios mores poſtulavit. Cùm ergo Veterum libri ad iſta quę nos latent alluſionibus ſcateant, neceſſariò conſequitur ut laborioſum ſit admodum ſenſum eorum in ejuſmodi locis percipere. Sed longè major confuſio à vocibus ipſis, quas, ſed mutata ſignificatione, retinuimus. Papam, Patriarcham, Miſſam, Oblationem, Stationem, Proceſſionem, Peccata mortalia, Pœnitentiam, Confeſſionem, Satisfactionem, Meritum, Indulgentiam, cum Veteribus dicimus, & ſexcentas hujuſmodi voces uſurpamus, ſed ſenſu, ab eo quem tum habebant non minùs alieno, quàm illorum ætas diſtat à noſtra. Sicut olim ſub Imperatoribus Romanis Magiſtratuum, rerúmque veteris Reipublicæ, diu fuere in uſu nomina. Sed ſenſu longè alio ab eo quem ſub illa obtinebant. Cùm in veterum locum quempiam incidimus in quo Romanus Epiſcopus Papa vocatur, confeſtim tota illa ambitioſa Pompa quæ Papas hodie vel cingit, vel affectatur, etiam credo, ne quid deſit, Prætoriana Helvetiorum cohors, etiam equitum præcurrentium turma nobis in mentem venit; cùm vel mediocriter in librorum iſtorum lectione verſatis Papæ nomen, quibuſvis Epiſcopis tributum olim fuiſſe, notum ſit. Ita ſi occurrit exomologeſis vel confeſſio, illico nobis hominem in genua provolutum, confeſſariò

rum & lucubrationum narrant: vereor ne etiamſi hoc, quod dixi, aſſecuti fuerimus, multa tamen adhuc nobis ſuperſit de vera eorum ſententia dubitatio. Nam quod pertinet ad Commentarios, qui de locis Scripturæ controverſis nobis ſæpe conſulendi ſunt, en quid de iis ſcribat Hieronymus, Latinorum omnium doctiſſimus, quiq; paucis Græcorum hac in parte concedit. *Commentarii* (inquit) *quid operis habent? Alterius dicta ediſſerunt: quæ obſcurè dicta ſunt plano ſermone manifeſtant, multorum ſententias replicant, & dicunt; hunc locum quidam ſic ediſſerunt; alii ſic interpretantur; illi ſenſum ſuum & intelligentiam his teſtimoniis, & hac nituntur ratione firmare, ut prudens Lector cum diverſas explanationes legerit & multorum vel probanda vel improbanda didicerit, judicet quid verius ſit, & quaſi bonus trapezita, adulterinæ monetæ pecuniam reprobet. Num diverſæ interpretationis & contrariorum inter ſe ſenſuum tenebitur reus qui in uno opere, quod ediſſerit, expoſitiones poſuerit plurimorum?* Et quæ eodem loco ſequuntur. In eundem ſenſum loquitur variis operum ſuorum locis. * *Hic eſt Commentariorum mos* (inquit) † *& explanationum regula, ut opiniones ediſſerant. Et hoc non ſolum Sanctarum interpretes Scripturarum, ſed ſecularium quoque litterarum explanatores faciunt, tam Latinæ linguæ quàm Græcæ.* Fateor valde miram eſſe hanc commentandi rationem. Quid enim certi, quid comperti haurire lector poteſt ex hujuſmodi variarum opinionum in acervum ita congeſtarum farragine, nullo indicio demonſtretur aut innuatur, quæ ſit earum vel ſequenda, vel fugienda, quæ probabilis, quæ neceſſaria, quæ ad rem denique, & quæ non? Sed quandoquidem ſic Hieronymo libuit, quæcunque cauſa ad id eum induxerit, facile eſt videre ipſum pro ſuis non agnoſcere quæcunque in Commentariis ſuis ponit. Et cum generaliter loquatur de forma & conditionibus Commentariorum, dubium non eſt quin cæteri Patres in eadem de commentariorum legibus, ſententia fuerit, ſuoſque qui inter eorum opera nobis ſuperſunt, ad hanc normam

Hieron. T. 2. p. 300. D. ad Pam. & Marc. Apol. adverſ. Ruffin.

* *Id. Ib. p. 304. A. & 307. A. & 308. A.*

† *Id Apolog. adver. Ruf. T. 2. p. 355. D.*

com-

compoſuerint. Unde videre eſt quòd quamvis in ejus generis ſcriptis ſententia vel explicatio nobis occurrat liquidò tradita, non ideo ſequitur tamen auctorem reipſa in ea fuiſſe ſententia. Forſan non ſuam ex alio interprete refert. Quod ſi nonniſi ex liquidis limpidiſque fontibus haurire ſtuduiſſent Patres, nullâſque niſi probatæ pietatis, fidei, & doctrinæ Scriptorum, vel opiniones, vel oppoſitiones, in ſuis commentariis referrent, minùs periculi eſſet à multiplici confuſaque farragine quam congerunt. Nam etſi reſtaret dubium an genuina eſſet ſententia Patris cujus nomen præfert, attamen, ſi ejus non eſſet, conſtaret ſani alicujus auctoris eſſe, æqualiſque, vel parum diſſimilis auctoritatis. Sed quod rei caput eſt, nullo diſcrimine, jejunis, imò quandoque periculoſis & ex auctoribus ſuſpectis, infamiaque apud Eccleſiam laborantibus deſumptis expoſitionibus commentarios ſuos referciunt. Sæpe monet Hieronymus (& quiſquis eum cum cura evolvet id facilè animadvertet) commentarios ſuos qui maximam & ſedatiſſimam operum ejus partem conſtituunt, totos contextos eſſe, ex Originis, Didymi, Apollinaris & aliorum expoſitionibus, qui jam tum malè audiebant, quod in protrudendis propriis ſententiis eſſent audaciores quodque, ut eſt apud Hieronymū *ingeniū ſuum facerent Eccleſiæ Sacramenta.* Hoc ſanè mirandum eſt. Nemo illo acrius in iſto Auctores invehitur, qui ſanctæ illius ſocietatis inter ipſum, Theophilum & Epiphanium adverſus Origenem, ejuſque diſcipulos, initæ facilè princeps eſſet. Nèmo unquam tam acerbè Ruffinum excepit, propter propinata Latinis Origenis toxica in libris quos ex eo interpretatus fuerat. Et tamen in ejus Commentariis parum abeſt quin Origenis explicationes utramque paginam faciant, quas non temperatas lectoribus imprudentibus & nulla antidoto præmunitis offert. Sic in Commentariis in Prophetas perpetuo congerit varias, etiam Judæorum, expoſitiones, ita ut tibi, dum Hieronymum, docent

Hieron. Præfat. in Comm. in Ep. ad Gal. T. 6. p. 270. A. B. Apolog. 2. p. 341. A. adv. Ruff. Tom. 2. Ep. 89. ad Auguſt. alibi ſæpe.

Hieron. Commen 5. in Eſa. præfat. T. 4. p. 96. F. de Origene. Ingenium ſuum facit in Eccleſiæ ſacramenta.

Vide G. E. Comm. in Nah. T. 5. p. 391. A. B.

docentem audire te putas, ſæpe cum Judæo, aut cum hæretico res ſit. Si Patribus, cujus eſſent expoſitiones quas afferunt nos monere viſum fuiſſet, & ſigillatim auctorum quos ſequuntur nomina recenſere, ea, quam amplexi ſunt, Scripturas interpretandi ratio, longè plus utilitatis, minúſque confuſionis attuliſſet: Hæc enim nominis indicatio, quanti faciendæ eſſent ſententiæ & expoſitiones illæ præmonſtraſſet: ſed id rarò obſervant, ut animadvertere eſt in expoſitionibus Hilarij, Ambroſij † & aliorum, qui Origenem & alios quos compilant Scriptores ne ſemel quidem nominare dignantur. Apud Ambroſium certè non ſolùm periodos, ſed & paginas integras ex Baſilio reperias, at, ni me fallit memoria, nullibi ejus nomen occurrit. Alienas ſententias quaſi ſuas proponunt; non ideo tamen ſe teneti putant ut eas nobis tanquam idoneas & convenientes præſtent.

† Vide Hier. Apol adv. Ruff. ad Pammach. & Marcell. T. 2 p. 293. A & ep. 141. ad Marcell. T. 3. p. 180.

Hieronymus Commentario in Epiſtolam ad Galatas vult Petrum à Paulo œconomicè reprehenſum non quod reuera eum reprehenſibilem exiſtimaret, ſed ut ea reprehenſionis larua & hypocriſi (cùm interea præclarè ipſis inter ſe conveniret) Gentiles ædificarentur & ſervarentur, *ut* (inquit) *hypocriſis obſervandæ legis, quæ nocebat iis qui ex Gentibus crediderant, corruptionis hypocriſi emendaretur, & uterque populus ſalvus fieret, dum & qui circumciſionem laudant Petrum ſequuntur, & qui circumcidi nolunt Pauli prædicant libertatem.* Auguſtinus cùm hanc ſententiam non probaret, ſcripſit ea de re ad Hieronymum leniter & graviter, ſuo more, modeſtè in medium afferens rationes propter quas ab eo diſſentiret. Extant adhuc utriuſque Epiſtolæ. Ad hæc Hieronymus multa & quidem mirifica reſpondet. Inprimis verò negat ſe præſtare debere ea omnia quæ in libro ſcripſit: quoque doceat id ſe jure facere, quædam verba ex ſua in illum præfatione refert, quæ memoratu & conſideratione digniſſima ſunt. Nam poſt indicata Origenis, Didymi, Apollinaris, Theodori Heracleotæ, Euſebij Emi-

In Comm. 1. in ep. ad Gal. in c. 2. T. 6. p. 287

Aug. ep ad Hier. quæ eſt inter ep. Hier. 86. T. 2. p. 514.

Hier. ep. ad Aug. quæ eſt 89. T. 2. p. 524.

ſeni, Adrexandi hæretici, & aliorum ſcripta, ſubdit. *Itaque, ut ſimpliciter fateare, legi hæc omnia, & in mente mea plurima coacervans accito notario, vel mea, vel aliena dictaui, nec ordinis, nec verborum interdum, nec ſenſuum memor.* Nonne inſignis eſt, & magnificanda dignaq; quam imitemur, hæc S. Scripturæ explicandi ratio? Tum conuerſa ad Auguſtinum oratione, *ſi quid igitur* (inquit) *reprehenſione dignum putaueras in explanatione noſtra eruditionis tuæ fuerat quærere utrum ea quæ ſcripſimus habeantur in Græcis: ni ſi illi non dixiſſent, tunc meam propriè ſententiam condemnares.* Alibi in eundem ſenſum reſpondet Ruffino criminanti quædam à Commentario in Prophetiam Danielis, ab ipſo perperam (ſuo judicio) ſcripta. Hac ratione ut pernoſcamus quæ Hieronymus ex ſententia ſua in Commentariis ſcripſerit, evolvendi nobis erunt omnes iſti Scriptores Græci veteres, adeoque faciendum erit quod fieri non poteſt cùm pleraque iſta Scripta perierint, nec quicquam Commentatori tribuendum erit quantumlibet ab eo diſertè aſſertum & confirmatum, niſi priùs certò conſtituerimus nihil de eo apud Veterum ullum extare, á quibus iſte expoſitiones ſuas mutuatur eſt, nam ſi apud ullum eorum explicationum eius veſtigia occurrant, pro certo habeto nihil eas ad Hieronymum pertinere, qui nihil aliud fuit quàm iſtorum notarius, vel librarius, vel certè interpres. Agnoſces quidem ex eiuſmodi centonibus quàm ſcitè Patres ex tot variis Scriptoribus hinc inde decerpta contexuerint, ſed ad ipſi in eadem fuerint ſententia necne, haud faciliùs inde cognoſces quàm de fide & opinione librarij ex libro quem deſcribit, vel de ſententia interpretis ex ſcripto quod ex una lingua in aliam transfert, unde ſequitur teſtimonia ex eiuſmodi ſcriptis deſumpta, ſiue pro nobis, ſiue contra nos, nullius pene eſſe momenti. Nec id Cardinalem Bellarminum latuit qui ad locum ex quodam Hieronymi libro ſibi obiectum reſpondet. *Hieronymus eo loco ex aliorum ſententia locutus eſt,*

Hieron. Ibid. p. 325. A.

Ibid. B.

Id. Apol. 2. adu. Ruff. T. 2. p. 241. A.

B. l. T. 4. l. de grat. pr. mi. hom. c. 11. §. Quarta obiectio.

eſt,ut ſæpe facit in commentarius Epiſtolæ ad Epheſios , & in aliis locis. Eadem ratione Perronius ad obiectionem quã pro Scripturarum Veteris Teſtamenti canone ex Hilario aduerſus Eccleſiam Romanam Proteſtantes petunt, reſpondet confidenter, obſeruationes eo loco ab Hilario factas eius non eſſe ſed Origenis, Commentario in primum Pſalmum, cuius partem Hilarius in ſuum in Pſalmos prologum tranſtulit; tametſi nihil ille de Origene toto hoc loco dicat, neque uſpiam ſignificet exſuapte,an Origenis fide ea tradiderit quæ illic de Scripturis habet. Hæc verò Perronij reſponſio eo ſolo nititur,quod Hieronymus variis in locis teſtatur Hilarium ſuorum commentariorum maximam partem ex Origene tranſtuliſſe. Quandoquidem ergo, teſte Hieronymo, hæc eſt omnium in genere commentariorum apud Veteres ratio; quomodo nobis conſtare poterit an illi, quæ in iis habentur ex ſua ſententia tradiderint, an ex quopiam alio tranſcripſerint? Quandiu verò de hoc ambigitur, quæ vis, quiſve uſus eſſe poteſt teſtimonium quæ ex iis ſeu in hanc, ſeu in illam partem in controuerſiis noſtris deſumuntur? Atque ita manifeſtum eſt hanc methodum, quam Patres in ſuis Scripturæ expoſitionibus ſecuti ſunt, dubia reddere ea ipſa quæ omnium diſertiſſimè docent. P. Perron. Replic. l. 2. c. 50. p. 377

Sed illi fortaſſe in ſuis ſaltem ad populum concionibus & homiliis diligentiores fuere, & vel in huiuſmodi ſaltem ſcriptis ea tantùm adhibuere quæ ipſimet ſentirent & crederent. An ergo hic certi eſſe poterimus ipſos ex animo loqui, linguàmque, non alienam,ſed ſuam ſententiam exponere? Putauerit quidem aliquis in loco tam ſacro,unde greges ſibi commiſſos docebant, nihil unquam ab ipſis proponi debuiſſe quod non cenſerent veriſſimum. Sed prætерquam quod ſupra oſtendimus ipſos, non ſemper omnem veritatem palam fecisse, ſed eius partem quandam propter Ethnicos, vel imperitos ſilentio texiſſe; Cardinalis Perronius, magnus ille

Perron. de Euchar. l. 1. c. 10. p. 52. l. 2. Auſt. 24. cap. 15. & paßim l. is infra citandis.

& curioſus Antiquitatis indagator, eos his ipſis de cauſis paulò etiam ulteriùs progreſſos docet. Cùm enim ad populum, in quo erant & Catechumeni, Scripturam exponebant, ſi fortè in locum qui de Sacramentis ageret incidèrent, tum ne ea myſteria aperire paulum declinabant, & pro genuina & reali expoſitione quam in pectore clauſam cohibebant, allegoricam & ſymbolicam ac, ut loquitur Cardinalis, *acceſſoriam & collateralem* afferebant, qua rudiorum animum arte aliqua explerent. Nam ſi, cùm de hoc argumento ſe offerebat agendi occaſio, prorſus tacuiſſent, mirum id auditoribus viſum fuiſſent, ſuſpicioniq́; imo & offenſioni locum dediſſet. Vt ergo & exterorum expectationi ſatisfacerent, & myſterium tamen in occulto continerent, eos hac ratione eludebant, id ſcilicet proponentes, non quod ipſi optimum & veriſſimum exiſtimabant, ſed quod ſuo propoſito maximè conuenire judicabant. Sic pueros nucibus aut ludicro aliquo oblectamento fallimus ac lactamus, ut eos à rerum maioris momenti cupiditate auocemus. Qui ergo, quæ iis locis apud Patres habentur, pro natiuis ſolidiſque expoſitionibus, genuiniſque ipſorum ſententiis accipiunr, illi verò multum errant, & umbram pro corpore amplectuntur. His artibus luſiſſe Sanctos iſtos viros vix credibile eſſet, niſi fidem faceret tantus Cardinalis, quo etiam auctore hæc impræſentiarum proferimus, & ex eodem ſequentia hæc exempla damus. Auguſtinus cum in ſextum caput Ioannis incidiſſet, in quo (ut ille quidem putat) de Euchariſtia agitur, tot allegorias, tot ænigmata & ambages ei myſterio obtendit, ut, ſi fides Cardinali habenda ſit, ne una quidem Auguſtini extet toto tractatu XXVI. periodus quę non effugium aliquod eluſionemve, ac veræ, perfectæque de hoc capite definitionis diſſimulationem & imminutionem aliquam contineat. Sic ille *panem qui de cœlo deſcendit*, interpretatur, donum Spiritus Sancti. *Daturus*, inquit, *Dominus Spiritū Sanctum, dixit*

ſe

ſe eſſe panem qui de cælo deſcendit. Tu, præeunte & tam diſertè docente ſanctiſſimo Doctore, putabis hunc eſſe genuinum loci ſenſum. Sed caue ne ſic putes, nam ex Caluino oſtendit Cardinalis id fieri non poſſe. Eodem quoque modo recipit quod idem Auguſtinus ſubdit, aliquando poſt *Hunc* (inquit) *cibum & potum ſocietatem vult intelligi corporis & membrorum ſuorum, quod eſt ſancta Eccleſia in prædeſtinatis & vocatis & juſtificatis & glorificatis ſanctis & fidelibus ejus.* Quis (niſi Perronius præmonuiſſet exiſtimaturus fuit Scriptorem iſtum (adeo religioſum ut in grauem cum Hieronymo contentionem venerit., quod iſte ſimulationem Paulo auſus eſſet tribuere) hic docuiſſe hanc eſſe mentem Domini, niſi eam reuera eſſe ſenſiſſet? Cardinalis tamen pleraque ſibi à Proteſtantibus ex eodem Auctore objecta hanc ipſa ratione ſolvit; ut verbi gratia hunc locum. *Credere* in Chriſtum *eſt manducare panem vivum:* & hunc item; *Qui credit in eum manducat, inviſibiliter ſaginatur, quia & inviſibiliter renaſcitur.* Et hunc denique: *Si quis manducat ex ipſo* pane *non morietur, ſed quod pertinet ad virtutem Sacramenti, non quod pertinet ad viſibile Sacramentum: qui manducat intus non foris, qui manducat in corde, non qui premit dente.* Cõtendit Cardinalis a Auguſtinum his omnibus locis veram plenam & integram definitionem iſtius carnis & ſanguinis Chriſti manducationis ſupprimere, eiuſque loco meditationem hanc allegoricam & acceſſoriam Catechumenis obtrudere; ut eorum oculos perſtringeret, curioſitatémque eluderet. Eadem animaduerſione ſoluit locos allatos ex Theodoreto, & Gregorio Nazianzeno, † quem dicit * Euchariſtiam corporis & ſanguinis Chriſti antitypum vocare, eadem ratione qua Abraham cùm inter infideles verſaretur, Saram *ſororem ſuam* dicebat, veri quidem aliquid diſſimulans, nihil tamen falſi enuntians. Pari modo hæc è Clementis Pædago explicat. *Caro & ſanguis Chriſti fides eſt* | *& promiſſio.* Denique ut paucis abſolvam hac obſervatione ita delectatus

Perron. Tract. de S. Aug. ſt. c. 11. & l. 2. de Euch. Auct. 22. c. 1.

† *Id. De Euch. l. 2. Auct. 24. ch. 15.*

* *Id. l. 2. Auct. 18. c. 5.*

Ibid. p. 344.

Id. de Euch. l. 2. Auct. 36.

eſt, ut eam penè ad omnia patrum loca inculcet. [a] Itaque hic uerè primarius ac penè unicus fons eſt ex quo celeberrimus diſputator, ſuas illas famoſas, & omnium ſermone jactatas ſolutiones hauſit. Non jam diſquiro eane obſeruatio omnibus quibus à Petronio adhibetur Patrum locis congruat (non enim dubito quin paulo ſeueriores rerum æſtimatores viri fidem in multis ſint deſideraturi.) Sed utcunque ſit, hoc nunc quidem ſatis eſt, quod ille ſtatuit Patres in ſuis apud plebem concionibus & tractatibus hac methodo frequenter uti, cùm inde liquidò ſequatur, nobis non poſſe conſtare eos ſolidas & idoneas eas explicationes & ſententias apud ſeipoſos cenſuiſſe, quas in hoc ſcriptorum genere adhibent. Quemadmodum enim Cardinalis Auguſtini, Gregorij, Theodoreti & Clementis locorum vim infringit, eodem jure, ſi Proteſtantibus objicias locos quoſdam ex Homiliis Chryſoſtomi & Eucherij peritos qui videntur adverſus eorum ſententiam diſerti; nonne regerere poſſunt Patres iſtos, de hiſ rebus apud plebem agentes, ea œconomia uſos, ut dicerent, non quod optimum & veriſſimum cenſerent; ſed quod magis ad aliorum ædificationem faceret? Metuiſſe ne ſicca & cruda veritatis declaratione frigeſcerent populorum ſtudia? Cùm (inquiunt) multo probabilius eſſet timere ne Sacramenta in contemptum venirent, quàm ne adorarentur, ut reuera Patres longè ſtudioſiùs huius Sacamenti materiam, & contemptui per ſe obnoxiam, diſſimulant, quàm ejus formam, cuius natura venerabilis eſt, quo fit ut ſæpe & manifeſtè dicant eſſe corpus Chriſti, cum plerumque eſſe aut fuiſſe panem taceant.

Supereſt è Scriptis Patrum tertium genus, polemicum ſcilicet, cùm aduerſus fidei ſuæ adverſarios, Ethnicos, Iudæos, vel hæreticos diſputant. Supra vidimus quantam obſcuritatem in hanc partem mentis contentio inferat, quod quidem vitium ex ſolà animi perturbatione, minimè verò ex ullo propoſito quo tenebris potiùs

tiùs

[a] *Id Tract. de Euch. p. 5. & 8. 329. 33. 339. 314. 356. 417. 420. 434. 501. 503. 508. 510. 516. & Tr. de S. Auguſt. p. 55. 57. 95. 145. 191.*

tiùs quàm perſpicuitati ſtuderent ortum habuit. Nam cùm omnium ſtudiorum, ſive animi affectuum, ea ſit indoles, ut iis animus nonnihil perturbetur, fieríque aliter nequeat, licet à ſanctiſſimis, quin dum in controverſiis magni momenti verſantur (quales ſunt quæ ad religionem ſpectant) commoveantur percellanturque mirandum non eſt, ſi in his rebus, Patrum diſſertatiónes iis motibus & quaſi coloribus nonnunquam inſpergi & variari videamus, quibus plerumque ſuffunduntur eorum ora quorum animi ejuſmodi ſtudiis commoventur. Sed præter turbas quas Patribus incogitantibus per ſe attulerunt iſtæ animi concitationes, notandum eſt præterea in hoc capite eorum ſive propoſitum, ſive diſputandi methodum magnas in ejuſmodi Scripta difficultates invexiſſe. In hoc namque Scriptorum genere fas eſſe exiſtimabant quicquid ad cauſam facit adhibere, utut aliàs infirmum & à noſtra etiam ſententia alienum, pariterque quicquid ſuſceptæ cauſæ repugnat repudiare ac refutare, licèt aliàs verum & admittendum. Sed ne hæc obſervatio miranda & incredibilis videatur, age, eos ipſos hac de re differentes audiamus. En tibi ergo Hieronymi, Patrum omnium Cenſoris longè accuratiſſimi, verba. Is enim cùm in ſe, tum in cæteros ſummam illam ingenij vim qua excellebat convertens, plura hujus generis de Patrum ſtilo, methodo, ingenio ac ſententiis quàm quiſquam alius obſervavit. *Simul diximus* (inquit) *plura eſſe videlicet genera dicendi, & inter cætera aliud eſſe γυμναστικῶς ſcribere, aliud δογματικῶς. In priori vagam eſſe diſputationem, & adverſario reſpondentem nunc hæc, nunc illa proponere; argumentari ut libet, aliud loqui, aliud agere, panem, ut dicitur, oſtendere, lapidem tenere. In ſequenti autem aperta frons, &, ut ita dicam ingenuitas neceſſaria eſt. Aliud eſt quærere, aliud definire, in altero pugnandum in altero docendum eſt. Tu me ſtantem in prælio, & de vita periclitantem ſtudioſus magiſter doceas? Noli ex obliquo & unde non putaris vulnus infligere, directo percute gladio.* Hieron. epiſt. ad Pammach. T. 2. p. 136. A.

turpe tibi eſt hoſtem dolis ferire, non viribus, quaſi nō hæc ars ſumma pugnantium ſit, alibi minari, alibi percutere: legite, obſecro vos, Demoſthenem. Legite Tullium; ac ne forſan Rhetores vobis diſpliceant, quorum artis eſt veriſimilia magis quàm vera dicere. Legite Platonem, Theophraſtum, Xenophontem, Ariſtotelē & reliquos qui de Socratis fonte manentes diverſis cucurrere rivulis, quid in illis apertum, quid ſimplex eſt? Quæ verba non ſenſuum? Qui ſenſus non victoriæ. Origenes, Methodius, Euſebius, Apollinaris multis verſuū millibus ſcribunt adverſus Celſum & Porphyrium. Conſiderate quibus argumētis & quam lubris problematibus Diaboli ſpiritu contexta ſubvertant, & quia interdum coguntur loqui, non quod ſentiunt, ſed quod neceſſe eſt dicunt adverſus ea quæ dicunt Gentiles. Taceo de Latinis ſcriptoribus Tertulliano, Cypriano, Minutio, Victorino, Lactantio, Hilario, ne non tam me defendiſſe, quàm alios videar accuſaſſe. Hactenus Hieronymus. Quod verò de Paulo ſubjicit quem iiſdem quoque artibus uſum putat, de eo non eſt diſputandi locus, quod nunc de Patribus ſolis, non autem de Apoſtolis agamus. Patres quidem diſertè teſtatur in diſputationibus ſuis aliud nonnunquam dicere, aliud in pectore clauſum gerere panem oſtendere, manu lapidem tenere, alibi vulnus intentare, alibi infligere, cogi interdum verba ſua, non ad id quod ſentiunt, ſed ad id quod neceſſitas poſtulat inflectere. Idipſum, ut à nobis ſupra obſervatum eſt, de Dionyſio Alexandrino agnoſcebat Athanaſius, eum, ſcilicet, ſcripſiſſe, non ſimpliciter quaſi quid ſentiret declaraſſet, ſed coactùm veluti occaſione propter eos quibuſcum ipſi negotium erat. Neque aliud volebat Baſilius, cùm in reſponſione pro Gregorio Neocæſarienſi diſtinguebat inter *dogmaticè diſſerere* & *diſputare*. Eodem redit quod dicunt *aliquid per diſpenſationem* vel *æconomiā ſcribere*; his enim verbis ſignificant apud te quod ſentias cohibere, déque eo vel detrahere, vel addere certis quibuſdam de cauſis, ſi quando de eo contendere neceſſe ſit. Quemadmodum cùm quandoque accidit ut

Athan. ep. de fide Dion. Alexand.

Baſil ſup. c. 9.
Ath. ep. de fide Dionyſ. Alex. p. 552.
τὰ κατ' οἰκονομίαν γράφειν.

aqua

aqua ſurſum aſcendat, ſpatium quod alioqui vacuum futurum eſſe, repleat, non ideo eum motum illi naturalem & uſitatum eſſe inferes. Idem Patribus, in diſputationum anguſtiis verſantibus accidit, ut vitandi (ut ita dicam) cuiuſdam vacui, à quo ſibi metuebant, gratia, motum ſuum naturalem genuinámque ſententiam nonnunquam omitterent, & in contrariam tantiſper concederent, dum ſe expedirent. Sed hoc vel tacente Hieronymo) ipſi eorum tractatus diſertè ſatis loquuntur. Hæc enim vis eos nonnunquam ſubegit varias ſecùmque pugnantes ſententias diverſis in locis ſequi, frigidùmque & calidum ex eodem ore efflare, & identidem, vel rationi, vel Scripturæ, vel reliquis Patribus adverſari. *Quis enim tam hebes* (inquit idem Hieronymus) *& ſic in ſcribendo rudis eſt, ut idem laudet & damnet? ædificata deſtruat, & deſtructa ædificet?* At Patres id frequenter faciunt, ſequitur ergo ad id ſuo quodam conſilio adactos fuiſſe, idque œconomicè & per diſpenſationem, ut loquuntur, feciſſe, quandoquidem prudentes, eruditóſque viros fuiſſe conſtat. Exempli gratia Hieronymus peregrinationes ad loca ſancta, ut ad Hieroſolymorum urbem adeo commendat, ut dicere non dubitet, *adoraſſe ubi ſteterunt pedes Domini, & quaſi recentia natiuitatis & crucis ac paſſionis vidiſſe veſtigia, partem pietatis eſſe.* Quî conueniunt iſta cum iis tam multis quæ in contrariam ſententiam habet epiſtola ad Paulinum. *Quorſum inquies* (verba ſunt claudentis quæ de hoc argumento dixerat) *hæc tam longo repetita principio? videlicet ne quicquam fidei tuæ deeſſe putes, quia Hieroſolymam non vidiſti, nec nos idcirco meliores exiſtimes quod huius loci habitaculo fruimur.* Planè ad Gregorij Niſſeni mentem, qui de hoc argumẽto epiſtolam ſcripſit, eorùmque ſententiam refellit qui † *partem pietatis exiſtimant Hieroſolymam videre.* Iudicet nunc æquus Lector quibus quantiſque difficultatibus Patrum ſcripta hæc methodus involvat atque implicet. Quî enim cognoſcere poterimus ex animò ne ij loquan-

Hieron. ep. 57. ad Pamm. T. 2. p. 135.

Hieron. ep. ad Deſider. quæ eſt 154.

Id. epiſt. 13. ad Paul. T. 1. p. 10 108 121.

† *Gregor. Nyſſenus in ep. περὶ τῶν ἀπιόντων εἰς Ἱεροσόλυμα. T. 2. p. 1084. C. ὅτι ἐν μέρει ἀρετῆς ... τὸ ἐπὶ Ἱεροσόλυμα ... ἰδεῖν*

tur, an ſecus? ſerióne rem agant, an tentandi & experiundi tantùm gratia? fallendine an alendi cauſa panem oſtendant? Num quæ adhibent problemata ſolida ſint, an lubrica, dogmaticé ne an œconomicè loquantur? Profectó Senatus judicia ſi in hanc formam conciperentur, nullam unquam litem deciderent. Quod enim excipit Hieronymus; *Debuerat* (inquit) *prudens & benignus Lector etiã ea quæ videntur dura æſtimare de cæteris, & non in uno atque eodem libro criminari me diverſas ſentẽtias protuliſſe*, id, inquam, verum quidem eſt, ſed difficultatem non tollit: frequenter enim, utut ſolers & induſtrius ſit lector, impoſſibile eſt ut de ea re judicium ferat, ut, exempli gratia, ſi deſint ea ex quibus judicium inſtitui vult Hieronymus. Si ex Auctore, cujus is locus eſt qui explicandus proponitur, nihil nobis præter ipſum locum ſupereſt, vel certè præter caput tractatúmve in quo is Auctori excipit. Quàm multa hujus generis occurrunt in hodiernis de religione controverſiis; Quid item facicmus, aut quò nos convertemus, ſi ex Patre, qui nobis explicandus eſt, nullus alius nobis reſtat de eodem argumento locus, ſaltem qui ſit perſpicuus, vel è Scripto quod non ſit gymnaſticum vel polemicum; Quis judex ſedebit in his contradictionibus? Sed quod longè difficillimum eſt ipſa illa quæ inſtituendo & formando judicio noſtro præſcribit Hieronymus non omnibus eadem placent: ſed ut ſunt ſingulorum ſtudia, ita aliis arrident, aliis diſplicent, & quæ huic dura ac ſcabra videntur, eadem alius lævia ac facilia cenſet, pro partium quiſque ſuarum ingenio. Itaque nonjam de partium dogmatis ex Patrum ſententia, ſed planè contra de horum ſententia ex illarum ſtudiis judicandum erit. Neque benignitas illam quam in nobis Hieronymus requirit vel hilum promovebit, imò verendum eſt ne ipſa plurimum noceat. Nam quo majori benignitate Patrem quempiam complexi fuerimus, tanto majori ope & cura nitemur, ut ejus ſenſum ab ea ſententia quam averſamur,

Hier ep 50. ad Pamm. T. 2. p. 135.

licèt

licèt forſan ejus ipſamet genuina fuerit, abducamus: ut in locis illis quos proximè ex Hieronymo & Gregorio Nyſſeno retulimus, id ipſum Proteſtantibus durum & intolerabile videtur, quod eorum aduerſariis ſuaue & acceptum eſt. Alter in eo loco explicando ſudat, qui alteri planus ac facilis eſt. Qui huic textus Auctoris eſt, alteri gloſſæ inſtar habetur. Quiſque pro ſuo in utrumque hunc Scriptorem ſtudio contendit eos in ſuam ſententiam trahere, id eſt, à propria dimouère, cùm fieri non poſſit ut utramque utérque amplexus ſit. Vnde videre eſt ex verbis Patrum, licèt diſertiſſimis, de eorum ſententia nobis conſtare non poſſe, ſiue Scripturas explicent, ſiue de ſuggeſtu populum doceant, ſiue de fide contra aduerſarios decernent.

Hanc autem eſſe etiam plerorumque Pontificiorum de Patrum obſcuritate ſententiam docent Ieſuitarum qui cæteris ferè in illis partibus vulgò præferri ſolent, voces ac teſtimonia. Nam ex eo Sodalitio ſcriptor non ignobilis Adamus tradit *quid Auguſtinus de gratia & auxiliis ſenſerit, id ab Eccleſia præſente meliùs nos diſcere quàm ex ipſius Auguſtini libris.* Itaque ex huius quidem hominis ſcitis, fruſtra Auguſtini, fruſtra aliorum Patrum monumenta leguntur ac teruntur, ut eorum quæ fuerit de controverſiis religionis capitibus ſententia diſcamus ac pernoſcamus; miſſo hoc immenſo quidem ſed tamen caſſo & inutili labore; rectâ adeunda eſt *Eccleſia præſens*, id eſt, ea quę nunc Romæ prçſidet. Illa una eſt quæ latentes Patrum ſenſus eruere, quæ caliginem & tenebras quibus eorum oratio tecta atque involuta eſt diſcutere queat. Quod ſi ab iſto quæſieris unde ſcire licebit quæ ſit præſentis Eccleſiæ de iſtis iudicium (non enim cuiuſvis eſt Romam ire; aut Papalis, quæ iſtic ſedet, Majeſtatis reſponſa conſultáque de ſingulis, ut emergunt, dubitationibus, impetrare) Non dubito quin te ſit ad ſuę Societatis Patres ſtatim amendaturus, quum iſti, ſcilicet, jactant *ſummi Chriſtianæ religionis Pontificis oraculum*

P. Adam dans ſes nouvelles leures.

Imago primi ſeculi lib. 5. c. 5. p. 612.

eſſe. Certè cùm anonymus quidam Scriptor, ex eorum Theologorum numero quos vulgò Ianſeniſtas vocant, Adami mentem ita accepiſſet; alter, ex eadem ſocietate, Collegij Bleſenſis Rector, nomine Briſacerius, rotundè reſpondet, ſe ſuóſque Auguſtini & cæterorum Patrum libros legendos quidem putare ac cenſere, ſed ita tamen *ut eorum ſenſum ex præſentis Eccleſiæ, Scholaſticorũque uſu atque ore petant*, neque inficiatur, quin hactenus ſummi Pontificis oracula dici poſſint illi ſuæ Societatis Scholaſtici Theologi, quod ij Pontifici ſint *oris & organorum vice, quorum ille miniſterio interpretatur*, ſcilicet, *eas quas declarare vult de rebus Diuinis ſententias.* Denique, exempli cauſa, affert duas neſcio quas recentiſſimas cujuſdam de ſua Societate Catecheſes, quas quicunque legerint, eos facili ſanè ac expedito compendio *in octo decemve paginis reperturos* ait *quicquid Auguſtinus de gratia verè ac catholicè ſenſit.* Non jam queror quòd apertè nobis iſti, dum ſic agunt, illudunt, qui Patrum, ad quos provocant, ſententiam ex ſua interpretatione pendere volunt; quod nihil aliud eſt quàm ſummam & ultimam de iis, quæ cum illis nobis ſunt, controuerſiis iudicandi poteſtatem ſibi ipſis attribuere atque vindicare. Illud unum obſeruo, ſi ex Patrum ſcriptis planè liquidóque intelligere non poſſunt lectores quæ eorum fuerit de iis quæ tractant ac diſputant, ſententia: ſi ut quid ſenſerint diſcamus, ad præſentis uno quoque ſeculo Eccleſiæ tribunal, & hoc noſtro, ad Ieſuiticum ſodalitium, unicum ſcilicet ſummi Chriſtianorum Pontificis oraculum, confugiendum eſt. Omnino conſequens eſſe ut ſtatuamus Patrum libros magna obſcuritate laborare.

Le Ianſeniſme confondu Parte 3. art. 2. p. 4.

Ratio

CAPUT VII.

Ratio VII. *Patres in iiſdem fidei capitibus non ſemper perſtitiſſe, ſed è quibuſdam ſuis ſententiis nonnunquam diſceſſiſſe, prout exercitatione, vel ætate eorum maturuerat judicium.*

EX omnibus auctoribus Eccleſiaſticis ſoli Veteris & Novi Teſtamenti ſcriptores rerum divinarum notitiam præter ordinem, afflatu cœleſti, ſunt conſecuti. Reliqui omnes inſtitutione, lectione, meditatione, ut moris eſt, eam adepti ſunt. Hæc ſcientia iis in mentem momento non venit, ut ſuperioribus, ſed per gradus creuit, paulatimque prout ætate proue hebantur, uſu & experientia incrementa accepit, unde fit ut ſcripto eorum eiuſdem vel ponderis vel pretii non ſint omnia. Quis enim non videt ea quæ quaſi ludentes inter pueritiæ vel adoleſcentiæ oblectamenta, effuderunt, longè minoris eſſe momenti quàm ea quæ ætate maturiore ſcripſerunt? Quis exempli gratia epiſtolam illam quam Hieronymus, dum eſſet adoleſcens, imò penè puer, primo impetu laſciuientis ætatis, calentibus adhuc Rhetorum ſtudiis atque doctrinis, ad Heliodorum luſit, cum grauiſſimis ſcriptis quæ cano capite, arata rugis fronte, maturo ingenio, conſummatíſque ſtudiis Eccleſiæ dedit? Patres in veritatis cognitione cum ætate, ſtudiíſque profeciſſe, luculento exemplo docuit Auguſtinus, cum quæcunque tota vita ſcripſerat, in ſenectute excuſſit & recenſuit, in iiſque ingenuè & bona fide notauit quicquid animadverſione dignum viſum eſt in Retractationum libris, omnium, quæ poſteritati reliquit, illuſtriſſimo præclariſſimóque non ſolùm doctrinæ, ſed etiam candidiſſimi modeſtiſſimíque pectoris mea certè ſententia, monumento. Re-

Hier. ep. 1. ad Heliod. l. r. vide ep. 11. ad Nepot. c. 1. p. 11. A.

feit Hieronymus Origenem, longo ante tempore, in ſenectute ſua, epiſtolam ſcripſiſſe ad Fabianum Romanæ urbis Epiſcopum, in qua teſtabatur pœnitere ſe multorum quæ docuerat & ſcripſerat; Nec dubitandum eſt quin ſimile quid pleriſque Patribus acciderit, ut quæ pro veris aliquando tradiderant, ea poſtea improbauerint. Ex hac autem obſeruatione naſcitur nobis nona difficultas in propoſito noſtro inquirendi de Patrum ſuper controuerſiis noſtris genuina ſententia. Cùm enim eorum quæ ſcripſerunt iſta ſit ratio, liquidò patet, ſi ex eorum ſententai pugnare nobis animus eſt, neceſſarium eſſe ut nobis conſtet, non ſolùm quòd in ea fuerint, ſed etiam quòd in ea ad mortem uſque perſeuerauerint.

Hier. ep. 65. et ex lib. Origenis T. 2. p. 80. D. Ait ſe Origenes in Epiſtola quam ſcribit ad Fabianum Romanæ urbis Epiſcopum pœnitentiam agit cur talia ſcripſerit, &c.

Vnde Vincentius Lirinenſis in decantatiſſimo loco de Scriptorum Veterum ſententiis ac controverſias noſtras decidendas, adhibendis vult ut ea tantum rata & fixa habeamus quæ ipſi *conſtanter*, ut loquitur, *docuerint* & in quibus *permanſerint*. Idipſum ſuo exemplo perſpicuè docet Cardinalis Perronius, Nam in controuerſia de Divinarum Scripturarum canone (quem in Eccleſia Occidentali eundem ſemper fuiſſe contendit cum eo qui conſtitutus eſt in Concilio Carthaginenſi III. in quo Macchabæorum libri Canonicis accenſentur) cùm ſe urgeri ſentiret variis locis qui ex Hieronymo in contrariam ſententiam afferuntur, hunc nodum ut ſoluat, reſpondet interalia, Patrem iſtum ea ſcripſiſſe quæ ipſi obiiciuntur, cùm nondum ſtudiorum ſuorum maturitatem omnem aſſecutus eſſet, eumq; poſtea, accuratius de veritate ſenſus Eccleſiæ edoctum, ſententiam mutauiſſe, eaq; omnia, quæ in genere & ſigillatim in tribus prologis ſcripſerat, in quibus Machabæos è Canone eliminat, reuocaſſe. Et ad aliam obiectionem pro eadem ſententia ex Gregorii Magni Commentariis petitam reſpondet eodem modo, S. Gregorium, cùm iſta ſcripſit, nondum Papam fuiſſe, ſed Diaconum tantùm. Legatumq; Conſtantinopoli apud Græcos egiſſe. Vel infirmæ

Vincent. Lirin l. adverſ. profan. nouitates, ſeu Commonit. 1. c. 39.

Perron. Replic. l. 1. c. 50 p. 374

Id Ibid.

mæ ſunt ſolutiones iſtæ, vel profectò de nullius Patris teſtimonio confidere poſſumus, niſi priùs nobis conſtet, non ſolùm ipſum nunquam ſententiam revocauiſſe, verùm etiam ea de quibus agitur, adultis maturiſque ſtudiis ſcripſiſſe. Atque ita rurſus in novum Labyrinthum incidimus. Primùm enim unde & quomodo arcanum iſtud explicabimur, cuius vix ullum veſtigium apparere poteſt, Patrem, ſcilicet, qui objicitur ſententiam quæ opponitur in ſenectute non mutaſſe. Si omnes, aut potuiſſent, aut voluiſſent Auguſtini modeſtiam imitari mirùs laboris nobis incumberet: Sed vix ullus, ſiue olim, ſive hiſce temporibus qui hoc exemplum ſibi imitandum duceret, repertus eſt. Vnus Cardinalis Bellarminus noſtris temporibus modeſtiam illam multis, terro ſeculis mortuam & ſepultum ſuſcitandam ſibi cenſuit, edito Retractationum libro, qui tamen variè ab utriuſque religionis eruditis acceptus eſt. Sed ſi, ut viſum eſt Cardinali Perronio, nullius Patris ſententia fidem facere poteſt, niſi conſummatis ſtudiis quid ſentiret ſcripſerit, nulla mihi ſpes eſt hac via poſſe nos quicquam progredi. Quicquid enim opponas promptum erit non minùs his quàm illis ad ſingula quæque teſtimonia regerere. Qui ſcimus num Doctoris iſtius maturuiſſent ſtudia, cùm Tractatum iſtum edidit; Quis præſtabit non iiſdem ſoiibus qui ipſi poſtea illuxerunt mentem perinde ut caput, ir canuiſſe; neque ſententiam, unà cum pilis, mutaſſe? At ejus nihil apparet in Scriptis ipſius. Eſto. Quot Scriptores, non retractatis libris de ſententia in qua olim fuerant, diſceſſerùnt; Nonne perire potuit liber in quo à Vetere ſententia ſe receſſiſſe ſignificavit? Si illa ſors fuiſſet Retractationum Auguſtini, & nouiſſimorum quorundam ejus operum, quæ fuit ſexcentorum aliorum non minoris momenti, cùm ejus tum cæterorum Patrum, quæ tempus abſumpſit, pro indubitato haberemus ipſum humanorum operum prævifionem prædeſtinationis cauſam ſtatuiſſe, cùm apud.

ipſum, in quodam è prioribus eius operibus hæc legamus. *Non elegit Deus opera cuiuſquam in præſcientia qua ipſe daturus eſt, ſed fidem elegit in præſcientia, ut quem ſibi crediturum eſſe præſciuit ipſum elegerit, cui Spiritum Sanctum daret, ut bona operando etiam vitam æternam conſequeretur.* Pelagianis & Semi-Pelagianis eſſent iſta argumento invicto Auguſtinum cum ipſis ſenſiſſe. Sed ex ejus Retractationibus, aliiſque operibus id falſiſſimum eſſe diſcimus, magnùmque iſtum virum omnibus poſtea expenſis alirer omnino judicaſſe. *Nondum* (inquit) *diligentiùs quæſiueram, nec adhuc inveneram qualis ſit electio gratiæ de qua dicit Apoſtolus, Reliquiæ per electionem gratiæ ſalvæ factæ ſunt, quæ utique non eſt gratia, ſi eam merita ulla præcedant, ne jam quod datur, non ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum, reddatur potiùs meritis quàm donetur.* Quis ſcit num è Patribus iſtis, quorum ſententias adeo fidenter adhibemus, aliquis non retractarit ea quæ hodie in operibus eorum legimus? & annon errore ſuperſtite, pœnitentiæ monumenta tempus è medio ſuſtulerit? Quis item certò obſervauit quo vitæ ſuæ tempore ſcripſerint? utrum veris ſint, an Autumni quæ ex eo promuntur poma? acerba, an mitia? Omnis iſta hiſtoria obſcuriſſima eſt, cùm pleraque ætatis auctorum ne minimam quidem notam præferant. Quædam ſunt in quibus aliquid eiuſmodi videtur obſeruari poſſe, Sed quicquid id ſit, adeo dubium & incertum eſt, ut eruditiſſimi & clariſſimi quique in iis cognoſcendis aliquando errent. Denique quis neſcit non deeſſe arbores quæ fructum ferant in æſtate, imò ineunte æſtate, imò vix deſito vere. Fructus intempeſtiui & ſerotini non ſunt mitiſſimi, plerumque potiùs putreſcunt quàm matureſcunt tempore. Eadem eſt humanorum ingeniorum, ac proinde Patrum ratio. Nec deſunt quorum Æſtas quam Autumnus longè feracior fuit. Nam Hyemem, id eſt, poſtremam ætatis noſtræ partem, ut plurimum ſterilem eſſe notum eſt, vel, ſi quid præter naturæ ordinem conetur,

August. T. 4. expoſit. 4. prop ex ep ſt. Romã. propoſit. 60. Al. extr.

Id. T. 1. Retract. l. 1. c. 23. l.

netur, fructus edere, quàm in Vere ipſo, longè crudiores & acerbiores. Cùm ergo plerumque de huiuſmodi rebus neque ex hiſtoria, neque ex Auctorum ſcriptis judicium firmum ferre liceat, prætereáque certa & indubitata non ſint quæ apud Scriptores ipſos occurrunt, in hoc capite ut in ſuperioribus concludamus difficillimum eſſe certò & ſigillatim ſtatuere quid ſuper controverſiis quæ hodie inter Chriſtianos agitantur Veteres ſenſerint.

Caput VIII.

Ratio VIII. *Neceſſarium, & idem tamen difficillimum eſſe ut certò ſtatuamus quid de ſuis ipſorum ſingulis ſententiis Patres cenſuerint, & an eas ut neceſſarias, an ut probabiles tantum, & quo in gradu neceſſitatis, vel probabilitatis eas habuerint.*

PRopoſitiones veras non omnes eſſe ex æquo veras Logicorum eſt pronuntiatum. Illarum enim quædam ſunt contingentes, ut in Scholis loquuntur, aliæ verò neceſſariæ: Et rurſus cùm hæ tum illæ magis vel minùs neceſſariæ, ut eas mirabiliter diſtinguit Philoſophus in tribus illis neceſſitatis gradibus quos explicat priori de demonſtratione libro. Vnde fit ut earum cognitio vel ignoratio majoris aut minoris ſit momenti in diſciplinis ad quas pertinent: cúm quædam ſint (quales ſunt quæ principia dicuntur) adeo neceſſariæ ut ignorari nequeant quin tota ſcientia in qua locum habere debent evertatur: quædam verò ejuſmodi ut ignorari poſſint; imò & earum contradictoriæ pro veris affirmari nullo periculo. Hæ, exempli gratia, in Phyſicis ſunt

Ariſt. Poſter. Analytic. κατὰ παντὸς, καθ' αὑτὸ, καθόλου πρῶτον.

prioris ordinis. *Notum eſſe, omne corpus locum occupare* & ſimiles. Nam amabo te qualis eſſet Phyſica quæ huiuſmodi principia negaret, vel quæ iis contradiceret? Sed quæ ſequuntur ſunt poſterioris ordinis. *Præcisè quinque tantùm eſſe Senſus in natura animali. Cœlum eſſe ex materia elementari*, & aliæ. Nam etſi propoſitiones iſtæ ut plurimum veræ habeantur, non ſunt tamen adeò neceſſarię ut non poſſit eſſe Phyſicus, qui non ſolùm eas neſciat, ſed etiam qui earum contradictorias ponat. Si quæ autem ſit diſciplina in qua hæc obſeruatio accuratè ſit tenenda, ea eſt, mea ſententia, Religio Chriſtiana; permagnum enim diſcrimen eſt inter veritates quibus conſtat, cùm longè ſint aliæ aliis magis neceſſariæ, ut clarè docet Origenes Homil. 27. in Matthæ. Confer inter ſe has duas propoſitiones. Hanc *Chriſtus eſt Deus*, & hanc alteram. *Chriſtus mortem pertulit natus annos triginta quatuor, aut triginta quinque.* Quis, etſi ambæ veræ ſint, inter utramque tamen ſummum eſſe diſcrimen non videt? Prior enim neceſſariò vera eſt, id eſt, ita ut fieri non potuerit quin Chriſtus eſſet Deus, cùm hominis ſalus, quæ finis eſt Religionis, optineri non poſſet alio modo. Poſterior verò, etſi vera ſit, & ſatis apertè ex Scriptura deducatur non eſt tamen neceſſaria. Poterat enim Chriſtus, ſi ſic ei viſum fuiſſet, mortem obire quadrageſimo, aut quinquageſimo ætatis ſuæ anno, nullo ſalutis noſtræ, quam ſibi finem conſtituerat, diſpendio. Pro varietatis huius ratione diverſi in Religione momenti eſt agnitio aut ignoratio duarum iſtarum propoſitionum. Prior non poteſt ignorari, multo minùs negari quin totus pereat Chriſtianiſmus, poſterior ignorari, imò & rejici poteſt ſine magno periculo. Vt ergo liquidò nobis conſtet quid ſuper capitibus hodie in Religione controuerſis ſenſerint Patres, ſtatuendum eſt non ſolùm, num ea crediderint, vel ſecus, ſed præterea quo loco ea habuerint, num pro neceſſariò, vel probabiliter tantum, veris ſiue falſis; imò etiam quo in gradu neceſſitatis aut probabilitatis.

Orig. in Matth. homil. 27. 7. F.

Htatis ea conſtituerint. Hanc inquiſitionem neceſſariam eſſe luculenter docuit Cardinalis Perronius erudita illa Epiſtola quam ad Caſaubonum in Magnæ Britanniæ Regis gratiam ſcripſit. Quum enim Princeps ille Catholici nomen ſibi vendicaret, quod ſibi eſſe eadem de rebus fidei ſententia, quę quinque antiquiſſimorum ſeculorum Patribus fuiſſet, conſequentiam illam in dubium vocat Cardinalis, dum inter alia regerit, non ſatis eſſe, ad communionem cum Veteribus colendam, ea quę crediderunt credere, ſed neceſſarium eſſe eadem ratione & eodem gradu quibus crediderunt ea credere exiſtimare, ſcilicet, tanquam ad ſalutem neceſſarium, quod illi ad ſalutem neceſſarium cenſuerunt, & quaſi utile ad ſalutem, quod illi utile exiſtimauerunt, & quod licere credere & fidei non repugnare arbitratj ſunt, id eodem numero habere. Subiungit deinde prolixam & exquiſitam illam diſtinctionem variorum neceſſitatis graduum qui poſſunt & debent in propoſitionibus circa religionem uſurpari. Beaſſet nos doctus ille Præſul ſi ex ea occaſione ad quę fidei capita ea obſeruatio poſſit applicari nos docuiſſet. Sic enim quod hominum maximam partem latet ab eo didiciſſemus, quo videlicet gradu unumquodque fidei Chriſtianæ caput, ſiue ab Eccleſia Romana, ſiue à Veteribus Patribus habendum ſit, quę abſolutè, & quę ſecundum quid & certis quibuſdam conditionibus ſint in religione neceſſaria; quæ prętereà neceſſitate medii, vel neceſſitate præcepti, ut loquitur, neceſſaria ſint, id eſt, quæ obſeruanda ſunt ratione uſus, quod nempe ſint media quę ad ſalutem conducunt, vel ratione pręcepti tantùm, quod imperata ſint ab auctoritate quapiam cui morem genere tenemur: quę deinceps ſint capita illa, quę omnes & ſinguli fideles diſerte credere tenentur, & quæ ſatis ſit in turba & fide implicita credere denique quæ omnibus facienda incumbant, & quæ ſatis ſit probare, facere non ſit neceſſe. Vtcumque ſit, perſpicuum eſt ex iis quæ dicit, ad certò pernoſcendum quid

Perron. in epiſt ad Caſaub.

ſenſerint Patres, & maximè in capitibus quæ hodie in controuerſiam vocantur, oportere ut nobis conſtet quo gradu ea crediderint. Maximè verò factam à Vetere Eccleſia hanc diſtinctionem apparet, ex eo quod eius ſemper magnam atque præcipuam rationem habuit; ultro admiſſis aut reiectis ad ſe accedentibus, primò, ſecundùm ea quæ credebant, aut non credebant, deinde ſecundum varias rationes quibus credebant vel non credebant. Qui enim quæ neceſſaria apud ſe cenſebantur repudiabant, vel qui tanquam neceſſaria urgebant ea quæ probabilia tantùm exiſtimabantur, eos communione ſua mouebat. Qui verò ignorabant, aut in dubium vocabant, vel etiam rejiciebant ea quæ ipſa vera quidem, ſed non neceſſaria cenſebat, maxima ſemper cum benignitate excipiebat. Clarè id patet ex Epiſtola Irenæi ad Victorem Epiſcopum Romanum, apud Euſebium in hiſtoria Eccleſiaſtica. Teſtatur enim Sanctus ille vir, varietatem ſiue diſcrepantiam illam, quæ etiam ante Victorem, de die Paſchatis inter Epiſcopos Aſiæ & Eccleſiam Romanam fuerat, non obſtitiſſe quominus pacem & concordiam inter ſe colerent, adeo ut vel ea de cauſa, vel propter ullas etiam alias varietates, nullus Aſiæ Epiſcopus è communione Romana unquam reiectus ſit. Contra verò Polycarpum, cùm tempore Aniceti Papæ Romam adventaſſet, poſtquam de rebus de quibus inter eos non conueniebat inter ſe diſſeruiſſent, quamuis uterque in ſententia perſtitiſſent, concordiam tamen utrumque illibatam inter ſe ſeruaſſe, unaq; communicaſſe, imò Anicetum præ reuerentia qua Polycarpum proſequebatur, ei conceſſiſſe ut in Eccleſia ſua Euchariſtiam celebraret. Tertullianus libro de præſcriptionibus aduerſus hęreticos poſtulat tantùm ut regula fidei (quam vocat) maneat in forma ſua, & ordine ſuo; qua ſalua concedit cuique quęrere & tractare, & omnem libidinem curioſitatis effundere, quod certo argumento eſt, ipſum in communionem recepiſſe eos etiam qui

Hiſt. Eccl. ſ. Euſ. b. l. 5 c. 24 p. 109. 110. eod. Græ. c. 26. p. 55 56.

Tertull. de præſcript. adu. hæret. 14 cæterum manente forma eius in ſuo ordine q. ã tum l bet quæras & tract es & omnem l bidinem curioſitatis effũdas, &c vide t. de virgnib. vel. c. 1.

qui præter regulam fidei nonnulla alia proferebant, ſed ea lege, ut probabilia tantum cenſerentur neque cum fidei norma pugnarent. Auctor Apologiæ pro Origene, quam ſub nomine Pamphili Ruffinus edidit, idem obſeruat. Cùm enim agnoſcat Origenem quaſdam opiniones priuatas & eas quidem valde alienas & peregrinas vel probaſſe, vel docuiſſe, vel certè in medium protuliſſe, de animę humanæ, priuſquam naſcatur, ſtatu, & de natura aſtrorum, contendit tamen huiuſmodi opinionibus hominem hæreticum non fieri, imò & de his capitibus inter Eccleſię Doctores ſententiis variari. Sed & in ipſa Eccleſia Romana idem etiam diſcrimen apertiſſimè hodie obſeruatur. Feruntur enim in ea Dominicanorum & Franciſcanorum contradictoriæ de conceptione B. Virginis ſententiæ, quam ſine peccato conceptam hi quidem aiunt, illi verò negant. Sed, quod magis mirum videatur, tolerantur eiuſmodi ſententiæ contradictoriæ ſuper quibuſdam capitibus quę, ſi in ſeipſis conſiderentur, maximi cenſeri poſſunt eſſe momenti. Exempli gratia. Poteſt quilibet in Eccleſia Romana credere, Crucem eſſe Latrię cultu adorandam: poteſt etiam ſi videatur in contraria eſſe ſententia, nullo periculo, vel è communione Eccleſię, vel ſpe ſalutis excidendi. Et tamen rem, ut par eſt, expendenti, videri poteſt non de nihilo agi. Si enim prior ſententia vera eſt, qui poſteriorem amplectuntur haud leuiter peccant, dum obiectum adoratione dignum non adorant. Si falſa eſt, qui in ea ſunt longè omnium grauiſſimè peccant, cum ſint horrendæ idololatrię rei. Quid maioris momenti eſt quàm fundamentum ipſum & caput totius poteſtatis Eccleſiaſticæ ſuper cuius authoritate, vertitur fides uniuerſa, & in quam Eccleſiæ totius moles recumbit? Et tamen ſuper tanti momenti argumento ſententiæ contradictoriæ feruntur; aliis Papæ, aliis Conciliò hanc dignitatem tribuentibus. Si illorum ſententia vera eſt, horum fides fundamento errori obnoxio nititur; ſi ho-

Apol. Orig. inter Opera Orig T. 4 p. 236. 237

rum ſententia vera eſt, illorum fides pendet à cauſa non infallibili,ac proinde nulla eſt. Vtriſq; conſulitur dum dicitur interea dum Eccleſia harum ſententiarum neutram de fide eſſe definiit,hæreticum non eſſe qui falſam credat ſicut nec ſimpliciter orthodoxum qui vera amplectatur. Cùm ergo de communione Eccleſiæ agatur, & de ſalute quæ ab ea pendet, pro certo nobis ſtatuendum eſt, quo in ordine ea capita quæ hodie reluctantibus Proteſtantibus obtruduntur Patres habuerint, ſimpliciter ne,vel magis, an minus, ea exiſtimaverint neceſſaria. Quandiu enim de eo liquidò non conſtabit, Proteſtantes, (quamvis concederent (à quo tamen multum abſunt) à Patribus, tanquam vera ea credita fuiſſe, negabunt tamen ſe ad ea credenda obligari, cùm omnes in religione ſententiæ de fide non ſint, earúmque aliæ ſint neceſſariæ, aliæ verò minimè. Contendent item ejuſdem generis eſſe iſta cum iis quæ inter Dominici & Franciſci gregales, interque Sorbonam & Canoniſtas controvertuntur, de quibus cuique, prout libet, apud ſe ſtatuere licet. Firmabunt item reſponſionem ſuam ex eo quod Concilium Tridentinum manifeſtè hanc diſtinctionem inter Patrum ſententias inſtituit: Cùm enim anathema dixiſſet iis qui parvulis neceſſariam eſſe Euchariſtiæ communionem dicunt, declarat tamen, anathema illud nihil ad Patres pertinere qui in ea ſententia fuerunt, quia ſui facti probabilem cauſam, pro illius temporis ratione, habuerunt, nulláque ſalutis neceſſitate id fecerunt. Quod ſi certo quodam gradu quis errare poteſt, & quidem errores à Conciliis damnatos, ſine anathematis periculo ſequitur veritates quaſdam poſſe ignorari, imò & in controuerſiam vocari, nullo itidem periculo. Quis fidem faciet (ſubjicient Proteſtantes) capita quæ repudiamus non eſſe eiuſmodi? Imò licèt vera eſſent, non licere ab iis recedere? Neminem eſſe puto qui jam non videat Eccleſiæ Romanæ doctores ad adverſarios ſuos Patrum auctoritate reuincendos teneri

Perron. Repl. l. 4 in præfat. p. 755.

Conc. Trid. ſeſſ. 21. c. 4. ex. & can. 4.

neri demonſtrare capita quæ controuertuntur, non ſolum ut vera Veteres habuiſſe; ſed etiam ut neceſſaria, & quidem eodem neceſſitatis gradu quo ipſi habent. Videtur autem in hoc maxima verbi difficultas, imò omnium quas ſuperioribus capitibus attulimus longè im[p]editiſſima. Neque mihi alio ad id probandum exemplo opus eſt quam eo ipſo de quo nuper diximus. Patres enim Tridentini. *nulla neceſſitate ſalutis, ſed probabilem tantum ob cauſam* Veteres, parvulos uſu rationis carentes ad Eucharistiæ communionem ſuſcepiſſe decernunt. Atqui non modo magna ſubeſt de hac redubitandi occaſio; ſed ex ipſis Patrum monumentis certò conſtare videtur ipſos, quod Tridentinæ Synodi pace dictum ſit, parvulorum tinctorum communionem planè cenſuiſſe neceſſariam, ſic enim de ea re loquuntur. Auguſtinus primò præfatus, *ex antiqua & Apoſtolica traditione Eccleſias Chriſti inſitū tenere præter Baptiſmum & participationem Dominicæ menſæ, non ſolùm ad regnum Dei, ſed nec ad ſalutem & vitam æternam poſſe quemquam hominum pervenire*, Quod poſtquam (ut quidem ipſi videbatur) ex* Scripturas confirmaſſet, ſubdit. *Si ergo ut tot & tanta Divina Teſtimonia conuincunt, nec ſalus nec vita æterna ſine baptiſmo & corpore & ſanguine Domini* (ſic enim Euchariſtiam ex ſolemni illius ſeculi uſu appellat) *cuiquam ſperanda eſt, fruſtra ſine his promittitur parvulis*, Et tribus antè capitibus, de his apud Ioannem Domini verbis agens. *Niſi manducaueritis carnem meam & biberitis ſanguinē meum nō habebitis vitam in vobis* (quæ tum in eo loco, tum alibi de communione Euchariſtiæ intelligit), fusè diſputauerat ea non minùs ad parvulos quàm ad adultos pertinere. *An quiſquam etiam* (inquit) *hoc dicere audebit, quòd ad parvulos hæc ſententia non pertineat, poſſintq̄ ſine participatione corporis hujus & ſanguinis in ſe habere vitam?* Et ſic conſtāter octo aut decem aliis operum eius locis † quos longum eſſet referre. Innocentius I. Papa æqualis ejus, in eadem fuit ſententia. Nam Baptiſmum parvulis eſſe ne-

Concil. Trid Seſſ. 22. c. 4.

Auguſt. T. 7. l. 1 c. 24. de peccat. merit. & remiſſ.

* Id. T. 2. ep. 106. p. 95. B C. ep. 107. p. 97. D ep. poſt ib. Mar. p. 179. K T. 7. l. 1. cont. Pel. & Celeſt. c. 18. K l. 1. cont. 2. epiſt. Pelag. ad Bonif. c. 22. K. & lib 4 c. 4. H. 8. l. 2. cont. Iul. p. 196. I. V. l. 2. c. 1. B. & c. 12. H. l. de Prædeſt. Sāctor. d P. ſer. c. 13 F G. Hypog. l 5. & 6. p. 188 F. 192. E. T. 9. Tract. 120 i. Ioann. E. T. 10. ſer. 32. de. ve. b. Ap. A. B.

nulla ſit præ iſtis difficultas, Vbi iam hominem qui in opus adeo difficile adeòque intricatum incumbere velit inveniemus; Quis ſibi ſucceſſum non defuturum putet, ubi ejuſmodi Concilium fruſtra fuit? Vel ipſa rei tam arduæ ſpes non videtur arrogantia carere. Primò, quo gradu, ſiue neceſſitatis, ſiue probabilitatis ſuas ſententias habeant perrarò Patres docent, & ſi quando docent, ea eſt ipſorum (quod ſupra monuimus) phraſis atque oratio, ut nonniſi poſt accurratum examen de iis certi quippiam conſtituere liceat. De vltibus, quoties ea ſuadere volunt, tanquam de neceſſariis ferè loquuntur. At ut fidem & ſtudia noſtra à rebus avocent, quas ſimpliciter falſas aut inutiles exiſtimant, de iis ſic loquuntur quaſi planè horrendæ pernicioſæque eſſent. *Siquis* (inquit Ignatius) *Dominicam diem aut Sabbathum, uno excepto*, (eo ſcilicet quod Paſcha antecedit) *jejunarit, hic Criſti interfector eſt*, Quis ad voces adeo tragicas non expaueſcat? Quis non totius religionis Chriſtianæ ſummam agi putet? Atqui de ea tantum obſeruatione agitur quæ & iuris poſitiui eſt, & in vna modò, vt plerique cenſent Eccleſiæ parte vigebat; quæ deniq; adeo non habebatur vſus neceſſarij, vt vix in primo probabilium gradu poneretur, nunc verò etiam prorſus in de ſuetudinem apud Latinos abierit. Hic mos apud Patres frequens eſt, maximè apud Tertullianum, Ambroſium & Hieronymum, qui cùm ingenio ſint feruido ac concitatos quam in partem propendent eo tanto impetu feruntur, vt quos quidem laudant eos inter Angelos, quos verò vituperant, inter Diabolos collocare videantur: Ita quæ credenda putant, non aliter commendant, quàm ſi totidem eſſent Chriſtianiſmi fundamenta, quæ rejiciunt ac refutant, non aliter explodunt quàm ſi merum atheiſmum ſpirarent. Hieronymus certè, ut Furiam, nobilem viduam Romanam à ſecundis nuptiis auocet, non aliter agit quàm ſi eam à patricidio dehortaretur. Hic in memoriam redeant oportet obſcuritatis Patrum cauſæ,

Ignat. ep. 4. ad Philipp. εἴ τις κυριακὴν ἢ σάββατον νηστεύει πλὴν ἑνὸς σαββάτου ..., χριστοκτόνος ἐστί.

Hieron. ep. 10. ad Furiam T. 1. p. 89 91. 101.

(& in primis eorum Rhetorica) quæ hic ſupra omnia alia argumenta locum habent.

Vnica reſtat via qua nobis conſtare poſſit quo loco ac numero ſingula doctrinæ Chriſtianæ capita poſuerint, Symbola nempe, & fidei expoſitiones ſiue totius Eccleſiæ, ſiue ſingulorum, & Conciliorum ſiue conuentuum Eccleſiaſticorum. Probabile enim eſt eos pro neceſſariis habuiſſe ea capita quæ eiuſmodi monumentis conſignarunt, & quorum contraria anathemate inuſſerunt. Hac via conſtare nobis poteſt neceſſaria ab iis habita fuiſſe pleraque ea fidei capita de quibus hodie inter nos conuenit. Iam ab initio quædam expoſuimus, nam pleraque in eorum ſymbolis habentur, & in eorum Conciliis decreta & quæ repugnant diſertè damnata ſunt. Quod verò ad ea capita pertinet quæ hodie controuerſa ſunt vix quicquam hac via promouebimus. Nullum enim eorum, vel in regula illa fidei quam tanti fecit Tertullianus, vel in Symbolo Nicæno, vel in Conſtantinopolitano, vel in Canonibus Epheſinis, vel in Chalcedonenſibus comparet. Primum Conſilium Ario, ſecundum Macedonio, tertium Neſtorio, quartum Eutycheti anathema dixerunt. Dogmata ſunt pleraque ab vtraq; partium recepta. Adde quod ne in duobus quidem ſequentibus Conſiliis habentur controuerſa hodie capita; Non in ſecundo Conſilio Conſtantinopolitano, in quo damnata ſunt Theodori, Theodoreti & Ibæ ſcripta quædam, vt à nobis ſupra dictum eſt. Non in Conſtantinopolitano III. A.D. 681. contra Monotheletas habito. Et tamen ſex illa priora Conſilia, ſi ſeptimi patribus fides habeatur, *confirmarunt & conſtituerunt quæcunque à principio temporum, ſiue ſcripto, ſiue traditione non ſcripta Eccleſiæ tradita ſunt.* Vnde ſequeretur ea fidei capita, quæ in iis non habentur, neque ſcriptis, neque alia ratione à principio tradita fuiſſe. Octauo demum ſeculo, eoque; admodum adulto, in apertum erumpit ex capitibus controuerſis vnum, de imaginibus, ſcilicet quod

Synod. 7 Act. 6. Refut. Synod Iconocl. Concil. general. T 3. p. 6. πάντα τὰ παραδοθέντα ἐν τῇ καθολικῇ ἐκκλησίᾳ ἐγγράφως καὶ ἀγράφως ἀπ᾽ ἀρχῆθεν χρόνων αὐτῶν (ſex Synodi œcumenicæ) ἐβεβαίωσαν καὶ ἐστήριξαν.

quod variè & contradictoriè deciſum & determinatum eſt in Synodis Conſtantinopolitana, Nicæna & Franco-furtenſi. Synodorum enim illarum ſecunda uſum & cultum quem prima aboleuerat reſtituit, tertia verò ea in quibus utraque modum exceſſerat aliquomodo cortexit. Imò in ſcriptis ſingulorum, quæ pleraque ſolent eſſe longè fuſiora canonibus Synodorum, de capitibus illis altum eſt ſilentium. Epiphanius opus ſuum aduerſus hæreſes duabus clauſit diſſertationibus. Alterâ mores & diſciplinam Eccleſiæ temporis ſui refert, in qua multa, ab inſtitutis quæ hodie apud noſtrum utroſque ſunt in uſu, diſcrepare ultro fateor. Altera fuſa fidei Eccleſiæ expoſitio continetur, quam ſanctus ille Antiſtes vocat *veritatis firmamẽtum, immortalitatis ſpem & confirmationẽ.* Et tamen ex omnibus capitibus quæ hodie ſunt in controverſia, nullum ibi animaduertere eſt, præter localem Chriſti ad inferos deſcenſum, quod quàm parui ſit momenti omnes norunt. In Actis VI. Synodi extat Sophronij Patriarchæ Conſtantinopolitani epiſtola Synodica, in qua, pro more, fuſiſſimè & ſigillatim fidem exponit, & tamen ne unum quidem capitum hodie controverſorum ponit. Qui hæc attentiùs obſervabit & conſiderabit, ex eo ſilentio argumentabitur, capita iſta in Eccleſiæ fide tum temporis nulla fuiſſe, neque ut videtur abſque rectâ ratione. Mihi verò ſatis eſt ſuperioribus concludere quod inſtitui, eſſe, ſi non omnino impoſſibile, ſaltem difficillimum, conſtituere quo gradu, ſiue neceſſitatis, ſiue probabilitatis Veteres Patres unum quodque caput eorum quæ hodie controvertuntur habuerint, quandoquidem ea neque in fidei ſuæ expoſitionibus, neque in Conciliorum ſuorum canonibus, qui ſunt veluti catalogi eorum quæ neceſſaria cenſuerunt, unquam poſuerunt.

Epiph. in Pã. l. 3. T. 2. p. 1103. & in Anacephal. p. 1154. Ibid. p. 1096. & ſeqq.

Caput IX.

Ratio IX. *Neceſſarium eſſe ut nobis conſtet ratio, non ſolum de unius aut plurium Patrum, ſed etiam de totius veteris Eccleſiæ ſententia; quod difficillimum eſt, pernoſcere.*

QVi SS. Patrum plurimi ſcripta faciunt, quique ea in controverſiis ſæpiſſimè adhibent monent ſententiæ eorum pondus & pretium ex eo eſſe quod ſint totidem publicæ & communis Eccleſiæ fidei teſtimonia, cui ſoli ſummam in judicando auctoritatem tribuunt. Singulos enim ſi ſeorſum conſideres, quatenus unius ſui ingenii viribus nitebantur, potuiſſe eos falli non negant. Inde autem ſequitur, ut eorum ſententiæ nobis uſui eſſe poſſint, non ſatis eſſe ut nobis conſtet eorum revera eſſe, eumque eſſe ſenſum qui dicitur, ſed opus eſſe etiam ut certò ſciamus, num cum ſui temporis Eccleſia ſenſerint. Quemadmodum Senatoris unius ſententia vim Senatuſconſulti non habet, niſi eadem ſit totius, vel certè maximæ partis Senatus, ſententia. Atque hinc in novas difficultates relabimur. Vnde enim & qua ratione nobis conſtabit Eccleſiam, quæ Iuſtini, Hieronymi, vel Auguſtini temporibus in terris militabat eadem in omnibus de religione ſenſiſſe cum unoquoque eorum? Non repugno quin ii magna charitate arſerint, ſummoque ſtudio corpus & fidem Eccleſiæ ubicunq; ea occurrebat amplexi ſint. Sed in capitibus, de quibus quid ſuæ eſſet ſententiæ nondum ſignificaverat, non poterant illi, ut ut maximè vellent, ejus auctoritatem pro ſuæ ſententiæ norma ſequi. Cùm ergo agunt de rebus judicatis, & diſertè & poſitivè ab Eccleſia Chriſtiana ſiue ſui ſeculi, ſiue ſuperiorum receptis & creditis, vehementer probabile eſt eos cum illa ſentire, adeo ut in ejuſmodi capitibus eorum

ſen-

ſententia pro fidei Eccleſiæ teſtimonio poſſit haberi. Eos enim documenta Eccleſiæ publica ignoraſſe, aut cognita ſecutos non fuiſſe, parum fit veriſimile. Exempli gratia, cum Athanaſius, Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus & alij de Filio Dei agunt, fidem ſententiàmque Eccleſiæ in his ſequuntur, nam de hoc capite certa & indubitata erat Eccleſiæ ſententia, adeo ut quicquid de eo dicunt pro fidei Eccleſiæ teſtimonio habendum ſit. Eadem eſt ratio reliquorum omnium capitum, ſeu de iis conſtituiſſent Concilia univerſalia, ſeu in Symbolis haberentur, ſeu in quocunque alio publico fidei Eccleſiaſticæ monumento extarent. Si intra hos limites ſe Patres continuiſſent, neque ad alia, de quibus non haberetur certum Eccleſiæ judicium, uuquam excurriſſent, generalis eſſet hæc regula, ſtatimque ac aliquid apud ipſos occurreret, pro totius ipſorum temporis Eccleſiæ ſententia haberi poſſet. Verum ingenij humani curioſitas, hæreſeῶn impudentia, & ſeu ipſorum, ſeu aliorum conſcientiæ infirmitas, variæque aliæ cauſæ, partim volentes abripuerunt, partim vel invitos compulerunt coegerùntque longiùs progredi, in rerum nondum univerſali & publico omnium Chriſtianorum conſenſu conſtitutarum veritate inquirenda; qua quidem in inveſtigatione neceſſe habuerunt ingenii ſui luce uti, & in medium privatam ſuam ſententiam afferre, quam quæ ſubſecuta eſt Eccleſia deinceps vel amplexata eſt vel repudiauit. Neque verò neceſſe eſt in hac obſervatione probanda immorari quæ apud utroſque in confeſſo eſt, & ex qua ipſi Eccleſiæ Romanæ doctores paſſim varios è Patribus objectos locos ſolvunt. Bellarminus in primis, qui Ioannem Papam XXII. hac ratione excuſat: docuerat is animas Deum non viſuras, niſi poſt reſurrectionem. Reſpondet id tum licuiſſe ſine periculo hæreſeωs, cùm nulla adhuc præceſſiſſet Eccleſiæ definitio. Eandem medelam adhibet Nicolai I. ſententiæ parum (ut vel ipſe judicat) probabili, contendentis Ba- *Bell. de Rom. Pontif. l. 4. c. 14. §. Reſpondeo in primis.*

ptiſmum in nomine Ieſu Chriſti, tacitis reliquis S. Trinitatis perſonis, collatum valere. *Non invenitur* (inquit

Id. ibid. c. 12 §. Reſponceo Nicolaum.

Bellarminus) *ulla certa definitio Eccleſiæ de hac re.* Et quantumlibet periculoſa & proximè ad hæreſin accedens ei videatur eorum opinio, qui exiſtimant Papam Romanum poſſe hæreticum fieri, Adriano tamen ut ita ſentiat concedit, neque eum hoc nomine inter hæreticos cen-

Ibid. 2. §. ult. ex his.

ſer, quod de eo capite nihil adhuc Eccleſia certi definiviſſet: Idem in alia magni momenti controverſia, de libris Canonicis Veteris Teſtamenti, cùm urgeretur auctoritate Hieronymi, qui Tobiam, Sapientiam, Eccleſiaſticum, & Maccabæos è canone rejicit adverſum Eccleſiæ Romanæ ſententiam, quæ eos pro canonicis haberi jubet, eadem ratione ſe expedit. *Admitto igitur* (inquit)

Bel. de Verbo Dei l. 1. c. 10. §. ultimo.

Hieronymum in ea fuiſſe opinione, quia nondum generale Cōcilium de his libris aliquid ſtatuerat. Cùm ergo liquidò conſtet, cùm ex conſenſu partium, tum ex rei ipſius conſideratione. Patres priuatas ſuas opiniones plurimas in medium attuliſſe, quáſque non aliunde quàm à ſeipſis habuerant, neque ex Eccleſiæ Schola hauſerant, quis non videt, antequam eorum ſententiis fidem habeamus, oportere ut nobis conſtet cujuſnam indolis ſint, an ex ſua ipſorum privata, an verò ex recepta ſui ſeculi ſententia locuti ſint, cùm nemo non agnoſcat, quæ prioris ſunt ordinis, neceſſariò à nobis fidem non expoſcere, quod hujus generis pleraque poſſint, imo & nonnulla debeant, nulla religione repudiari? Hieronymum Sanctorum mortuorum reliquias religioſè venerantem Proteſtanti objicis. Quid ſcio (inquit ille) annon hæc privata Hieronymi ſententia fuerit? Si Bellarminum hujus Patris auctoritas (quod nulla ſcilicet Eccleſiæ declaratione niteretur) non permovit, ut in ejus de Veteris Teſtamenti Canone ſententiam concederet cur mihi hæc eiuſdem ſententia, nullo alio fundamento nixa, ſuadebit venerandas colendáſque reliquias? Idem & quidem admodum probabiliter variis ex Patribus petitis teſti-

monii

moniis obijcere licet. Itaque & ad confirmandum fidem tuam; & ad præcludendum adverſario hoc effugium docendum eſt in primis, quam profers Patris cujuſvis ſententiam, non eius priuatam, ſed totius in qua floruit Eccleſiæ communem fuiſſe, quod meo iudicio maxima parte non minùs difficile eſt demonſtrare, quàm quicquid eorum de quibus hactenus diſſeruimus. Media enim quibus facilè huiuſmodi cognitionem conſequamur deſunt nobis, ſi qua verò ſuperſunt, ea ut plurimum infirma ſunt & parum valent. Si quid inter duo hæc ſententiarum genera diſcriminis Patres ſtatuiſſent, ſingulíſque locis quid à ſe, quid ab Eccleſia haberent monuiſſent, vel ſaltem alterum tanquam dubium, alterum verò tanquam certum propoſuiſſent (quod nonnunquam facit Origenes) graui nos difficultate liberaſſent; *Infra lib. 2. c. 1.* tametſi ne ſic quidem omni nos labore leuaſſent, quod ii, ut alibi docebimus, ea Eccleſiæ nonnunquam tribuant, à quibus illam alienam fuiſſe conſtat: Sed hanc illi diſtinctionem perrarò adhibent & priuatas ſuas ſententias eadem fiducia qua publicè receptas obtrudunt; Imò nonunquam, quod omnibus rerum quarumlibet auctoribus à natura inditum eſt, vehementiùs quæ ſuo marte percepere, quàm ea quæ aliunde habent commendant. Sic pauca apud eorum unumquemque occurrunt quæ nobis in hoc argumento facem præferant. Supereſſet alia via vt ſcilicet quæ hinc inde docent ea cum ſententiis publicæ in Eccleſia receptis conferremus, eàq; ſanè & compendioſa & certa foret, ſi, præter ipſorum libros, extarent perſpicua & indubitata monumenta eorum omnium quæ ad fidem pertinere ſingulis ſeculis credita ſunt? Hæc verò ſi extarent ne neceſſe quidem eſſet in evolvendis Patrum ſcriptis tempus & operam ponere, quæ profectò non alio conſilio verſamus niſi ut inde diſcamus quid Veteres Chriſtiani de omnibus iis religionis capitibus ſenſerint quæ inter nos hodie controvertuntur. Verùm nemo neſcit hanc viam nobis

obſtructam eſſe. Nam ſi Symbola & Canones ſex priorum Conciliorum vniverſalium & quarumdam Synodorum provincialium exceperis, nulla hujuſmodi nobis monumenta ſuperſunt. At (vt ſuperiori capite à nobis jam dictum eſt) neque in Symbolis, neque in Canonibus Conſiliorum, quid ſuæ eſſet ſententiæ, ſuper capitibus hodie in religione controverſis Eccleſiæ declarauit. Sequitur ergo hac via non poſſe nos ſcriptis Patrum priuatas eorum ſententias ab iis ſecernere quæ, vnà cum cæteris Chriſtianis, communi ac publica fide crediderunt. Quod ſi nobis ex Scriptore aliquo fide digno conſtaret hæc ipſa, quę hodie in quæſtionem vocantur, olim á Vetere Eccleſia fuiſſe deciſa in eius ſententiam Patres conceſſiſſe admodum veriſimile foret, ſicque licèt decreta ipſa non extarent, nihilominus Patres, quibus ea nota & credita fuiſſent, eorum ſenſum in ſcriptis ſuis nobis tradidiſſe exiſtimare aliquomodo teneremur, At nullos eſt Auctor apud quem ſimile quid occurrat; contra verò ipſa totius Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſeries docet liquidò prioribus Chriſtianiſmi ſeculis nihil huiuſmodi agitatum fuiſſe, tantum abeſt ut aliquid ſuper his controverſiis vetus Eccleſia pronunciarit, unde apparet, ſi quæ apud Patres occurrunt, quæ ad eas pertinere videantur, ipſos, non ex Eccleſię documentis (quæ nondum quid ſuper iſtis capitibus ſuæ eſſet fidei notum feceat) ſed ex proprio ſenſu, priuatáque ſua ipſorum meditatione hauſiſſe. Fruſtrà hic objeceris, licèt ex unius & alterius Patris teſtimonio conſtare non poſſit de ſententia Eccleſiæ. attamen plurimos Patres ejuſce rei idoneos eſſe teſtes, Primò enim Canus auctor eſt Latinos non *multos*, non *plurimos*, ſed OMNES Patres requirere; *Tridentina* (inquit) *Synodus communem TANTVM OMNIVM Patrum intelligentiam pro certa veri norma habendam definivit.* Si ita eſt nullum unquam hæc diſquiſitio exitum habitura eſt. Quis enim Patrum ulla de re hodie controverſa ſenſum OMNIVM explorare poteſt

De loc. Theol. l. 7. c. 3. cõ. luſ. 5.

teſt? cum eorum ne millesima quidem pars quicquam litteris mandaverit; qui verò ſcripſerunt aliquid, ij vel interciderint, vel de paucis, certò rari de omnibus religionis capitibus ſcripſerint; Sed etſi non omnium quidem (quod haberi non poteſt) ſed plurium tamen teſtimonium teneamus, idcirco clara erit atque comperta Eccleſiæ veteris fides. Nam ſi uni & alteri accidere potuit, ut ad privatas aliquas opiniones delaberentur; profectò nihil vetat, quo minus alij, etiam fortaſſe multi, ſeſe iis comites addiderint, & propria præeuntium placita ſequuti fuerint. Huc accedit quod cum illius temporis Eccleſia quid ſuæ eſſet ſententiæ ſuper capitibus hodie controverſis nondum aperuiſſet; profectò non plures magis, quàm pauci id eo tempore nobis exhibere potuerunt. Quî quod adhuc latebat vidiſſent; quî ex norma quæ nondum apparebat, de fide ſua conſtituiſſent? Chiliaſtæ non unius aut alterius patris teſtimonia congerunt, ſed frequentiſſimos eoſque celeberrimos & antiquiſſimos auctores ſecum, ut infra videbimus, ſentientes adducunt. Reſpondent pleriq; cùm tum temporis nihil dum ſuper hoc capite Eccleſia ſtatuiſſet, horum pronuntiata fidem non facere. *Lib. 2. cap. 4. extremo.* Vnde liquet nobis non magis ex magno quàm ex exiguo Patrum numero de fide Eccleſiæ conſtare, neceſſariùmque eſſe ut ea in Concilio univerſali, vel alia quapiam ratione ſuam de qualibet quæſtione mentem ipſa ſignificauerit priùs quam ſciamus idem ne de ea ſenſerint Patres, nec ne. Quæ cùm ita ſe habeant, nobis de ſuis tumulis ſuſcitanda erit tota vetus Eccleſia, dèque ſingulis quæſtionibus interroganda, ad quas definiendas ſingulorum hodie Patrum teſtimonia afferuntur: Neque enim certò aliter ſtatuere licebit, an quæ de illis apud eos occurrunt priuatorum an totius Eccleſiæ ſint ſententiæ, id eſt, idoneæne ſint quæ fidem faciant an ſecus. Vnde quivis, vel mediocri judicio præditus, nullo negotio intelligere poteſt, non tantùm difficile eſſe, ſed planè impoſſibile

eam ex ſcriptis Patrum elucidationem haurire quæ ad omnes in tanti momenti rebus ſcrupulos ex animis noſtris evellendos idonea ſit.

CAPVT X.

Ratio x. *Aegerrimè ſciri poſſe num Patrum de hujus ſeculi controuerſiis ſententiæ ab Eccleſia vniuerſali, an ab eius parte tantùm receptæ fuerint. Id ipſum tamen ſcitu perneceſſarium eſſe, vt locorum qui ex iis proferuntur vſus aliquis apud nos eſſe poſſit.*

AT ſi ex difficultatibus iſtis præter ſpem omnem Patris alicujus beneficio emergere concederetur, ex eóque ſtatuere poſſemus, non modo quid ipſe, ſed quid ejus temporis Eccleſia de fide ſenſiſſet, nondum tamen omnibus ambagibus, incommodíſque defuncti eſſemus. Nam præter quàm quòd Patrum in his aſſertionibus fides non raró titubat; ſi vel hujus qui de communi Eccleſiæ ſententia teſtabitur, certa & indubitabilis auctoritas fuerit, illud tamen inſuper inquirendum ſupererit, quænam fuerit ea Eccleſia quam dicit, num univerſalis, an particularis tantùm, num totius orbis, an urbis unius, provinciæ, regioniſve. Id levis non eſſe momenti vel ex eo apparet, quod Eccleſiæ univerſalis, de fide opiniones infallibiles & neceſſariò veræ habentur, cùm de Eccleſiis particularibus idem non ſit judicium, obnoxiæ enim errori cenſentur. Cùm ergo hic de fide agatur, eámque fundamento inconcuſſo niti oporteat, nobis in primis neceſſe eſt de univerſalis Eccleſiæ ſententia conſtare, quod in hoc argumento parum valeat ſingularum ſeorſum Eccleſiarum ſententia. Hanc autem Eccleſiæ univerſalis à particulari diſtinctionem neceſſariam eſſe

ex

ex eo manifeſtum eſt, quòd cùm opiniones, tum mores & inſtituta paſſim & apud pleroſque Chriſtianos recepta, non ſemper tamen in quibuſlibet particularibus Eccleſiis locum habuerint, ut nec, quæ in particularibus quibuſdam Eccleſiis in uſu fuerunt, eundem apud reliquas omnes obtinuerint· Sic ex hiſtoria conſtat Eccleſias minoris Aſiæ alio quàm cæteros Chriſtianos die Paſcha celebraſſe; idque licèt parvi, ut videtur, momenti non minimas tamen turbas dedit. Victor enim P. R. tantilli diſcriminis cauſa Aſiam excommunicauit. Partium ſingulæ ſuas rationes afferebant, traditionémque Apoſtolicam, tantáque animorum contentione ſententiam ſuam utræque confirmabant, ut cum univerſali Eccleſia ſingulæ ſentire exiſtimari potuerint; Cùm tamen unius tantùm partis ea eſſet ſententia. Maxima Chriſtianorum pars hæreticorum Baptiſmum valere exiſtimabat, neque eos qui abdicata hæreſi in communionem ſuam concedebant rebaptizabat, ut ex eo patet quod Cyprianus agnoſcit in ipſis Africæ Eccleſiis eum morem aliàs obtinuiſſe. Et tamen ex omni ætatum memoria in contraria fuiſſe cùm ſententia, tum praxi Cappadociæ Eccleſias teſtatur Firmilianus, ipſe Cappadocum Cæſareæ Archiepiſcopus; imò idipſum cum Galatiæ & Ciliciæ Eccleſiis in media Synodo Iconij habita definiuiſſe; eodémque ferè tempore Cyprianus cum Africæ Epiſcopis eam ſententiam palam profeſſus eſt. Extant etiamnum Acta Synodi Carthaginenſis in qua 87. Epiſcopi, unanimi ſuffragio, id ipſum conſtituerunt. Tertulliano ſuperſtite Romæ ſcortatores & adulteri, pœnitentia quadam, quæ ipſis imponebatur, defuncti, ad Eccleſiæ communionem admittebantur, Tertullianus, Montaniſta factus, reclamat vehementiſſimè, librúmque, qui etiam num extat, pro contraria ſententia edidit. Quis eum legens non exiſtimet apud omnes tum Catholicos uſu receptum fuiſſe huiuſmodi peccatores ad pœnitentiam & pacem Eccleſiæ admittere? Et tamen ex qua-

Euſeb. Hiſt. Eccleſ. l. 5. c. 23. 24 p. 55. A. cod. Græc.

Cypr. ep. 71. p. 178. A. item e 75. (quæ eſt Firmil.) p. 203. B

Fir. ep. ad Cyprian quæ eſt 75. inter ep. Cypriani. p. 200 B & 201. B.

Cæterum nos veritati & conſuetudinem iungimus & conſuetudini Romanorum conſuetudinem ſed veritatis opponimus, ab initio hoc tenentes quod à Chriſto & ab Apoſtolis traditum eſt. &c.

Cypr. ep. ad Anton. p. 99. B. Petavius Not. in Epiph. p. 228. & 251.

dam Cypriani epiſtola conſtat nonnullos Catholicos Africæ Epiſcopos in contraria ſententia fuiſſe. Imò Ieſuita Petavius exiſtimat ad lenitatem illam nonniſi tardiùs & longo poſt tempore Hiſpanienſis Eccleſiæ Antiſtites infractos fuiſſe, & priſtinam ſeveritatem, quæ ejuſmodi peccatores ex Eccleſiæ communione in perpetuum rejiciebat, ad Paciani Barcinonenſis Epiſcopi uſque tempora inter eos viguiſſe, qui veniæ & abſolutionis Eccleſiaſticæ ſpem omnem præcidit idololatris, homicidis & adulteris, vt cuilibet ex ejus ad pœnitentiam

Pacia Paræneſ. ad Pœnit. T. 3 Biblioth. SS. Patr. p. 71. C. D. Concil. Laodic Can. 59. in Cod. Eccl. univ. 163.

Parænesi conſtare poteſt. Anno Domini 364. Synodus Laodicena decernit ut Eccleſiis libri qui ſunt extra canonem non legantur, ſolos canonicos Veteris & Noui Teſtamenti legendos definiens, quos deinde recenſet, Veteri Teſtamento nonniſi viginti duos adſcribens, ſuppreſſis iis, quos Cardinalis Perronius *poſthumos* vocat, Eccleſiaſtico, Sapientia, Macchabæis, Iudith, & Tobia. Et hic quidem Canon cum reliquis ejuſdem Concilij Canonibus inſertus fuit in Codice Eccleſiæ univerſalis, in quo hic habetur num. 163. adeo ut non minùs quàm cæteri pro Eccleſiæ catholicæ norma habitus ſit. Quis ergo hanc Canonis Scripturarum declarationem tum temporis ab omnibus Chriſtianis Eccleſiis receptam certò non patet? Non ſic tamen viſum eſt Patribus Africanis, Carthagine in Sinodo congregatis, Anno Domini 397. Nam inter libros quos in Eccleſiis legi concedunt Macchabæos, Iudith, Tobiam, Eccleſiaſticum & Sapientiam recenſent, hóſque duos poſtremos Salomoni adſcribunt. Quis neſcit, controverſiam quæ prioribus ſeculis fuit inter Occidentis & Orientis Eccleſias, de ieiunio Sabbathi, illis fas eſſe, his verò nefas eſſe ſabbatho ieiunare contendentibus? Vnde præfractus ille Synodi Conſtantinopolitanæ In Trullo canon; *Quoniam intelleximus in Romanorum civitate, in ſanctâ Quadrageſima diebus, præter Eccleſiaſticam nobis traditam conventiam, Sabbathis ieiunari, viſum eſt ſanctæ Synodo ut in Romana Eccle-*

Concil. Carthag. 3. can. 47.

Vide Petav. in Epiph. p. 359.

Eccleſia inconcuſſe obſervetur Canon qui dicit· Si quis clericus,inveniatur in Sancta Dominica die *ieiunans, vel in ſabbatho præter unum & ſolum deponatur. Si verò eſt de plebe, communione moveatur.* Nemini ignotum eſt quàm varia fuerit apud diverſas olim Eccleſias jejunij ante paſchalis ratio; quod vel ex ſanctiſſima illa Irenæi ad Victorem P.R. epiſtola intelligitur, cujus partem Euſebius hiſtoriæ ſuæ inſeruit. Quis neſcit Græcæ Eccleſiæ de libero arbitrio & prædeſtinatione ſententias & voces plurimum ab iis differre quæ univerſa Eccleſia de his capitibus, cùm vivente, tum etiam mortuo Auguſtino credidit & docuit; Iam quod pertinet ad Diſciplinam Eccleſiaſticam hæc habet Anaſtaſius ad Canonem VI. Concilij VII generalis, quo præcipitur Metropolitanis, ut ſingulis annis prouinciarum Synodos convocent. *Non te moveat,* inquit, *ſi hanc definitionem minimè nos habeamus, cùm inter earum nonnullas quas inter canones habemus in auctoritatem non recipiamus ſicut quaſdā ex Conciliis. Aliæ namque apud Græcos tantùm: aliæ verò apud certas tantùm provincias in obſervantiam Eccleſiarum aſſumuntur. Sicut Laodicenſis Concilij 16. & 17. Regulæ, quæ apud Græcos tantum ſervantur, & Africani Concilij 6. & 8 Capitula quæ nulla provintia ſervare niſi Africana dignoſcitur.* Poſſem huc multa alia exempla congerere, ſed hæc ſufficiunt, ut doceamus ſententias & conſuetudines, à quibuſdam Eccleſiis receptas, non ſtatim omnium fuiſſe. Vnde ſequitur non quæcunque conſtat de ſententia aut diſciplina Veteris Eccleſiæ fuiſſe, ea ſtatim pro lege vniverſali habenda. Probaturi Proteſtantes ſententiam ſuam de Canone Scripturarum, Synodum Laodicenam, de qua ſupra, in medium afferunt, Tu reſpondes eam fuiſſe Eccleſiarum ſententiam reuera, ſed quarumdam tantum & particularium. Nunc non quæro, vera ne ac firma ſit tua hæc reſponſio, nec-ne. Satis eſt quod ex ea evidenter ſequitur tibi, priuſquam Patris cujuſpiam ſententia in rem tuam uti poſſis, ante omnia probandum eſſe, non ſolùm

Synod. Qui in ſext can. 55.
ἐπειδὴ μεμαθήκαμέν τινας ἐν τῇ Ῥωμαίων πόλει ἐν ταῖς ἁγίαις τῆς τεσσαρακοστῆς ἡμέραις καὶ ἐν τοῖς ταύτης σαββάτοις νηστεύειν, παρὰ τὴν ἐκκλησιαστικὴν ἀκολουθίαν, ἔδοξε τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ ὥστε κρατεῖν καὶ ἐπὶ τῇ Ῥωμαίων ἐκκλησίᾳ ἀπαρασαλεύτως τὸν κανόνα τὸν διαγορεύοντα· εἴ τις κληρικὸς εὑρεθείη τῇ ἁγίᾳ κυριακῇ νηστεύων, ἢ τὸ σάββατον, πλὴν τοῦ ἑνὸς μόνου, καθαιρείσθω· εἰ δὲ λαϊκὸς ἀφοριζέσθω.

Iren. ap. Euſeb. Hiſt. Eccleſ. l. 5. c. 26. p. 55. 56. Cod. Græ.

Anaſt. Bibliotb. ad can. 6. Con. VII. gener. p. 68. T. 3.

quod is cum ſui temporis Eccleſia ſenſerit, ſed eam, cum qua ſentit, Eccleſiam vniverſalem fuiſſe, non particularem tantùm. Proteſtantibus objicis Epiphanium teſtari Eccleſiam ad ſummos Preſbyterij, Epiſcopatus, &c. ordines non niſi cœlibes, aut qui ab uxoribus abſtinerent, admiſiſſe. Vt valeat hoc eius teſtimonium in primis docendum eſt Eccleſiam eſſe univerſalem de qua iſtic Epiphanius verba facit. Nam (inquient Proteſtantes) ut tu apud Laodicenos ſingularem fuiſſe contendis de Scripturarum Canone opinionem; quidni fieri potuit ut Cyprus ſuas quoque habuerit proprias ac peculiares de Clericorum ordinatione conſtitutiones? Eadem eſt cùm rituum & obſervationum tum ſententiarum Veteris Eccleſiæ ratio. Quàm autem difficile ſit res adeo confuſas explicare, publicum à privato, provinciale à nationali, nationale ab univerſali ſecernere, quilibet poteſt ſecum reputare, nemo tamen niſi expertus intelligere. Fac animo obverſetur civitas à mille annis ſolo æquata, cujus nihil præter rudera huc illuc diſperſa ac diſſipata ſuperſit, cætera dumis, vepribus & ſpinis obſidentibus. Tum finge hominem qui ubi publicæ, ubi privatæ ædes, qui illarum, qui harum lapides fuerint, diſtinctè tibi oſtendere tibi aggrediatur, ac in confuſis indigeſtiſque iſtis acervis, in quibus omnia ſimul permixta jacent, alia ab aliis ſecernere, & ordine cuncta ſuo collocare moliatur. Non abſimile mihi videtur ejus conſilium qui velit certò inter Veteris Eccleſiæ ſententias diſtinguere. Antiquitas illa jam vndecim aut duodecim ſeculis effluxit, ex ea nihil præter parietinas & rudera in Scriptoribus illius ævi nobis ſupereſt: quæ verò reſtant iniquiſſimè à tempore accepta ſunt, ut ſupra oſtendimus. Quî audemus in tam incondita rerum farragine ſpectare, ut ea quæ publicis templis ornamento fuere, ab iis ex quibus priuata ſacella conſtructa fuere internoſcantur? Maximè cùm privati quique ambitioſè ſtuduerint quæ ſua erant pro publicis venditare. Quæ enim Provincia, quæ Ciuitas,

Epiph. Hæreſ. 59. T. 1. pag. 496.

uitas, quis Doctor non ſua pro Apoſtolicis, priuata pro publicis, propria pro communibus venditauit? Quis non laborauit, ut ſui ſuorumque vel ſenſus vel ritus pro univerſalibus haberentur? Hieronymus quidem id ſtudium velut pium omnibus permittit. *Vnaquaque provincia* (inquit) *abundet in ſenſu ſuo, & præcepta Majorum leges Apoſtolicas arbitretur.* Agere ipſum de quibuſdam rerum per ſe adiaphorarum obſervationibus non nego, ſed quod in rebus ejuſmodi largitur, in omnibus uſurpatum eſt. Nolo hic alias rationes perſequi ſigillatim, quæ hanc inveſtigationem difficilem efficiunt; magna enim eorum pars quæ hactenus deſſerui huc referenda eſſet. Nam ſi, ut docuimus, quis Veterum ſenſus ſit Scriptorum liquidò pernoſcere difficile ſit; longè difficilius erit certò conſtituere, an opiniones eorum Eccleſiis in quibus vixerunt propriæ & peculiares fuerint, an verò univerſales eo quo floruerunt ſeculo. Quæ enim in illo tenebras offundunt, poſſunt & in hoc locum, eúmque majorem obtinere. Si animus ſit liquidò peruidere quàm laborioſum ſit hoc opus, pellege, ſodes virorum utriuſq; religionis doctorum ſuper hujuſmodi argumentis diſſertationes; Tanta occurret dubitationum, opinionum ac contradictionum varietas, ut ſtatim ſis intellecturus inter difficultates quæ Antiquitatem evolventibus negotium faceſſunt hanc inter principes connumerandam.

Hiero. ep. 28. ad Lucin. T. 1. p. 218. A.

Capvt XI.

Ratio xi. *Fieri non poſſe ut ſuper vllo eorum capitum quæ ſunt hodie in controverſia clarè liquidóque pernoſcamus quæ totius Veteris Eccleſiæ, ſiue vniuerſalis, ſiue particularis ſententia fuerit.*

Antequam ad alteram partem nos conferamus non videtur à propoſito noſtro alienum ut hoc poſtremò moneamus; ſi vel cæteræ hactenus commemoratæ difficultates, quæ & multæ & arduæ ſunt, nullæ eſſent, haudquaquam tamen ex Patrum libris certò ac liquidò intelligi poſſe,quæ veteris olim Eccleſiæ ,ſiue Vniverſalis, ſiue etiam alicuius particulatis, fuerit de hodiernis controverſiis ſententia. Cuius propoſitionis ut veritas pateat termini quibus conſtat explicandi ſunt. Qui Eccleſiam dicunt, (maximè in hiſce controverſiis) ij vel omnes eos intelligunt qui ſe in Eccleſiæ communione viuere profitentur, cuiuſcunque ſortis & dignitatis ſint, vel certè, ſenſu minùs lato, eos omnes qui Eccleſiæ præſunt, eamque repræſentant, id eſt, Clerum. Siue de Eccleſia univerſali ſermo ſit, ſeu de aliqua particulari, ut exempli gratia de Gallicana, aut Carthaginenſi, ex voces utroque hoc ſenſu accipi poſſunt. Nam per Eccleſiam univerſalem intelliguntur, vel in genere omnes qui Eccleſiæ Chriſtianæ communionem amplectuntur, ſive clerici ſint, ſiue laici, ſiue clerici ſoli, ſiue Eccleſiaſtici, ut hodie quidem eos dici mos obtinuit. Nam prioribus Chriſtianiſmi ſeculis *Eccleſiaſtici* vocabantur omnes Chriſtiani qui in Catholicorum communione vitam inſtituebant. Ita quoque Eccleſiæ Carthaginenſis nomine ſignificantur,vel in genere omnes fideles in peculiari Eccle-

Eccleſiæ Carthaginenſis communione viventes,vel,ſenſu anguſtiori, Epiſcopus Carthaginenſi cum toto ſuo clero. Iam ſi priori ſenſu Eccleſiæ nomen ſumatur, vix quemquam fore puto qui contendat nobis ex teſtimoniis certò conſtare poſſe quæ ſingulis ſeculis Eccleſiæ fuerit de omnibus Chriſtianæ religionis capitibus ſententia. Poſſumus quidem,quæ verorum Eccleſiæ membrorum fides fuerit, rationando colligere. Cùm enim capita quædam ſint ad conſtituendum ejuſmodi hominem neceſſariò requiſita, omnino neceſſe eſt hæc ipſa veram Eccleſiam, ſiue univerſalem, ſiue particularem credidiſſe. Enim verò id in primis non ad omnia religionis capita refertur,ſed ad ea tantum quæ ſunt neceſſaria,præter quæ multa ſunt alia de quibus diſſentire licet,ſalva, non ſolùm Eccleſiæ communione, ſed & hæreditatis æternæ ſpe.Deinde ejuſmodi ratiocinatio non valet niſi eorum ratione qui ſunt genuina Eccleſiæ membra. Qui verò Chriſtiani, non reuera, ſed ſola tantùm profeſſione ſunt, eos profectò neque ſervari, neque ea fide quæ ad ſalutem requiritur præditos eſſe,neceſſe eſt. Poſſunt ſub ejuſmodi larua omnis generis opiniones, etiam maximè impiæ,latere.Denique quod maximè ad rem noſtram facit,hæc cognitio ratiocinatione paratur, cùm de ea nunc agamus quæ ex citatis & interrogatis teſtibus habetur,qui de ea re, quam ſcire auemus, certiores nos facere poſſunt. Cùm Patres eo conſilio ſcripſerint ut nos docerent, non tam quæ ſui ſeculi eſſet, quam quæ omnium eſſe debeat fides, pro certo tenendum eſt,non eſſe ab iis prodita quæcunque de ſui temporis ſcitis ac placitis cognita habebant, huc accedit quòd vel ex charitate, vel ex prudentia ſua diſſimulaſſe eos veriſimile eſt quæcunque aliorum ſiue doctorum, ſiue etiam cœtuum dogmata ipſi velut falſa reſpuebant, feciſſéque eos in dogmatis, quod à ſe in ritibus factum teſtatur Auguſtinus. *Quod* (inquit) *inſtituitur præter conſuetudinem, ut quaſi obſervatio ſacraměti ſit, approbare non* *Epiſt. 119 ad Ianu c. 19.*

poſſum, etiamſi multa huiuſmodi, propter nonnullarũ, vel ſanctarum, vel turbulentarum perſonarũ ſcandala, liberiùs improbare non audeo. Atque huc pertinet illud Hieronymi de quorumdam magni nominis Patrum placitis, *quæ licèt* (inquit) *non ſequamur, tamen damnare non poſſumus.* Sed fac eos nulla hujus generis ratione deterritos bona fide in id incubuiſſe, ut ſuæ Eccleſiæ ſententiam ſimpliciter traderent; equidem non video quî hoc accuratè præſtare potuerint. Quæſo enim, cùm Eccleſia ex tam multis hominibus, tam inter ſe & ingenio, & natura, & conſilio, & intelligentia diſcrepantibus conſtet, qua ratione potuerunt Patres certò cognoſcere quæ ſingulorum eſſet de religione ſententia; Verbi gratia, an tu Cyprianum exiſtimas omnium ſuæ Diœceſeos hominum, quas nobis referret, ſententias ad vnguem tenuiſſe? Quis in iſta quæ in ejus communione agebat populi turba neminem fuiſſe docebit, qui ab ipſo ulla in re diſſentiret? Hodie quidem, ut vetera mittamus, perſpicuum eſt nullam, quantumvis exiguam, eſſe parœciam in qua ſingulis de omnibus omninò religionis capitibus cum paſtore conveniat. Sed ſi Diœceſin totam excutias, atque prætermiſſis iis quos vel tenerior ætas, vel mentis ſtupor, vel profligata nequitia de religione ſecuros faciunt, cæteros pro ratione diverſarum circa ſacra ſententiarum in ſuas quaſdam claſſes diſtribuas, non dubito quin omnium minima futura ſit; quæ de omnibus ac ſingulis religionis capitibus planè penitúſque cum Epiſcopo conſentiet. Quicquid ille de religione ſecutus fuerit, vix dimidiæ diœceſeos ſententiam repræſentabit. Non aliter olim quàm hodie res humanæ comparatæ erant: imo de religione longè olim liberatione quam nunc ſententiæ fuere, quòd Eccleſia Romana nondum eam inter Chriſtianos auctoritatem exerceret, quam multis poſtea artibus ſenſim comparatam, nunc uſurpat. Non ea tum ſiue à Paſtoribus, ſiue à Principibus in coercenda opinionum diuerſitate adhibebatur quæ nunc paſſim obtinet ſuppli-

In Hierem. l. 4. T. 4. p. 598.

ſuppliciorum aſperitas : unde colligendum reſtat longè majorem olim fuiſſe apud unius Eccleſiæ homines ſententiarum diverſitatem, quàm nunc eſt, adeóque longè difficilius fuiſſe Paſtoribus omnes ſingulorum opiniones vel inveſtigare, vel literis mandare. Sed in re obvia diutiùs immorari ſupervacaneum eſt. Expendamus potiùs quod hic multos objecturos non dubito, nimirum nihil neceſſe eſſe ut ſingulorum ſententias varietate penè infinitas, incertas, pleraſque, & nullo fundamento nixas, in numerato habeamus, ſatis eſſe ut nobis conſtet quæ populi Chriſtiani Paſtorum & Præſulum, id eſt Eccleſiæ ſecundo ſenſu acceptæ, ſententia fuerit. Ego verò dubito num id ſatis ſit. Si enim Eccleſiæ eſt fidem noſtram fulcire & regere (quod volunt hujus reſponſionis auctores) etiam plebis ſuæ erunt aliquæ in hoc negotio partes. Fateor equidem privatorum opiniones varias eſſe, & quorumdam ex ipſis intelligentiam admodum mediocrem; imò aliquando penè nullam. Sed verendum eſt ne hæc quoque ratio Cleri ipſius partem auctoritate, quam ſibi in his rebus arrogat, exuat, cùm negari non poſſit, quin ſæpiſſimè apud illum eadem quæ apud plebem ipſam inſcitia & nequitia ſit. Quis non videt, ſi captum ſpectes, privatos interdum in Eccleſia reperiri qui Paſtores ipſos doctrina & pietate antecellant? Patrum iſtorum de quibus agimus nonnemo docuit nos, *Plerumque Clerum erraviſſe : Sacerdotis nutaviſſe ſententiam; divites cum ſeculi iſtius terreno regno ſenſiſſe, populum fidem propriam reſervaviſſe.* Cum aliquando contingere poſſit, cùm ſæpe contigerit, ut Clerus prava ſenſerit, dum plebs in vera fide perſtitit, patet, ut mihi quidem videtur, non omnino negligendam populi de rebus Divinis ſententiam. Cyprianus quidem docet Eccleſiam ſui temporis magnam variis in locis ejus rationem habuiſſe, adeo ut nihil quod eſſet alicujus momenti abſque fidelium ſententia gereretur, ut in ejus epiſtolis videre eſt. Certè quæſtio de Baptiſmo hæreti-

Ambroſ. ſer. 17. T. 4. p. 785 med.

Cypr. in Conc. Carthag. p. 397. A.

Bb 2

corum, de qua ſupra nonnihil iam diximus, in Synodo, Carthagine, præſente etiam plebis maxima parte agitata fuit. Sed hoc ſanè, quia controverſum eſt, nunc mittamus. Concedamus quod iſti volunt, ſatis eſſe ſi nobis conſtet de Eccleſiæ ſecundo ſenſu acceptæ, id eſt, Cleri ſententia. Atqui & Cleri ipſius quæ fuerit ſingulis ſeculis de regiligione ſententia intelligere ac certò per-noſcere ſi non eſt ἐκ τῶν ἀδυνάτων, difficillimum certè eſſe patet. Non enim in Clero quàm in populo minor ſententiarum diſcrepantia atque varietas, quin & ſæpe major eſt. Ingenia enim ſtudiis exculta ſubtilitate delectantur, ex qua plerumque exiſtit opinionum diverſitas. Quis hodie, non dicam unius regni, multò minùs totius Chriſtianiſmi,ſed unins tantum urbis Clericorum de omnibus religionis capitibus ſententias recenſere queat? Nunquam ſententiarum in religionis negotio uniformitas apud Chriſtianos acriori ſtudio conſervata retentáque eſt quàm noſtro ſeculo,quo ad eam rem non cenſuras & anathemata duntaxat, ſed etiam ferrum & ignes adhiberi videmus. Quàm multi tamen iis ipſis locis ubi maxime ſæuitur, etiam Romæ, penè in ipſius Papæ, ut ſic dicam,ſinu reperiuntur qui longè in alia quàm, vel collegæ,vel præpoſiti ſui ſunt de religione ſententia. In Gallia, in qua Dei beneficio libertas major eſt, non temerè quatuor è Clero, paulo eruditiores ac emunctiores, reperies ex quibus duo non ſint qui aliquid ſingulare, ſupra Eccleſiæ ſuæ vulgus, de aliquo religionis capite ſapiant. Hic eos omnes qui, magno numero, cùm Caſſandro ſentiunt, quique quicquid in Patrum monumentis, quæ tantùm non adorant, offendunt, pro univerſali veterum Chriſtianorum ſententia exoſculantur, oratos velim, ut in ſeipſos oculos convertant, & apud ſe expendant, quam multas foveant opiniones, non ſolum diuerſas, ſed planè pugnantes cum ea Eccleſia, in cujus communione vitam inſtituunt, cujus ſe membra profitentur, & in qua reipſa tolerantur. Tan-

tum

tum eſt iſtorum ab aliis Romanis diſcrimen, ut Rempublicam in Republica, Eccleſiam in Eccleſia conſtituere videantur. Attamen cum earum quas ſequuntur partium doctores vel in definitionibus, vel in concionibus ad populum, vel in ſcriptis ſuis Eccleſiæ ſuæ ſententiam exponunt, varietas illa non apparet, una cæterorum fides vrgetur; quæ Caſſandri ſequacium eſt, licèt multùm diverſa, quaſi ne tantillum quidem ad Eccleſiam Romanam pertineret; ſilentio premitur, etſi nos, qui nunc in vivis ſumus, eam à multis præſtantibus è Clero ipſo viris retineri & foveri non lateat. Si clancularia illa ſecta, quæ ſe reliquo, cujus ſe partem profitetur, corpore ſaniora ſentire exiſtimat, paulatim, vel per ſe ipſa extinguatur, vel ui opprimatur, omnis ejus memoria ſic peribit, ut poſteri (niſi forſan diuini fuerint) quæ fuerit iſtorum de religione ſententia nunquam ſint intellecturi. Nemo tum temporis non exiſtimabit Romanam hujus ſeculi Eccleſiam eadem per omnia ſenſiſſe quæ in Concilij Tridentini decretis, & in aliis ejuſmodi monumentis leget. Et tamen ex iis ipſis quos Roma unxit & inaugurauit, quôſque opimis ſuis ſacerdotiis alit, nonnullos nouimus, quorum de fide ſententia longè alia eſt quàm quæ apud illam obtinet. Statuamus ergo ſuos Caſſandros, aliôſque ejuſmodi, qui non eadem cum vulgo ſentiunt, veterem Eccleſiam habuiſſe, quos ipſa quoque paulatim abſorpſit & ſepelivit, ita ut ne veſtigium quidem eorum ſuperſit. Antiquus Chriſtianiſmus vel alius, vel idem qui hodie obtinet, reuerat fuit. Si alius, Sophiſtarum eſt, ut ſpecie tenus idem ſit allaborare, fœdáque fallacia tot in eam rem ex Antiquitate teſtimonia congerere. Si idem fuit, iiſdem proculdubio caſibus obnoxius, eandem opinionúm varietatem in Cleri ſui animos ingeſſit. Ipſæ illæ opiniones ac cærimoniæ quibus hodie offenduntur Caſſandriſtæ potuerunt olim paris moderationis ingeniis graves & incommodę videri. Non eſt probabile nulla fuiſſe iſtis ſeculis ingenia quæ noſtro-

rum, vel ſolertiam æquarent, vel moroſitate laborarent. Sed hoc iam non ago, neque ultra in hoc argumento pergere animus eſt. Satis eſt quod oſtendi in Veteri Eccleſia, unius urbis, vel nationis, multò magis orbis totius univerſum clerum non neceſſariò eadem per omnia & in ſingulis capitibus de religione ſenſiſſe; Vnde ſequitur nobis conſtare non poſſe, an quas apud Patres legimus ſententias ab omnibus & ſingulis Eccleſiarum Paſtoribus receptæ tum temporis fuerint. Hoc unum inde colligere licet, ipſos alióſque quoſdam, eóſque (ſi ita lubet) clariſſimos, in hac vel illa ſententia fuiſſe. Quemadmodum quæ Bellarminus & alij de Euchariſtia ſcripſere argumento erunt poſteris, iſtos, & multos alios, in Eccleſia Romana, in illa ſententia fuiſſe. Sed quemadmodum, qui ex ſcriptorum iſtorum libris concludet, neminem nunc eſſe in Clero Romano qui aliter quàm iſti de hoc capite ſentiat, is vehementer errabit, ſic verendum eſt ne eodem modo hallucinemur, dum ex eo quod apud unum aut alterum è Patribus legimus, ſtatim argumentamur hanc ipſorum ſententiam ab omnibus in Eccleſia Chriſtiana receptam fuiſſe. Temerarium eſt octo vel decem, vtut ſanctos & eruditos, pro omnibus totius Eccleſiæ doctoribus, qui ipſorum ſeculo vixerunt, ſponſores accipere: pauciores ſunt quàm ut de re tanta fideiubeant.

Duo ſunt quæ adverſus iſta objici poſſunt. Prius eſt, quòd ſi aliæ inter veteres, de capitibus de quibus hodie controvertitur, ſententiæ fuiſſent præter illas quas in monumentis, vel quorumdam, vel omnium Patrum legimus; futurum ut earum vel mentio, vel refutatio in iis occurreret. Sed jam ſupra huic objectioni obviam itum. Monuimus enim Patres hanc diuerſitatem diſſimulauiſſe, partim prudentia, ne eos qui ſecum non ſentiebant in ſe provocarent, diſſidiáque quæ ſopita cupiebant, exacerbarent, partim item charitate, benignè ferentes ea quæ lethalia non cenſebant De diverſitatibus

quæ

quæ ipſis innotuerunt ago, cùm plurimæ quæ ipſos laterent, eſſe potuerint. Quæ ratio perſuadet Monachum, exempli gratia, in ſeceſſu conſtitutum, in inſtituendis ad pietatem aliquot cum viris tum mulieribus occupatum, omnium ſui ſeculi Præſulum ſententias ad unguem calluiſſe? Quis fidem faciet eum in quibuſdam aliquando non carpſiſſe quod Eccleſia in ſexcentis aliis patienter ferebat? Quis idoneè cauebit cum ipſo Chriſtianos ejus temporis omnes ſenſiſſe, nihilque ab ejus opinionibus alienum fouiſſe? Poſſevinus, ut ſolvat quod iis libris objicitur qui Dionyſij Areopagitæ nomine circumferuntur, nullam ſcilicet Hieronymum feciſſe ipſorum mentionem, reſpondet, mirum non eſſe hominem latitantem in mundi angulo ſcripta iſta, quæ Ariani ubique diſperſi ſupprimebant, latuiſſe. Nonne pariter dici poteſt, non mirandum eſſe quod vel idem Hieronymus, vel Epiphanius, vel ſimiles Auctores ſingulis in muneribus propoſitiſve ſuis occupati, neſciverint nonnullas aliquorum Præſulum opiniones, quas fortaſſe ipſi auctores, ſeu charitate, ſeu prudentia, ſeu quod ſe dicendi facultate, auctoritatéque deſtitutos ſentirent, ſeu quapiam alia de cauſa, apud ſe reconditas continebant? Altera objectio ex eadem ratione deſumitur; Iſtos veteris Eccleſiæ Doctores quas privatas opiniones, ab iis quas hodie in Patrum monumentis legimus diverſas apud ſe fovebant eas non peruulgaſſe. Sed primò, non cujuſvis eſt ſingulares ſententias vulgare, ſed neque, ubi vires adſunt, ſtatim adeſt animus. Variæ rationes obſtare potuerunt. Qui ſapiunt & pij ſunt, ut plurimum concordiæ ſunt ſtudioſi, turbáſque vitant, quoad fieri poteſt, eóque fit ut veriſſimæ ſententiæ non ſemper ſuperiores evadant. Sapientia enim quæ pro veritate ſtat patiens eſt & benigna; temeritas verò quæ mendacij cauſam agit ferox eſt, clamoſa & ambitioſa, Præterea dubitandum non eſt, quin ob rationes ſupra allatas, multa diverſitatis iſtius monumenta perierint, vel tempore abſum-

Poſſevin. In Apparatu.

pta, vel hominum fraude ſuppreſſa, ne veritatis, quam extinctam volebant, veſtigia ulla extarent. Qualiter nunc apud Latinos fieri videmus, ut quicunque, etiam à ſuis, libri contra dogmata, quæ vulgo, ac præſertim in Papali Curia placent, ſcripti atque editi fuerint, eos Inquiſitores & Cenſores quæſitiſſima diligentia aboleant; Vt exempli cauſa quæ vel Ambroſius Catharinus, vel Iulianus Colen, vel Martinus Eiſengrenius, auctores cætera Romani, de *Certitudine gratiæ* recenti memoria eruditiſſime diſputaverant, ea optimi illi librorum carnifices exitio devovent, unâque omnia litura delent [a] Sic ejuſdem Catharini quæſtiones de verbis, quibus Chriſtus Euchariſtiæ Sacramentum confecit, nec non Chriſtophori *à capite Fontium* doctiſſimum de eodem argumento libellum iidem quoque ſeveriſſime prohibuerunt. [b] Sic denique ne plura congeram, Sigeberti & aliorum veterum, itidemque Widdringtoni, [c] & aliorum recentiorum libros contra temporalem Papæ poteſtatem editos & edendos, aut omnino ſupprimunt atque intervertunt, aut expunctis, quæ ſibi diſplicent purgatos, quin & interdum adjectis, quæ ſibi placent auctos in publicum exire patiuntur; qua de re inſignis extat ipſius Widdringtoni querela; [d] *Tam ipſe Pontifex* (inquit) *quam locorum ordinarij, atq; hæreticæ pravitatis Inquiſitores ſatis ſunt ſolliciti, ne libri aliqui, qui poteſtati Pontificiæ ullo modo derogare videntur, in publicum prodeant, & ſi prodierint, vel omnino ſupprimantur: vel à nemine abſque facultate ſpeciali, eaque in ſcriptis habita perlegantur, donec expurgati fuerint. Atq; ita difficillimum eſt hiſce præſertim tēporibus, aut in libris Catholicorum clauſulam ullam reperire, quæ temporalem Pontificis poteſtatem in controverſiam vocandi vel tantillam ſpeciē habeat aut certò cognoſcere, quid librorū auctores circa ejuſmodi poteſtatem ſenſerint, ſed potius quam opinionem librorū cenſortes ſecuti fuerint, cùm illi non ſemper propriis, ſed iſtorum verbis loqui, ſuamq́; ſententiam preferre, quamvis inviti, ſæpiſſimè compellantur.* Hactenus Widdringtonus. His La-

tinorum

a Ind. Sandoval. A claſſe 2. in Ambroſio Cath. Ind. Tridenti. & Sandoval. I. cl. 2. in Iuliano Colen. & M cl. 2. in Martino Eiſengrenio.

b Ind. Trid. & Sandov. A. cl. 2. Ambroſio Cathar. & C. cl. 2. in Chriſtoph. à cap. Font.

c Widdringt. contr. Schulkenium pag. 13.

d Id Apolog. pro iure Princip. §. 450. pag. 345.

tinorum artibus, ſi conatus (quod Deus avertat (ſucceſſerint, nemo non videt brevi futurum, ut quos in Eccleſia Romana & nos & parentes noſtri ſcimus bene multos fuiſſe, qui gratiæ certitudinem propugnarent, qui Euchariſtiæ conſecrationem prece, non verbis illis, *hoc eſt corpus meum*, &c. fieri defenderent; qui denique poteſtatem Papæ temporalem negarent, ii vel deletis, vel interpolatis ipſorum monumentis, aut planè nulli fuiſſe, aut (quod gravius eſt) etiam ſententiam ſuæ contrariam tenuiſſe videantur. Sed miſſis recentioribus, ad vetera redeamus, de quibus, quod nuper affirmavi, id nunc aliquot exemplis illuſtrandum eſt. Epiphanius adverſus Aërium, quem in hæreſiarcharum numerum refert, Epiſcopum ex Pauli ſententia & rei ipſius inſtitutione Presbytero antecellere contendit, fuſéque probat. Sigillatímque quæ in contrarium afferuntur obiectiones omnes confutat. Locum integrum perlege. Facilè, ni fallor Epiphanio credes in ea tum ſententia fuiſſe omnes Eccleſiæ doctores, quod non ſit veriſimile tantum, tàmque illuſtrem Præſulem quam impugnat opinionem tanta acerbitate repudiaturum atque inſectaturum fuiſſe, ſi quis ex ipſius collegis eam probaſſet. At ecce tamen Hieronymum illuſtriſſimum Occidentis noſtri lumen, Epiphanii æqualem & amicum ſummum, virtutiſque ejus admiratorem ſingularem, qui liquidò docet, *apud Veteres eoſdem Epiſcopos, & Presbyteros fuiſſe, quia illud nomen dignitatis hoc ætatis erat.* Ac ne quis exiſtimet iſta Hieronymo aliud agenti obiter excidiſſe, id ipſum fusè probat, prolatis in hanc rem variis Scripturæ locis, repetitque tribus aut quatuor operum ſuorum locis. Hinc nemo, ut opinor, non videt, eorum dogmatum quæ aliquot interdum Patres probarunt ac ſanctiſſimè graviſſiméque commendarunt, nihil vitare quin adverſas ac ut in ſcholis loquuntur, contradictorias theſes vel ſecuti ſint, vel certè tolerandas pataverint alii eiuſdem ævi, neque minoris auctoritatis viri Hierönymus Ruffi

Epiph in Panar. Hær. 75. pag. 908.

Hieron ep. 81. ad Gre. T 2. p. 496. A. Id ep. 85. ad E agr. T. 2. p. 510. 511. Cum Apoſtolus perſpicue doceat eoſdē eſſe presbyteros quos & Epiſcop. &c. Id. Comment. in Aze. T 5. p. 511. E. Com. in Tit. T. 6. p. 444 B fusè.

num acerbiſſimè excepit, variiſque ejus opinionibus nigrum Theta præfixit, eáſque tanquam peſtilentes infamavit. Non legimus tamen eundem à reliquis Patribus pro hæretico habitum. Sed de ejuſmodi exemplis fuſiùs infra agendum erit. Hoc ſolum nunc notandum venit. Si libri Hieronymi quos proximè citavimus periiſſent neminem futurum qui non ex Epiphanio concluderet omnes penè veteres Eccleſiæ Doctores de Epiſcopi ſuprà Presbyterum jure atque auctoritate cenſuiſſe. Hæc ergo cùm ita ſe habeant quis aſſeverare auſit tot opiniones paſſim apud Patres, minùs præfractè quàm iſta ab Epiphanio rejecta fuit, repudiatas, à nullo illorum temporum Doctore retentas fuiſſe? Nonne fieri poteſt ut eas multi in ſinu foverint? ut à ſcribendo abſtinuerint? Denique ut quæ de iis fortaſſe ſcripſerant atque ediderant interciderint? Quàm pauci ſunt in Eccleſia qui velint aut poſſint ſcribere? Supra monuimus objici Proteſtantibus Hieronymum religioſum reliquiarum cultum laudare & probare. Sed ipſe teſtatur Epiſcopos fuiſſe qui contra eum Vigilantio ſentirent, & eos (quæ ſolennis eſt viri Rhetorica) *ſceleris* ejus *conſortes* vocat. Quis ſcit qui qualéſque viri fuerint, & annon digni qui pluris fierent? Quæ enim Hieronymus vel in ipſos propriè, vel in tota hac contra Vigilantium cauſa ſcripſit, ea felle ac bile uſq; adeo ſcatent, ut ejus teſtimonio fidem omnem derogent. Quàm longè hæc pateant lectori non ſtulto expendendum relinquo. Cùm ergo fieri nequeat ut nobis ex Patribus certò conſtet, quæ fuerit ſententia Veteris Eccleſiæ, ſeu univerſalis, ſeu particularis, ſeu eam pro omnibus in univerſum fidelibus, ſeu pro Præſulibus & Verbi Miniſtris tantùm accipias, concludo, ut ſupra, ad probandam veritatem eorum capitum quæ hodie inter Chriſtianos vocantur in controverſiam veterum Scripta parum valere.

Hier. in Vigil. T. 1. p. 159. A.

LIBER

LIBER SECVNDVS.

Capvt I.

Patres tantæ auctoritatis non eſſe vt noſtras de Religione controverſias poſſint decidere.

Ratio I. *Patrum de fide Eccleſiæ teſtimonia non eſſe ſemper certa veráque.*

HActenvs oſtendimus quàm difficile ſit certò explorare quæ Patrum fuerit de hodiernis controverſiis ſententia. Quòd ex antiquiſſimis ſeculis pauca ſuperſint ſcripta, eáque ejuſmodi, quæ, ut plurimum, de argumentis à controverſiis noſtris alieniſſimis agunt: item quod eorum ſcriptorum quæ extant fides eo parum certa ſit, quod & multa Patribus falsò afficta opera, & genuini eorum libri multipliciter vitiati ſint: Tum quod eorumdem oratio obſcura ſit atque ambigua. Adhæc quòd alienam non raro potiùs quàm ſuam ſententiam exhibeant. Quòd in multis deficiant, verbi gratia quòd quo gradu fidei unumquodque dogma tenendum ſit non doceant, quòd in dubio relinquant an ex ſua ipſorum, an ex univerſalis, an veró ex particularis alicujus Eccleſiæ ſententia loquantur. Harum objectionum minima ad eorum infirmandum teſtimonium ſatis eſt, quod valere non aliter poteſt, niſi id eſſe conſtet ab omni hac labe purum atque immune, quia de fide agitur quam firmo fundamento niti decet. Quiſquis ergo ex Patris ali-

cuius loco pugnare inſtituit, primò, probare tenetur, Scriptorem, ex quo locum profert, prioribus Chriſtianiſmi ſeculis vixiſſe & docuiſſe; deinde operis illius quod citatur auctorem certò eſſe; locum ipſum, qui in medium affertur, ſincerum, nullóque modo depravatum eſſe; firmandus deinde eſt qui loci illius eſſe dicitur ſenſus, ſic ut conſtet eum non alienam, ſed auctoris ipſius ſententiam continere. Tum demonſtrandum ſic authorem ſenſiſſe ac ſcripſiſſe iam maturo ingenio ac judicio; neque unquam poſtea mentem mutaſſe, vel ſententiam retractaſſe. Præterea diſpiciendum erit quo gradu eam tenuerit, id eſt, an ut neceſſariam, an ut probabilem duntaxat, an ſolus, an cum Eccleſia, vel univerſali, vel particulari. Magnum ſanè & penè infinitum laborem! quo fit ut vix ſperem nos unquam certò explorare atque aſſequi poſſe quæ veterum fuerit vera atque liquida de hodiernis controverſiis ſententia. Sic ergo abſoluta eſt princeps noſtra quæſtio. Patrum videlicet allegationes non eſſe medium idoneum & ſufficiens ad demonſtrandam veritatem eorum de religione capitum quæ Eccleſia quidem Romana ſtatuit atque definit, Proteſtantes verò repudiant. Quis enim videt hoc probationis genus non minoribus difficultatibus laborare quam quæſtionem ipſam? eiuſmodíque teſtimonia de obſcuritate cum ipſis dogmatis, quæ erant illuſtranda, certare? Ne tamen videamur temerè, & abſque cauſa idonea, methodum hanc damnare, age, miſſa nunc omni iſta ſententiarum in veteribus obſcuritate, fingamus facile eſſe ſcitu quid de iſtis controverſiis ſenſerint Patres, & expendamus jam ſecundo loco num ea ſit ipſorum auctoritas quæ nos obſtringat ad illa omnia amplectenda, nullóque alio præeunte examine credenda, quæcunque crediſſe ipſos nobis certò conſtiterit.

Duo ſunt locorum qui apud Patres occurrunt genera. Nam vel ut teſtes narrant, quæ in ſui ſeculi Eccleſia credebantur aut gerebantur, vel ut Doctores quid ipſi ſen-

tiant

tiant exponunt. Inter iſta duo magnum diſcrimen eſt. Nam in teſte requiritur fides, in Doctore eruditio. Ille probitatis & veracitatis ſuæ opinione ac fama; hic verò rationum momentis perſuadet. Patres teſtes ſunt, cum Eccleſiam ſui temporis in hac vel illa ſententia fuiſſe ſimpliciter affirmant. Doctores ſunt cum ſuggeſtum, ut ita dicam, conſcendentes, ſententias ſuas ipſi ediſſerunt, eáſque Scripturæ aut rationi ſuperſtruunt. Iam quod ad teſtimonia pertinet quæ de ſui temporis Eccleſiæ fide perhibent, haud ſatis ſcio an omnia pro veris certiſque habenda ſint. Hoc ſcio, quantamlibet fidem mereantur, exigui tamen uſus in hac cauſa futura. De priori dubitare me cogit quod etiam ſtudioſiſſimos Patrum admiratores concedere videam eos, licet de iure, vel nunquam, vel rariſſimè, errent, falli tamen & errare ſæpiſſime ubi de facto quæritur. Ius enim eſt quid univerſale & unius generis; at factum mixtum eſt, & veluti incluſum variis circumſtantiis ſingularibus quæ facilè poſſunt ignorari, aut malè acceptæ malæ referri, etiam à perſpicaciſſimis ingeniis. Scire autem quæ ſingulis ſeculis fuerit Eccleſiæ ſententia, cognitio facti eſt, non iuris; hiſtoria eſt, non fidei caput. Videntur ergo Patres falli potuiſſe dum quæ huiuſmodi ſunt exponunt, unde ſequitur eorum in hoc rerum genere teſtimonia nequaquam eſſe admittenda velut abſolutè vera. Neque vero eſt quod calumnieris, ſic Patres malæ fidei damnari. Sæpe enim accidit ut viri, etiam optimi, ea ſe vidiſſe innocenter teſtentur, quæ ſe vidiſſe putant, tametſi eos falsò id putaſſe certis poſtea documentis deprehendatur. Neminem bonitas quantumvis eximia facit infallibilem Patres, qui homines fuerunt; nihil vetat in rebus eiuſmodi potuiſſe & falli ipſos, & alios abſque dolo malo fallere, ſi qui ipſorum teſtimonio fidem ſimpliciter habent; ſed neque dubium aut obſcurum eſt, non fuiſſe illos ab omnibus affectibus ac ſtudiis immunes. Nemo autem neſcit quos colores, quamque à rerum natura alienos ani-

mi ſtudia atque affectus plerumque invehant, adeo ut reș ipſæ, vel optimis quibuſque, planè aliæ quàm ſunt appareant. Patres interdum ſententiæ alicujus ſtudio tenebantur, interdum & ab alia aliqua abhorrebant: facilè hac ratione inducebantur, ut Eccleſiam in ea eſſe ſententia exiſtimarent; in quam ipſi arcano animi motu propenderent, cámque ab iis abhorrere ſibi fingerent quæ ipſi odiſſent; maximè cum aliàs non deeſſet probabilis ratio, quæ, ut id crederent, ſuaderet, nihil enim faciliùs perſuadetur quàm quod placet.

Ita Philaſtrius, Brixienſis Epiſcopus, quæ ipſe non probabat ea in hæreſeon cenſum, veluti à publica Chriſtianorum omnium fide aliena, retulit, adeo fallaci & futili interdum judicio, ut quæ ille jugulat, Eccleſiam quoque damnaſſe ab omni veri ſpecie abhorreat. Nam ſi ei credimus hæretici fuerunt qui Epiſtolam ad Hebræos, non Pauli, ſed aut Barnabæ Apoſtoli, aut Clementis de urbe Roma Epiſcopi, eſſe dicunt, Hæretici ſunt, & errorem, ſi iſtum audimus, patiuntur non modicum qui non putant omnes Pſalmos ab uno Davide ſcriptos fuiſſe. Hæreſis eſt, ut hic quidem cenſet, ſtellas in cœlum infixas putare; non de theſauris, locíſque abſconditis, atque à Deo diſpoſitis, in veſperum juſſu Divino repente procedere, ſtatutíſque horis ſuo lumine curſum, miniſteriúmque ſuum indictum agnoſcere, *quod* (inquit) *contrarium alienúmq; fidei Catholicæ invenitur.* Quis Eccleſiam illius ſeculi adeo deliram & amentem fuiſſe crediderit, ut iſta, & alia ejus generis plurima, quæ referre longum eſt, inter hæreſes deputaverit, & qui ſic ſentiunt eos Catholicorum cœtu & nomine excluſerit? Huc quoque pertinet, ut mihi quidem videtur, quod Hieronymus teſtatur, Chriſti Eccleſiam crediдиſſe animam humanam immediatè à Deo creari, cùm eam in corpus infundit. Atqui de eo ambigit Auguſtinus, quin & palàm propendet in adverſam ſententiam, quæ ſtatuit animam cum corpore ſimul ſeri, & de patre in filium tranſire. Hoc verò

L. de hæreſ. c. 41. Tom. 4. Biblioth. Patr. part. 1.

Ibid. c. 79.

Ibid. c. 82.

Hieron. ep. 61. de erroribus I. A. i. Hier. T. 2. p. 212 D. Omne demceps humanum genus quibus animarũ cenſetur ex radice?

verò ſatis oſtendit tum temporis Eccleſiam nihil dum de ea re definiviſſe. Ea enim fuit Auguſtini modeſtia, ut ſine injuria dici nequeat, eum receptam in Eccleſia ſententiam, ut privatæ indulgeret, reliquiſſe. Sed Hieronymus, commotiore in Ruffinum animo, ſententiam, in qua pleroſque eſſe videbat ejus temporis Doctores, à tota Jeſu Chriſti Eccleſia receptam facilè ſibi perſuaderi paſſus eſt. Id verò aliis adeo non perſuaſit, ut etiam annis poſt ejus mortem ampliùs quàm quadragentis, Prudentius Tricaſſinus Epiſcopus, vir ſuis temporibus celeberrimus, hac de re ſic ſcripſerit, *utrum anima de anima, ut caro de carne, naſcatur, magna* (inquit) *quæſtio eſt, à Patribus diu multùmq; diſcuſſa, ſed abſq; certa definitione relicta.* Ex eodem fonte manavit Ioannis Theſſalonicenſis Epiſcopi error (ſi tamen error eſt) dicentis *Eccleſiam cenſere Angelos non omnino eſſe incorporeos & inviſibiles, ſed habere corpora minuta & tenuia, quaſique ignea & aërea*, Qui enim Concilia generalia Romæ ediderunt, privatã hanc ejus fuiſſe ſententiam exiſtimant. Si ita ſe res habet (neque jam id excutere neceſſe habeo) apparet ſententiæ iſtius amorem, auctorem iſtum, ut eam Eccleſiæ tribueret impuliſſe. Nec minùs tamen à Synodo ſeptima magni factus eſt auctor ille, imò inter Patres & cum Patris elogio, citatus eſt. Eadem ratione Epiphanium excuſo qui docet Eccleſiam ab Apoſtolica traditione habere quod ter in hebdomade conveniret ad ſacram ſynaxin, quod Petavius an ſatis certò conſtet ſe haud ſcire dicit. Ita Auguſtinus non ſemel teſtatur hanc univerſæ Eccleſiæ, ante Cypriani tempora, fuiſſe conſuetudinem, ut venientes ab hæreticis, à quibus eſſent baptizati, in Eccleſia abſque novo Baptiſmo reciperentur. Firmilianus, cujus locus poſtea afferetur, in Ciliciæ & Cappadociæ Eccleſiis alium ab omni memoria morem fuiſſe docet. Idem Auguſtinus Hieronymianam Scripturarum interpretationem cum LXX. ſeniorum verſione comparans. *Eccleſia* (inquit) *Chriſti tot hominum auctoritati, ab Eleazaro tunc*

Utrum ex traduce, juxta bruta animalia, an rationabilis creaturæ deſiderio corporum an aëre, quod Eccleſiaſticum eſt, quotidie Deus fabricetur animas, eum velle feciſſe & conditorem eſſe non ceſſare. Id. Apol. 2. contr. Ruff. T. 1. p. 324. A.

Miraris ſi contra ſe fratrum ſcandala concitentur, cum id neſcire te iures quod Chriſti Eccleſiæ ſe ſcire fatentur.

L. de Prædeſt. contra Ioan. Erigenam c. 16 p. 454.

Ioh. Theſſ. in Conc. 7. Act. 5. T 3. Conc. p. 547. περὶ μὲν αὐτοὺς ἡ καθολικὴ ἐκκλησία γινώσκει, ὡς μήτε ἀσωμάτους τελείως καὶ ἀοράτους, λεπτοσωμάτους δὲ καὶ ἀερώδεις ἢ πυρώδεις.

Ibid. in marg. loquitur ex propria ſententia.

Concil. VII. Act. 5. p. 548. A. T. 3. Conc.

Petav. in Epiph. p. 354.

L. 1. de bapt. contr. Donat. c. 18. & l. 3. c. 5. 6. 7. & paſſim.

Ep. ad Cypr. qua eſt inter Cypr. ep. 75.

L. 18. de Civit. Dei c. 43.

Pontifice ad hoc tantum opus electorum neminem iudicant præferendum. Suum nobis & ſibi conſentientium iudicium pro Eccleſiarum illius temporis judicio obtrudit. Eccleſiæ enim ipſæ, ubi & quando ſic judicarunt? Nullum Eccleſiarum iſtius ſeculi fuiſſe huius generis judicium ſatis oſtendit vel ſequentium Eccleſiarum fides; quæ Hieronymi verſionem, ſeptuaginta abdicatis, tandem prætulit. Fulgentius ſuum & Auguſtini de puerorum ſine baptiſmo extinctorum æternis cruciatibus dogma velut certum fidei caput, proponit, & inter ea cenſet quibus qui contradixerit hæreticus & Chriſtianæ fidei inimicus haberi debet, ut eſt à Petauio obſeruatum. *Firmiſſimè* (inquit) *tene, & nullatenus dubites*, &c. *etiam parvulos*, &c. *qui ſine ſacramento ſancti baptiſmatis de hoc ſeculo tranſeunt ignis æterni ſempiterno ſupplicio puniendos.* At id dogma neque ab antiqua Eccleſia unquam definitum fuiſſe vel poſteriorum ſeculorum contraria doctrina ſatis docet. Venerabilis Bedæ errores, quos alibi notat & caſtigat Petavius, ejuſdem ſunt commatis. *Habet* (inquiebat) *Eccleſiæ fides Dominum in carne paulò plus quàm* XXXIII. *annis uſque ad ſua tempora paſſionis vixiſſe.* Et mox. *Sancta ſiquidem Romana & Apoſtolica Eccleſia hanc ſe fidē tenere & ipſis teſtatur indiculis quæ ſuis in cereis annuatim inſcribere ſolet, ubi tēpus Dominicæ paſſionis in memoriā populis revocans numerum annorum triginta ſemper & tribus annis minorem quam ab eius incarnatione Dionyſius ponat, annotat.* Idem eodem loco docet. *Quod Dominus* XV. *Luna, feria* VI. *crucē aſcenderit*, &c. *nulli licere dubitare Catholico.* Fusè docet Petavius has duas ſententias, quas tanquam de fide Eccleſię eſſent, tradit Beda, nihil minus eſſe quam quod ille dicit. Ejuſmodi multa in Scriptis Patrum obſeruabunt curioſi. Sed hæc (meo judicio) ſatis probant me non ſine ratione ambigere, num tanquam certò vera admittenda ea omnia ſint teſtimonia quę Patres de Eccleſiæ ſui temporis fide perhibent. Sed etſi, intacto Patrum honore, conceſſerimus quicquid

T. 1. Theolog. dog. l. 9. c. 10. §. 11. p. 215.

Fulg. de fide ad P. 1. Dia. c. 27.

Petav. in Epiphan. p. 113. 143. 45.

Bed. l. de tēp. rat. onc, c. 45.

Petav. in Epiph. p. 113. 143.

quid de rebus eiuſmodi teſtantur, extra omnem dubitationis aleam eſſe poſitum, ne ſic quidem id videtur magni ad rem neſtram uſus futurum· Primo enim rarò ſimpliciter docent, quæ fuerit de capitibus hodie controverſis Eccleſię ſui temporis ſententia. Id enim Hiſtorici eſt, non Doctoris, cuius eſt in pietate & religione inſtituere, probare, hortari, in vitia & errores in vehi, quid faciendum aut credendum ſit exponere, non verò quid credatur aut fiat narrare. Sed etiam tum cùm de fide & doctrina ſui temporis teſtantur, de ea tantum quæ palam erat, atque adeo ipſis nota eſſet, agere poſſunt; neque ad latentia aut ignora trahendum eſt eorum teſtimonium. At, ut demonſtravimus, quid Chriſtiani omnes, qui tum temporis in viuis erant, imò quid paſtores qui ipſis præerant de fide ſentirent, compertum habere non potuerunt: privatorum quorumdam tantum potuit ipſis nota eſſe ſententia. Cum ergo etiam ij qui maximi Eccleſiæ authoritatem faciunt, ſingularum Eccleſiarum fidem errori obnoxiam eſſe fateantur, facile eſt videri Patrum teſtimonia, quæ ſententias non certò veras exhibent, quæque adeo examinari & probari debent (tantum abeſt ut ad noſtram fidem firmandam & probandam idonea ſint) exigui eſſe in hoc argumento uſus. Quantumvis autem Eccleſia Romana ſingularum Eccleſiarum de fide ſententias nunquam fallere cenſeret (quod tamen non docet) medium tamen hoc apud Proteſtantes eſſet inefficax quos omnes norunt in alia eſſe ſententia. Certum autem eſt ex rebus confeſſis, & ab adverſario, quem perſuaſum vis, agnitis, petendas eſſe probationes; alias, ut à ſententia diſcedat, nunquam impetrabis. Cùm ergo Patrum de fidei & Diſciplinæ Eccleſiaſticæ ſui temporis ſtatu teſtimonia eiuſmodi ſint, ſupereſt ut alia ipſorum effata expendamus, quæ non tanquam rerum à ſe viſarum teſtes, ſed tanquam rerum quas ipſi crederent, credendáſque exiſtimarēt doctores, pronunciarunt. Enim vero vt ut ſancti

& eruditi fuerint, homines tamen fuiſſe, ac proinde errori obnoxios, negari non poteſt, maximè cùm de rebus fidei, adeo ſupra hominum capitum poſitis, ſermo ſit. Solus Dei Spiritus mentes & calamos eorum in omnem veritatem deducere potuit, eóſque qua ratione ſanctis Apoſtolis & Prophetis Veteris Novíque Teſtamenti libros ſcribentibus adfuit, ab omni errore immunes præſtare. Nullo autem modo nobis conſtare poteſt Spiritum Dei perpetuam lucem mentibus ipſorum affudiſſe, rerúmque omnium de quibus agebant veritatem eos docuiſſe, neque id ipſi ſibi ſumunt, nemóque, quod ſciam, id iis tribuit, præter Decreti Gloſſatorem, qui in Scriptis Patrum *omnia uſque ad ultimum jota teneri jubet*, hoc nomine ab Alphonſo de Caſtro & Melchiore Cano Theologis Hiſpanis meritò caſtigatus; cui tamen hoc in delirio ſuccinit etiam Lucas Tudenſis Epiſcopus, apertè ſignificans *Canonicorum Patrum* (ſic enim appellat) *dicta veneranda eſſe ſicut Evangelium Dei, quaſi per Spiritum Sanctum prolata*, & ad eorum libros impudenter detorquens quæ de Canonicis Scripturis dixerat Auguſtinus, *Ego ſic eis libris, qui iam canonici appellantur, didici hunc timorem honorémque deferre, ut nullum eorum ſcribendo erraſſe audeam credere*, &c. Sed cum iſtorum ſomnia omnes nunc explodant, jam cœptam diſputationem ita pertexamus. Cùm nonniſi rebus veris fidem adhibere teneamur, apparet quandiu non conſtat veras eſſe Patrum ſententias, iis nos nec poſſe nec debere credere. Cùm autem ex nuda ipſorum authoritate de eo conſtare non poſſit, neceſſe eſt ut alia via ad hanc inquiſitionem contendamus; homines enim fuerunt, iíque non ſemper Spiritu ex alto afflati. Recurrendum eſt ergo, vel ad Scripturam ſacram, vel ad ratiocinationem, vel ad traditionem, vel ad Eccleſiæ, quæ nunc in terris verſatur, inſtitutionem, vel ad quampiam aliam quam ipſi adhibuerint rationem. Vnde apparet nudam eorum aſſertionem non eſſe idoneam quæ ſententiæ alicui pro funda-

Gloſſ in Decr. D 9. c. 3. Alph. de Caſt l. 1. adverſ. hæreſ. c. 7. p. 92. edit. Venit. an 1546. Melch. Can. l. 7. loc. Theo. c. 3. n. 4. L. 3. contr. Albig. c. 8. Biblio. Patr T. 4. part. 1. p. 650. E. D.

fundamento ſubſternatur. Præjudicium quidem eorum aſſertio aliquod afferre poteſt quod fidem provocet, cùm, qua ſunt apud nos exiſtimatione, non facilè credamus viros tantos eam ſententiam ſequutos fuiſſe quæ falſa ſit: quod argumentum probabile eſt duntaxat, cum auctor, de quo agitur, merus eſt homo; at ubi de fide agitur, nullomodo admittendum eſt, cum fides non probabilitate aliqua, ſed veritate neceſſaria niti debeat. In hoc negotio ea eſt Patrum quæ reliquorum Doctorum ratio; adeo ut tanti ſit eorum aſſertio, quanti ſunt ratio & auctoritas qua ipſam firmant atque fulciunt. Hunc inſuper uſum habent, quòd eorum nomine percellantur mentes noſtræ, attentiúſque expendant quæ docent, cùm rebus falſis tam præſtantes viros fidem adhibuiſſe non fiat veriſimile. Sic in ſcientiis humanis longè diligentiùs Ariſtotelis, quam cujuſvis alius Philoſophi, qui minoris fiat, ſententia expenditur, quòd apud omnes ferè præjudicatum ſit non ſolere ſtupendo illi ingenio ea quæ veris adverſantur probari. Cæterum ſi rem ipſam inſtituto accuratiori examine ſe aliter habere deprehenſum fuerit, nuda ejus auctoritas nihil perſuadet: hic enim quod ſapienter ipſe dixit locum habet. *Sanctum eſſe veritatē cujuſlibet amicitiæ anteponere.* Sunto ergo ſi placet Patres eodem in Philoſophia Chriſtiana loco quo in ſeculari eſt Ariſtoteles, fatebor eorum de religione ſententias reverenter eſſe habendas atque expendendas: fatebor de veris maximis, ac præcipua eruditionis ac ſanctitatis fama florentibus, non eſſe temerè quicquã ſecius ſuſpicandum, neque eorum placita abſque graui & evidenti ratione erroris aut vanitatis, præſertim in re momentoſa, inſimulanda, ita tamen ut meminerimus eos homines fuiſſe, qui nonnunquam vel memoriæ, vel intelligentiæ, vel judicij errore labi poſſent. Expendenda deinde ſunt eorum ſcripta ad principia ex quibus concluſiones ſuas eliciunt, neque ipſis fides noſtra prius ſuperſtruenda quàm de eorum veritate nobis

Ariſt. in Ethic. l. 1. c. 6. ἀμφοῖν ὄντοιν φίλοιν ὅσιον προτιμᾶν τὴν ἀλήθειαν.

certò conſtiterit. Si mihi non de Patribus, ſed de quibuſvis aliis ſermo eſſet, nihil ad ſuperiora adderem; cùm hæc ſatis, ut videtur, doceant ipſorum auctoritatem tantam non eſſe, ut neceſſariò in eorum ſententiam concedere teneamur: Sed quia de Patribus quæritur, quos quanti faciat Eccleſia nemo neſcit, age, ne quis nos criminetur aut ſuſpicetur de honore iis debito quicquam detractum vel decerptum velle, hoc ipſum argumentum paulò accuratiùs excutiamus, & ex rei ipſius rationibus oſtendamus, Patrum, vel in ſeipſis, vel noſtri reſpectu, majorem non eſſe auctoritatem quàm ea eſt quam hactenus ipſis tribuimus.

CAPVT II.

Ratio II. *Patres ipſos negare nudis ſuis aſſertionibus abſolutè ſtandum eſſe in iis quæ de religione ipſi in medium afferunt.*

QVæ ſit Veterum Scriptorum auctoritas nemo nos certiùs docere poteſt quam ipſi Veteres, quibus ſua meliùs quàm nobis perſpecta fuiſſe clarum & indubitatum eſt. Aurem ergo ipſorum de ea teſtimoniis præbeamus, &, ſi tanti apud nos ſunt quanti eos eſſe profitemur, ipſorum hac in parte judicium revereamur, ipſiſq; neque majorem neque minorem honorem quàm expetunt exhibeamus. Cùm, propter capitis ſecundi Epiſtolæ Pauli ad Galatas ſupra memoratam expoſitionem, ortum eſſet inter Auguſtinum & Hieronymum, duo ſplendidiſſima Eccleſiæ Latinæ lumina, nonnihil controverſiæ, ille, ut ab ea ſe, qua urgebatur, ſex aut ſeptem Scriptorum Græcorum ab Hieronymo obiectorum auctoritate, liberaret, quanti omnia id genus Scripta faceret his ipſis verbis exponit. *Ego* inquit, *fateor caritati tuæ ſolis eis Scripturarũ libris, qui iam Canonici appellantur, didici hunc timo-*

timorem honorémque deferre, ut nullum eorum auctorum ſcribendo aliquid erraſſe firmiſſimè credam. Ac ſi aliquid in eis offendero literis quod videatur contrariū veritati, nihil aliud quàm vel mendoſum eſſe codicem, vel interpretem non aſſecutum eſſe quod dictum eſt, vel me minimè intellexiſſe non ambigam. Alios autem ita lego ut quantalibet ſanctitate doctrináque præpolleant, non ideo verum putem, quia ipſi ita ſenſerunt, ſed quia mihi, vel per illos auctores Canonicos, vel probabili ratione, quòd à vero non abhorreat, perſuadere potuerunt. Nec te, mi Frater, ſentire aliquid aliter exiſtimo: prorſus, inquam, non te arbitror ſic legi libros tuos velle, tanquam Prophetarum vel Apoſtolorum, de quorum ſcriptis quod omni errore careant dubitare nefarium eſt. Deinde poſtquam locis ab Hieronymo allatis alios quoſdam oppoſuit, ita pergit. *Quanquam, ſicut paulo ante dixi, tantummodo Scripturis Canonicis hanc ingenuam debeam ſervitutem qua eas ſolas ita ſequar, ut conſcriptores earum nihil in eis omnino erraſſe, nihil fallaciter poſuiſſe non dubitem.* Hæc autem monuiſſe tanti referre exiſtimauit vir ſanctus, ut eadem ipſum alibi inculcare ac denuo repetere non piguerit. Lectorem oro ne moleſtè ferat ſi locum ea de re unum aut alterum, tametſi paulò longiores, hic deſcripſero. *Quod genus literarum*, inquit, de libris agens quos ſcribimus non cum auctoritate imperandi, ſed eo conſilio ut exercitatione proficiamus, *non cum credendi neceſſitate, ſed cum judicandi libertate legendum eſt: cui tamen ne intercluderetur locus & adimeretur poſteris ad difficiles quæſtiones tractandas atque verſandas linguæ ac ſtili ſaluberrimus labor, diſtincta eſt à poſteriorum libris excellentia canonica auctoritatis Veteris & Noui Teſtamenti, quæ Apoſtolorum firmata temporibus, per ſucceſſiones Epiſcoporum & propagationes Eccleſiarum tanquam in ſede quadam ſublimiter conſtituta eſt, cui ſerviat omnis fidelis & pius intellectus. Ibi, ſi quid abſurdum moverit, non licet dicere, auctor hujus libri non tenuit veritatem: ſed aut codex mendoſus eſt, aut interpres errauit, aut tu non intelligis. In opuſculis autem poſteriorum quæ libris in-*

Auguſt. Ep. ad Hieron. quæ eſt 19. T. 2. f. 14. F. & inter ep. Hier. 97. T. 2. p. 551. C. D.

Id. Ibid. Tom. 2. Aug. fol. 16. E.

Id. l. 11. cont. Fauſt. c. 5. T. 6. f. 51. E.

numerabilibus continentur, ſed nullo modo illi ſacratiſſimæ Canonicarum Scripturarum excellentiæ coæquantur. etiam in quibuſcunque eorum invenitur eadem veritas, longè tamen eſt impar auctoritas. Itaque in eis, ſi quæ fortè propterea diſſonare putantur à vero, quia non ut dicta ſunt intelliguntur, tamē liberum ibi habet lector auditórve judicium, quo vel approbet quod placuerit, vel improbet quod offenderit, & ideo cuncta ejuſmodi niſi vel certa ratione, vel ex illa canonica auctoritate defendantur, ut demonſtretur, ſiue omnino ita eſſe, ſiue fieri potuiſſe quod vel diſputatum ibi eſt, vel narratum, ſi cui diſplicuerit, aut credere noluerit, non reprehenditur. Sed & in opere de Baptiſmo idem Auguſtinus Donatiſtis Cypriani, & Synodi cuiuſdam Carthaginenſis nomina objectantibus in hanc ſententiam ſermone ſanè luculento reſpondet; *Quis* (inquit) *neſciat ſanctam Scripturam Canonicam, tam veteris, quam novi Teſtamenti certis ſuis terminis contineri, eamque omnibus poſterioribus Epiſcoporū litteris ita præponi, ut de illa omnino dubitari, & diſceptari non poſſit, utrum verum, vel utrum rectum ſit, quicquid in ea ſcriptum eſſe conſtiterit? Epiſcoporum autem litteras, quæ poſt confirmatum canonem vel ſcriptæ ſunt, vel ſcribuntur, & per ſermonem forte ſapientiorem cuiuslibet in ea re peritioris, & per aliorum Epiſcoporum graviorem auctoritatem, doctióremque prudentiam, & per Concilia licere reprehendi, ſi quid in eis forte à veritate deuiatum eſt? Et ipſa Concilia, quæ per ſingulas regiones, vel prouincias, fiunt plenariorum Conciliorum auctoritati, quæ fiūt ex vniuerſo orbe Chriſtiano, ſine vllis ambagibus cedere? ipſaq; plenaria ſæpe priora poſterioribus emendari, cū aliquo experimento rerū aperitur, quod clauſum erat, & cognoſcitur quod latebat, ſine vllo typho ſacrilegæ ſuperbiæ, ſine ulla inflata ceruice arrogantiæ, ſine vlla contentione liuidæ invidiæ, cum ſancta humilitate, cum pace catholica, cum caritate Chriſtiana?* Sed & ſequens locus dignus videtur, qui hic quoque deſcribatur: *Neque* (inquit) *quorumlibet diſputationes, quamvis Catholicorum & laudatorum hominum, velut Scripturas Canonicas habere debemus, vt nobis non liceat ſalva*

L. 2. de bapt. contr. Donat. cap. 3.

Epiſt. 111. ad Fortunatian. Sic conſ. vltr. med.

hono-

honorificentia, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum ſcriptis improbare atq; reſpuere, ſi forte inveniremus, quod aliter ſenſerint, quàm veritas habet, divino adiutorio vel ab aliis intellecta, vel à nobis. Talis ego ſum in ſcriptis aliorum; tales volo eſſe intellectores meorum. Atq; hæc hactenus Auguſtinus; quibus, ut in multis aliis locis quos prolixum eſſet huc referre, diſertè docet Patrum in ſcriptis ſuis aſſertiones, non ipſorum auctoritate, ſed rationib. quas afferunt niti; de fide non eſſe niſi Scripturæ aut rationi conſonent, & ex utraque eſſe examinandas, cum hominum ſint qui falli potuerunt. Vnde liquidò ſequitur quam nunc adhibent methodum ad demonſtrandam veritatem non ſufficere. De opinione quadam vel de alicujus Scripturæ ſenſu ambigitur. Affertur ad eam rem Patris ſententia, planè contra quàm vult hic Auguſtinus, ut de Patribus ex Scriptura, non verò ex Patribus de Scriptura fiat judicium. Enimvero, ex Sancti iſtius viri ſententia, etſi Patris alicujus aſſertio non minùs diſerta eſſet adverſus Proteſtantes quàm ſunt Concilii Tridentini canones, non erunt tamen illi reprehendendi ſi negaverint ſe ei fidem ante habituros, quàm vel ratione certa, vel Literarum Canonicarum auctoritate confirmata fuerit, quod ſi præſtitum fuerit ſe ad eam admittendam ita demum paratos fore. Si ita ſe res habet, nihil hic faciunt auctorum nomina; in rationum ab iis allatorum ponderibus totum negotium vertitur; penſandum, non qui ſint auctores, ſed quàm ſolida ſint quibus nituntur argumenta, & inſpiciendum quale ſit quod offertur, non quæ ſit vel facies, vel manus offerentis, ac, ut verbo dicam, à perſonis ad res tota diſputatio referenda eſt. Neque verò Hieronymus aliter inſtituendum cenſuit; ſunt enim hæ ejus voces præfatione in ſecundum Commentarium in Hoſeam. *Tunc* (id eſt poſtquam reverſa fuerit terra in terram ſuam, poſt obitum videlicet) *ſine nominū dignitate ſola iudicantur ingenia, nec conſiderat qui lecturus eſt, cuius, ſed quale ſit quod lecturus eſt. Sive ſit Epiſco-*

Id T. 2. epiſt. 48. f 36. c. T. 3. l. 1. de Trinit. c. 2. extr. l. 3. Præfat. D. l. 5. c. 3. T. 7 d. 2. contr. Creſc. Gramm. c. 31. 1. c. 32. l. 3 de pecc. merit. & remiſſ. c. 7. & l. de nat. & grat. c. 61. l. 4. cont. du. ep. Pelag. c. 8. l. 1. cont. Iulian. c. 2. f. 195. l. de bon. perſeuerer. c. 21. M.

Hier. Comm. 2. in Oſeam præfat. extr. T. 5. p. 124.

pus, ſiue laicus, Imperator & Dominus, miles & ſervus, aut in purpura & ſerico, aut viliſſimo panno jaceat, non honorũ diverſitate ſed operum merito judicabitur. Vel de jure, vel de facto agit. Vel docet ſic fieri oportere, vel ſimpliciter ſic fieri plerumque narrat. Si priore ſenſu accipienda ſunt eius verba, nominibus Scriptorum prorſus omnem auctoritatem abrogat, decernitque ne præter operis ipſius merita, id eſt, rationes & argumenta, quicquam aliud conſideretur. Si poſteriore modo accipiantur eius verba, videtur eorum ſenſus falſus futurus. Cum certum ſit homines plerumque potiùs ad librorum inſcriptiones, quam ad res ipſas de quibus agunt attendere. Sed ut ut ſic accipiantur, planum eſt hanc agendi rationem Hieronymo probari, quam ne verbulo quidem innuit ſibi diſplicere. Si ergo eius judicio ſtare vis, mitte, ſodes, grandia Hieronymi, Auguſtini, Chryſoſtomi & Cyrilli nomina. Faceſſant pauliſper virorum tantorum dignitates atque inſignia, infulæ ſi forte, mitræ, ſacra pallia. Specta, non quid fuerint, ſed quid dicant; Non perſonarum merita, ſed rationum momenta expende. Ita jubet Pater Hieronimus; Quo fit ut eos non poſſim non mirari qui, licet in veterum lectione verſatiſſimi, lectorum judicia declamationibus oratoriis occupant, dum auctores quorum teſtimoniis utuntur effuſiſſimè laudant, tam intemperanter, ut etiam interdum narrent quam illuſtri genere nati, quam liberaliter educati fuerint: adhæc quam perſpicaci ingenio, quo ſedis ſplendore, quo dignitatis apice, qua rerum geſtarum gloria floruerint. An id per Rhetorices præcepta liceat nunc quidem non inquiro, hoc unum, ac, ut quidem videtur, jure meritóque dico; iſtis non bene cum nuper allata Hieronymi ſententia convenire. Sed jam ad alios locos diſertiores progrediamur ut certiùs percognoſcamus quæ maximi iſtius Antiquitatis Ariſtarchi de hoc argumento ſententia fuerit. *Scio* (inquit) ad Alexandrinum Patriarcham Theophilum ſcribens*) me aliter habere Apoſtolo,*

Perron. de Euh. Antil. 20.p.387.

ſtolos,aliter reliquos Tractatores; illos ſemper vera dicere Hier. ep. 62.
iſtos in quibuſdã ut homines errare. An clariùs potuit quod ad Theoph.
ſupra diccebamus docere? Et in Epiſtola quinta & ſexa- Alex. T. 2. p.
geſima,cùm de erroribus Origenis egiſſet, *Erraverunt*, in- 173. A.
quit, *alij tam Græci quam Latini quorum non neceſſe eſt pro-* Id. ep. 65. ad
ferre nomina,ne videamur eum non *ſui merito,ſed aliorum* Pamm. & Oceani T. 2. pag. 226. A.
errore defendere. His ille verbis ſtatuit ex rationum momentis de opinionibus eſſe judicandum. Et paulò poſt
Sic eum (Originem) *legam* (inquit) *ut cæteros,quia ſic erra-* Id. Ibid.
uit ut cæteri. Et alibi de Scriptoribus Eccleſiaſticis,iis ipſis,ſcilicet, quos hodie, *Patres* vocamus, & de lapſibus & erroribus, qui in eorum libris occurrunt, in genere agens. *Fieri poteſt*, inquit, *ut vel ſimpliciter erraverint, vel* Id. lib. 2. Apol.
alio ſenſu ſcripſerint,vel à librariis imperitis eorum paulatim contr. Ruff T.
ſcripta corrupta ſint,vel certè antequam in Alexandria,quaſi 2 p 319. C.
dæmonium meridianum, Arius naſceretur, innocenter quædã & minus cautè loquuti ſint,& quæ non poſſint perverſorum hominum calumniam declinare. Locus præſtantiſſimus, & quo breviter, ſed liquidò & validè,pleraq; ea probantur quæ hactenus in hoc Tractatu expoſuimus. Attende nunc,amabo te,quanta cautione legendi & expendendi ſin auctores iſti;quàm accuratè conſiderandum nunquid in Scriptis eorum librarij peccarint; annon ipſi obſcurè loquuti ſint; annon negligenter animi ſui ſenſa digeſſerint,aut per errorem ea enunciarint. Alibi poſt relatas variorum auctorum ſententias ſuper quæſtione quadam de qua interrogatus fuerat,ut convenientiſſimà eligatur ſubdit. *Nec iuxta Pythagoræ diſcipulos præjudicata* Id. ep. 152. T.
doctoris opinio,ſed doctrinæ ratio ponderanda eſt. Quæ ver- 3. p. 301. D.
ba liquidò confirmant eum eſſe quem diximus illius lo- Id. ib. p. 307. B.
ci ſenſum,quem ſupra ex ſecundo in Hoſeam Commentario retulimus. Tum hæc ſubjicit. *Meum propoſitum eſt Antiquos legere,probare ſingula,retinere quæ bona ſunt,& à fide Eccleſiæ Catholicæ non recedere.* Secundum normam
quam ipſe Epiſtola 76. ſtatuit. *Ego* (inquit) *Origenem pro-* Id. ep. 76. ad Trang. T. 2.
pter eruditionẽ ſic interdũ legendum arbitror quo modo Ter- p 485. B.

tullianum,Novatum,Arnobium, Apollinarium & nonnullas Eccleſiaſticos Scriptores Græcos pariter & Latinos,ut bona eorum eligamus,vitemúſque contraria,iuxta Apoſtolum dicentũ omnia probate,quod bonum eſt tenete. Hęc paſſim inculcat, magnáque libertate cenſoriam virgulam identidem ſtringit in ſuperiorum ſententias & expoſitiones, ingenuè exponens quid de ſingulis ſentiat. *Beatus Cyprianus,* inquit, *de Scripturis Divinis nequaquam diſſeruit Inclyto Victorinus martyrio coronatus quod intelligit eloqui nõ poteſt, Lactantius utinam tam noſtra confirmare potuiſſet, quàm facilè aliena deſtruxit, Arnobius inæqualis & nimius eſt, & abſque operis ſui partitione confuſus. S. Hilarius Gallico Cothurno attollitur, & longis interdum periodis involvitur, & à lectione ſimpliciorũ fratrum procul eſt.* Non referam quę aliàs habet de Origene, de Theodoro, de Appollinari, de Chiliaſtis, & aliis quibus apertè aduerſabatur, quoſque, ubicunq; occurrunt, aſperrime excipit, tametſi non diſſimulet viros alioqui fuiſſe ſũmo ingenio; ac de Origene (quo vix quiſquam fuit maculoſior) disertè ſcripſerit, eum *poſt Apoſtolos Eccleſiarum magiſtrum neminem niſi imperitum negare.* Sed ut de iis ſolis dicam quorum nomina nulla unquam infamia in Eccleſia loborarunt, audi, ſodes, ut Rhæticium Auguſtodunenſem, Eccleſiaſticum auctorem, demulceat. *Innumerabilia ſunt*, inquit, *quæ in illius mihi Commentariis ſordere viſa ſunt.* Et paulò poſt, *Tam malè videtur exiſtimaſſe de cæteris, ut nemo poſſit de erroribus ejus judicare.* Eorum ſiue ſententias, ſive expoſitiones eadem libertate rejicit, & quidem interdum non ſine dicteriorum aculeis. Veteris Teſtamenti veritatem Hebraicam acriter defendit, verſionémq; Septuaginta Interpretum innumeris erroribus ſcatere contendit: licèt cùm vetuſtiſſimi Patres, tum qui ſuperſtites eo tempore erant, &, ut ne plures nominem, Auguſtinus, in alia eſſent penè omnes ſententia, & ſeptuaginta ſeniorum opus divinum cenſerent. Narrationem de ſeptuaginta eorum cellulis in quibus cœlitus afflati verſionem Bibliorum

Id. ep. 13. ad Paulin. T. 1. p. 123. D.

Id. præf. in lib. de nom. Hebr.

Id. ep. 133. ad Mar. T. 1. p. 123. C. ibid. D.

bliorum concinnarint veluti fabulam explodit, ſalſeque aliquando irridet. *Habitent* (inquit, obtrectatores ſuos ſubſannans) *in ſeptuaginta cellulis Alexandrini phari, ne vela perdant de navibus & funium detrimenta ſuſpirent* Eorum expoſitiones, quando minùs placent nulla religione repudiat. Cæteri Patres putauerant Iſraelis nomen ſignificare hominem videntem Deum. Id ipſe reprehendit.* *Quamvis*, inquit, *grandis auctoritatis ſint & eloquentiæ, & ipſorum umbra nos opprimat qui Iſrael virũ, ſive mentem videntem Deum tranſtulerunt, nos magis Scripturæ & Angeli, vel Dei, qui ipſum Iſrael vocauit, auctoritate ducimur, quàm cuiuſlibet eloquentiæ ſecularis.* Hęc ille; quę Auguſtinum non deterruerunt quominus in eundem quoque errorem laberetur. *Interpretatur*, inquit, *Iſrael videns Deum.* Sic in Epiſtola 146. quæ eſt ad Damaſum. *Quidam ſuperſtitiosè magis quàm verè nõ conſiderantes textum Pſalmi.* Eructavit cor meum verbum bonum *ex perſona Patris arbitrantur intelligi.* Quæ tamen ipſiſſima plerorumque qui circa Arij tempora vixerant ſententia fuerat. Iidem ferme omnes Adamum in monte Caluariæ, quo loco crucifixus fuit Dominus ſepultum fuiſſe exiſtimant. Hanc ſententiam non ſolum repudiat Hieronymus, verùm etiam nulla religione deridet. Quidam ex iiſdem Veteribus *pio affectu erga Apoſtolũ Petrum dicebant Petrum non Deum negaſſe, ſed hominẽ, & eſſe ſenſum, Neſcio hominem, quia ſcio Deum Hoc quàm frivolum ſit*) judicium eſt Hieronymi) *prudens lector intelligit. Sic defendunt Apoſtolum, ut Deum mendacij reum faciant. Si enim iſte non negavit, ergo mentitus eſt Dominus qui dixerat, Amen dico tibi*, &c. Eadem libertate Ambroſium, per Gog apud Ezechielem Gothorum nationem accipientem, reprehendit, & Patres qui ut liberius allegoriis indulgerent per Boſra apud Eſaiam *carnem* intelligebant, cum ſignificet *firmam & munitam.* Facile eſſet alia ejuſdem generis plurima congerere, ſed hæc ad ſpecimen ſatis ſunt. Quis enim iam non videt ſanctos iſtos viros, Patres qui præ-

Hier. præf. in Pent. ad Deſi. T. 3. p. 19. B. Neſc o quis primus auctor ſeptuaginta cellulas Alexandr. mendacio ſuo extruxerit.

Id. T. 4. p. 9. B. Comm. 10. in Ezech. Id. T. 3. p. 343. c. 1. Tradit. Hebr.

** Vi Orig. in Num hom. 2. & in M. 11 T. 1. Baſ. in l. 4. 1. 1 Euſeb. lib. Nom. Hebr. Chryſoſt in Geneſ hom. 58. A. ij. Aug de Civ. Dei l. 16. c. 39.*

Hier. ep. 56. ad Damaſ. T. 3. p. 206.

Hier. in locis Heb. Exſ. T. 3. pag 41. D. Comm. 4. in Math. T. 6. p. 140. F. Id. in Matt. Can 31. f. 33. A. col 2

Hier. Comm. 4. in Matth. in c. 26 72. T. 6. cp 135 C.

Id. Com. 11. in Ezech in præfat T. 4. p 9. 4.

Amb l. 2. de fide ad Grat.

currerant, rerum ad religionem pertinentium in Eccleſia judices & arbitros non agnoviſſe? eorum aſſertiones pro oraculis non habuiſſe, ſed quam de iis ex ratione & ex Scriptura iudicandis Auguſtinus nobis omnibus concedit libertatem ſibi reſervaſſe? Nec morari debemus quod alicubi Hieronymus Athanaſii & Hilarii opera videtur excipere cùm Lætæ præcipit ut Paula eius filia illius epiſtolas & huius libros inoffenſo decurrat pede. *Illorum*, inquit, *tractatibus, illorũ delectetur ingeniis, in quorum libris pietas fidei non vacillat: cæteros ſic legat ut magis judicet quàm ſequatur.* Primo enim quantumvis quędam eſſent Patrum ſcripta, quibus nullus error contineretur, (ut dubium nullum eſt quin plurima extent eiuſmodi) non ideo fit tamen ut eorum infallibilis ſit auctoritas. Quod ſunt eius generis inter recentiora ſcripta, quibus neutra pars ullius circà fidem erroris notam impingit, & tamen quis noſtrum de rebus fidei iudicandi poteſtatem eis vellet concedere? Eadem quidem veritas (ut ſupra monebat Auguſtinus) at non unquam eadem auctoritas quæ in libris Canonicis in iis reperitur. Deinde, ſi fides Baronio ad doctrinam de ſancta Trinitate reſtringi debet dictum Hieronymi poſtremum (de ea enim vehementiſſimè tum inter Catholicos & Arianos contendebatur) quod ſi generaliter accipiatur falſum comperietur. Sunt enim quædam Hilarii in quibus pietas haud obſcurè vacillat, ut infra docebimus, ac ut generaliter hoc intellexiſſet Hieronymum demus (id enim, ne quid diſſimulem, videntur ejus verba præ ſe ferre) non eſt incredibile id ei hoc loco accidiſſe, quod ipſe aliis accidiſſe non ſemel notat, nempe ut aliquo judicii errore lapſus ſit. Neque enim exiſtimandum eſt hanc Hieronymi mentem fuiſſe, ut nos eum pluris faciamus quàm ipſe fecit cæteros. Auguſtinus certè negabat nuper ſe exiſtimare Hieronymum aliquid de ea re aliter ſenſiſſe. Nos verò & tuto & libenter Auguſtino aſſentiamur, & una cum eo prorſus arbitremur noluiſſe Hierony-

Hieron. ep. 7. ad Læt. T. 1. p. 60.

Baron. Annal. T. 4. an. 369. ſect. 24. p. 221. E.

rony-

ronymum libros ſuos tanquam Prophetarum & Apoſtolorum legi, ſed ea lege cenſeri, qua ille cæterorum Patrum Scripta cenſuit. Quod ſi fidem Auguſtino derogamus, eam ipſi ſaltem Hieronymo habeamus, ſecundo in Habacuc Commentario. *Hæc (*inquit*) à me breviter dicta ſunt. Siquis autem his ſagaciora & veriora repererit, illi magis explanationi præbete conſenſum.* Et in Sophoniam eodem modo, *Hæc diximus ut potuimus, interpretationi allegoricæ ſervientes. Si quis autem magis veriſimilia & habentia rationem quam à nobis ſunt diſſerta repererit, illius magis lector auctoritate ducatur.* Et alibi eodē ſenſu. *Hæc ut quiuimus, ut vires ingenioli noſtri ferre potuerunt, loquuti ſumus, & Hebræorum & noſtrorum varias opiniones breuiter perſtringentes. Si quis meliùs, imò veriùs dixerit, & nos libēter melioribus acquieſcemus.* Hæc ille; quibus nulla, ut vides, mentibus linguiſve noſtris vincula injicit, ne quæ ſemel ipſe dixerit nos unquā auſimus ſollicitare, vel in eorum rationes inquirere. Vtamur ea quam nobis ipſi Patres concedunt libertate. Fidem ipſis adhibeamus (ſed ut ipſi volunt) in rebus quas rationi Scripturæq; ſuperſtruunt. Niſi ea prudentia verſati ipſi fuiſſent in Sriptis eorum qui ipſis præiverant, Origenis Apollinaris & aliorum id genus, iſtorum jampridem ſomnia fidem Chriſtianam obruiſſent univerſam. Sed nec eruditionis fama, nec ſanctitatis fulgor, nec aliæ ejuſmodi dotes quibus vetuſtiſſimos iſtos excelluiſſe nemo negaverit poſterorum oculos ſic præſtinxerunt, quin vera & ſacra quæ majores docuerunt à vanis & falſis quæ iidem addiderunt, ſejunxerint. Ergo neque nos eorum qui ante nos floruerunt præſtantia deterrere debet quo minùs, ſi quid in eorum ſententiis infirmum aut futile reperitur, id cum bona auctorum venia omittamus, vel etiam repudiemus. Vltro agnoſcunt ipſi ſe homines eſſe, & nihil humani à ſe alienum putare. Inexcuſabiles erimus ſi poſt adeo benevolas, & ingenuas admonitiones eorum ſententias ſine prævio examine recipiamus. *Ego (*inquit

Hieron. Cōm. 2. in Abac. T. 5 p. 459. B.

Id. in Soph. T. 5. p. 487. C.

Hieron. Cōm. in Zachar. T. 5. p. 544. D.

Ambr. l. 7. ep. 47. T. 5. p. 152. Ambroſius) *beneficio annumero ſi quis mea legens ſcripta dicat mihi quo videatur moveri. Primùm quia in iis quæ ſcio falli poſſum, multa autẽ prætereunt, multa quibuſdam aliter ſonant.* Eo refero Veterum ſtudiũ in monendis ſui ſeculi hominibus ne ſine prævio examine dicta ſua ſuſciperent. Vnde Origenes.

Orig. hom. 2. in Ezech. pag. 190. C.

Quæ audientes ut diligenter attendant, & accipiant gratiam Spiritus, de qua dictum eſt, diſcretio Spirituum, ut probati trapezitæ facti diligenter obſervent quãdo falſus ſim magiſter, quando verò prædicẽ quæ ſunt pietatis ac veritatis. Cyrillus eodem prorſus modo quarta Cathecheſi. *Ne mihi iſta dicenti ſimpliciter credideris, in demonſtrationẽ eorum quæ tibi annuntio accipias è Divinis Scripturis; fidei enim noſtræ conſervatio non eſt ex eloquentiæ facultate, ſed ex demonſtratione Divinarum Scripturarũ.* Si tum cùm viua vox eorum in Eccleſia perſonabat nolebant Patres ſibi fidem haberi de ulla re quam ex Scripturis non demonſtraſſent, quanto minùs voluiſſe cenſendi ſunt, ut nos abſque hac demonſtratione eas ſententias admittamus quæ hodie in mutis eorum Scriptis, præſertim tam multipliciter, quod ſupra oſtendimus, depravatis & interpolatis, occurrunt? Enim verò cùm hinc ſanctos illos viros ſe eſſe homines errori obnoxios expendenda eſſe dicta ſua, non pro oraculis habenda clamantes audio, inde verò egregia iſta ſequentium ſeculorum effata oculis meis obverſantur, *Eorum dogmata eſſe univerſalis Eccleſiæ legem, & neceſſarium eſſe ea ſequi, non tantùm quantùm ad ſenſum, ſed etiã quantum ad verba, & quæcunq; dicunt uſque ad ultimum iota retinenda eſſe,* Cùm, inquam, iſta animo expendo, ac inter ſe contendo, venit in mentem Pauli & Barnabæ hiſtoria, quibus cum Licaonij honores divinos per fas nefáſque exhibere vellent, repugnaſſe ſumma vi ſanctiſſimos viros legimus, & veſtes, quod impatientiſſimè ferrent ſibi cultum uni Dei Maieſtati debitum tribui, laceraſſe, conſciſſiſque tunicis clariſſima ad turbas voce inclamaſſe, *Viri, quid hæc facitis? & nos mortales ſumus, ſimiles vobis homines.*

Cyrill. Hieroſol. Catech. 4. pagin. 15. μηδὲ ἐμοὶ τῷ ταῦτα σοι λέγοντι ἁπλῶς πιστεύσῃς, ἐὰν τὴν ἀπόδειξιν τῶν καταγγελλομένων ἀπὸ τῶν θείων μὴ λάβῃς γραφῶν, ἡ σωτηρία γὰρ αὕτη τῆς πίστεως ἡμῶν οὐκ ἐξ εὑρεσιλογίας ἀλλ' ἐξ ἀποδείξεως τῶν θείων ἐστὶ γραφῶν.

Serg. Patr. Conſtãt. Menot. in ep. ad Cyr. C. VI. T. 3. Conc. pag 180. E. ὧν (πατέρων) τὰ δόγματα νόμος τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας. Τούτοις πᾶσι γὰρ ἀνάγκη μὴ μόνον κατ' ἔννοιαν τοῖς τῶν ἁγίων πατέρων ἕπεσθαι δόγμασιν, ἀλλὰ καὶ ταῖς αὐταῖς ἐκείνων κεχρῆσθαι φωναῖς.

Act. 14. v. 13. 14.

mines. Cùm enim unius Dei verbi ſit certò & neceſſariò verùm, eſſe, cúmque huiuſmodi eſſe oporteat id verbum quo fides noſtra nititur, quis non videt hominem in gloriæ Deo debitæ poſſeſſionem mitti, & in eius locum quaſi evehi, cùm ejus verba pro norma & fundamento fidei noſtræ, & pro judice controverſiarum habentur, quæ de ea moventur? Itaque ſi ſancti illi viri quæ hic apud nos geruntur ea de beatis in quibus cum Domino ſuo vitam agunt ſedibus videnr, non equidem dubito quin falſum illum honorem qui ipſis reclamantibus defertur moleſtiſſimè ferant, eúmque probro ducant, quem ſcilicet intelligunt ſibi tribui non poſſe, ſine redemptoris, cui ſalutem ſuam acceptam debent, injuria, gloriæque eius, quam millies ſeipſis potiorem habent, detrimento. Quod ſi è tumulis, in quibus quicquid eorum mortale fuit jacet, vocem edere poſſent nobis proculdubio ob tantum errorem ſuccenſerent graviſſimè, verbáque quondam S. Pauli inclamarent. *Viri, quid hæc facitis? nos quoq; homines, ſimiles vobis æque mortales, iiſdemque vobiſcum affectibus obnoxij fuimus.* Verùm quid opus eſt eorum ſepulchra refodere, vel ſanctas eorum animas de cœlo in terram devocare, cùm voces illæ tam clarè etiamnum in iis ipſis libris perſonent, quos per ſummam imprudentiam ſuper ſolio uni Dei verbo debito collocamus? Quæ fuerit Auguſtini, quæ Hieronymi ſummorum totius Eccleſiæ Occidentalis virorum de hoc capite ſententia ſupra vidimus. Nulla eſt invidia cum tantis heroibus ſentire, vel quid cum eis ſentias liberè eloqui.

Sed antequam ultra pergamus operæ pretium eſt paucis expendere ac diſſoluere quiddam quod hoc loco non ſine aliqua veri ſpecie objici poſſe videtur. Nam ſi non ea eſt Patrum in fide definienda quæ iis vulgò tribuitur auctoritas, cur ergo, inquis, Patrum ſententiis ac teſtimoniis in ſuis de religione diſputationibus utuntur & Athanaſius & Cyrillus, & ipſe ille qui

nuper à nobis memoratus eſt Auguſtinus? Præterquam quòd rectè nonnulli annotarunt, eos non aliter ferè quàm ab adverſariis provocatos in hanc arenam deſcendere, hoc inſuper moneo, nos, rametſi negemus Patrum auctoritatem ad fidei caput probandum ſufficere, non ideo tamen prohibere quominus illi legantur & allegentur. Sapientum Ethnicorum Scripta, Sibyllarum oracula, & è libris Apocryphis petita teſtimonia ſæpe citant Patres. An ideo iſta pro fidei fundamentis habuere, quibus religionem noſtram tutò ſuperſtrui putarent? Abſit ut de iis tam malè ſentiamus. Verbo Divino fides illorum nitebatur; ſed ut fulgorem eius in aperto ponerent, diſciplinas ſcientiáſque humanas perſcrutabantur, & hac inquiſitione oſtendebant lumen illud ex alto ſibi revelatum etiam in ſcholis humanis, ut ut caliginoſis, aliquo gradu lucere ac veluti micare, ſi nulla niſi humana teſtimonia attuliſſent, ne unum quidem ad fidem convertiſſent; Sed poſtquam è revelatione Dei fidêi noſtræ argumentum hauſerant, ſapientiæ fuit, eius, non quidem veritatem, ſed ſplendorem ex ſcintillis illis quę in animis hominum emicabant probare. Eandem ferè Auguſtinus, Athanaſius, Cyrillus & multi alii in Patribus citandis rationem ſequuti ſunt. Poſtquam enim gratiæ Divinæ neceſſitatem, & efficaciam, conſubſtantialitatem Filij cum Patre, & unionem duarum in Chriſto naturarum Divinæ revelationis auctoritate conſtituerunt, varios è ſuperioribus Doctoribus locos deinceps, veluti auctarium & corollarium, afferunt, ut doceant illa dogmata ita clarè in verbo Dei haberi, ut ab omnibus majoribus in eo viſa & agnita fuerint; utili ſanè conſilio, & ad fidei noſtræ ſolatium accommodatiſſimo. Quid enim animo fideli ſuavius atque jucundius accidere poteſt quàm ſi recognoſcat viros Eccleſiæ principes, ſanctitate & doctrina celeberrimos, jam olim in eadem, de Chriſto ejúſque gratia, ſententia fuiſſe quæ hodie apud nos obtinet? Sed ex eo non ſequitur, ſanctos

ctos viros ea fidei capita, etiam nullo in Scripturis Canonicis fundamento niti, neque vſpiam alibi quàm in Majorum ſuorum Scriptis extare comperiſſent, ea nihilominus, ſola Majorum auctoritate permotos, credituros & amplexuros fuiſſe. Palàm teſtificatur Auguſtinus, cùm ita ſe res habet, nulla invidia poſſe eos rejici, neque tum ſine nimia credulitate admitti. Nimiæ enim credulitatis eſt aliquid ſine ratione credere. Quod verò ſine Scriptura vel ratione in medium affertur, id diſertè negat Auguſtinus hujus eſſe auctoritatis ut credi debeat. Hominum ergo afferuntur teſtimonia, non ad probandam fidei veritatem, ſed ad eam illuſtrandam, vbi ſemel probata eſt. At nonjam de illis capitibus, quæ in Eccleſia Romana creduntur & decentur illuſtrandis agitur, de rebus ipſis quæritur quarum veritas in controverſiam vocatur. Docete nos (inquiunt Proteſtantes) vel ex Scripturis vel ex neceſſariis rationibus eſſe aliquod Purgatorium, Euchariſtiam non eſſe panem, Papam eſſe Eccleſiæ Monarcham, ſi hoc ſemel præſtiteritis non repugnamus quin deinceps ſuo ordine quæratur num tertio & quarto ſeculo eadem veritas, de qua inter nos convenerit, in confeſſo fuerit, Vt hinc incipiatis non ſinit ipſe rerum naturalis ordo. An res ſit ſtatuendum eſt prius quàm an credita fuerit inquiramus. Quid enim juvabit demonſtraſſe ſic ſenſiſſe Veteres, ſi nulla apud eos extat ratio qua ad idem ſentiendum commoveri queamus; Quid verò erit incommodi ſi in ea fuiſſe ſententia Veteres neſciamus, modo rem ſe ita habere apud nos conſtet; Iam quod à nonnullis, vt Patres de controverſiis ſummi judices conſtituantur, afferri video, Siſinnium, ſcilicet, Nouatianum, ejuſque Epiſcopum Agellium, auctores fuiſſe Conſtantinopolitano Archiepiſcopo Nectario, & Imperatori Theodoſio vt quærerетur ab Arianis reciperéntne eos qui ante oborta Eccleſiæ diſſidia interpretes ac doctores fuiſſent Scripturæ ſacræ, id eſt, num eorum judicio ſtare vellent, id, inquam,

Sozom. l. 7. c. 12. Eccleſ. Hiſt. edit. G. a. fol. 95. B.

Ff

totum nullius apud nos momenti eſſe decet. Conſilium enim fuit hominis veteratoris, & quidē ſchiſmatici quē meritò ſuſpiceris dolo, ac iſtis ſolenni fraude vel graſſari, vel ludere potiùs voluiſſe, quàm ex æquo & bono in hoc negotio verſari. Si ea fuit legitima methodus, cur tot Catholicis Epiſcopis non venit in mentem? Neſciebant illi, ſcilicet, quibus armis adverſus Eccleſiæ hoſtes pugnandum eſſet. Unus repertus eſt adoleſcens ſchiſmaticus, qui noſtros veram diſputandi artem doceret. Quæ ſi probata fuit cur Gregorius Nazianzenus, cur Baſilius, cur alii ſexcenti, qui in confutandis illorum temporum Arianis operam poſuerunt, Scripturas ferè ſolas contra hæreſin adhibent? Nimirum ſancti illi viri dum ſic agebant & Chriſtiano candori obſequebantur, qui præter Deum nullum alium habet fidei ducem ac magiſtrum, & Eccleſiæ ſapientiſſimè conſulebant. Nam ſi auctoritatibus humanis decidenda fuiſſet ea controverſia non video qui verè præſtari ac demonſtrari potuerit quod ille de Novatiani grege nugator iactabat, *Neminem vnquam Veterum auſum fuiſſe dicere Filium Dei ex aliquo principio ducere originem*, cum in antiquiſſimorum Patrum libris duræ & incommodæ de hoc argumento locutiones etiam num occurrant. Quin & Veterum teſtimoniis pugnaſſe vt plurimum Arianos ex Athanaſio, Hilario, aliiſque nonpaucis diſcimus. Sed nimiùm diu immoror in eā refellenda hiſtoria quam Cardinalis ipſe Baronius explodit velut fabellam, à Sozomeno Novatiano in Schiſmatis ſui gratiam confictam. Vincentij cujuſdam Lirinenſis, è libello quodam quem plurimi fecit Gennadius, locus videtur majori conſideratione dignus. Is ergo poſtquam dixit ſe de iis tantum Patribus agere *qui in fide & communione catholica ſanctè, ſapienter, conſtanter viventes, docentes, & permanentes*, *vel mori in Chriſto fideliter, vel occidi pro Chriſto fæliciter meruerint*, ſubjungit, *quibus hac lege credendū eſt, ut quicquid vel omnes, vel plures, uno eodémque ſenſu, manifeſtè, frequēter, perſeveran-*

Ibid. οὐ γὰρ ἴδμεν ὡς οἱ παλαιοὶ τολμήσαντες τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ [illegible] εἰπεῖν ἐκ τινὸς ἀρχῆς τὴν γένεσιν αὐτοῦ λέγειν.

Baron. Ann Tom. 4. a. 383. ſect. 28. p. 389.

Gēnad. l. in Catal. p. 98 inter oper Hieron. T. 1. Vincent. Lerin. Comm. 1. c. 39. T. 4. Bibl. Patr.

ſeveranter, velut quodam conſentiente ſibi magiſtrorum concilio, accipiendo, tenendo, tradendo firmaverint, id pro indubitato ratóque habeatur. Verùm quam nonnulli Patribus tribuunt ſummam in fidei negotio auctoritatẽ locus iſte adeo non confirmat, ut me quidem de ea vehementer dubitare cogat. Ex iſtis enim patet hunc Scriptorem (non quæro jam quo animo atque conſilio) id in primis optaſſe, ut apud Patrum tribunal omnes de religione controverſiæ judicarentur, idque ut impetraret omnibus modis contendiſſe, quo eorum de rebus Divinis judicium infallibile cenſeretur. Atqui tota iſtius in hoc argumento oratio ſic æſtuat, ſic anxia, ſic perplexa eſt, ut ſatis appareat hominem id quod cupiebat ſenſiſſe ac vidiſſe ipſum à vero alienum eſſe. Tam ſollicitè enim propoſitionem ſuam circumſcripſit, ut ſi in Patrum ſententiis verè inveniantur conditiones, quaſcunque iſte requirit, vix putem quemquam fore adeo cautum ac ſuſpicacem, qui in eorum ſententia, his quidem legibus, non conquieſcat. Sed ex alia parte, quas Vincentius iſte, ad hoc ut Patribus tutò credamus, exigit conditiones eas in unum concurrere uſque adeo difficile eſt, ut nulla ſpes ſit hæc unquam, quæ ipſe fingit exempla, in rebus humanis repertum iri. Primò non aliorum in hoc negotio teſtimonia adhiberi vult quàm eorum qui, non ſolùm vixerint, ſed etiam docuerint, &, quod majus eſt, permanſerint in fide, atque adeo in communione catholica. Sed ne ſic quidem ſatis ſe tutum putavit. Itaque novo quodam trium (ut ſic dicam) adverbiorum vallo ſe munivit, ut ſcilicet ij quos ad dicendum teſtimonium admittit, vixerint, & docuerint *ſanctè, ſapienter, & conſtanter.* Sed nondum finis: his omnibus illud poſtremò adjicit, ut vel pro Chriſto, vel certè in Chriſto, mortui ſint. Si vixerint, & non docuerint, vixerint & docuerint, ſed non permanſerint; vixerint & docuerint & permanſerint in fide, ſed non in communione; aut in communione, ſed non in fide Eccleſiæ catholicæ;

aut ſi in ea vixerint & docuerint ſanctè, ſed non ſapienter; vel contra ſapienter, ſed non ſanctè: Denique ſi præſtitis iſtis omnibus, neque in Chriſto, neque pro Chriſto mortui fuerint, non poſſunt, (ſi quid iſte noſter Legiſlator ſapit) teſtimonium in hac cauſa dicere. Hic quidem tutò, ni fallor, poterat conſiſtere ac quieſcere, neque opus erat ut anxiè etiam teſtium teſtimoniorúmque iſtorum numerum præſcriberet. Quis enim eſt Chriſtianus qui non ultrò fidem adhibeat ſententiæ eius viri, qui ſanctè, ſapienter, & conſtanter vixerit & docuerit, & permanſerit in fide & communione Catholica? Iſte quidem, quem talem eſſe ſciero, non dubitabo quin vera de religione dicturus ſit. Quomodo enim ſapienter & conſtanter docuiſſet, ſi falſa ulla dogmata docuiſſet? Nihil ergo homo iſte aliud ſpondet niſi futurum ut non fallamur ſi modo nulla niſi ſancta & vera dogmata admittamus. Sic ſolent pueri ludere, dum te negant moriturum, ſi modo cibum ſemper ſumpſeris Neminem nunc putem tam duro & iniquo eſſe animo, qui non ultrò de fide ſua ſit compromiſſurus apud hominem quem compertum habuerit ejuſmodi revera eſſe, qualem nobis deſcribit noſter ille Lirinenſis. Sed cùm in primis de teſte conſtare debeat, priuſque ſciendum ſit, qui qualiſque ſit, quàm ipſum audiamus, ſupereſt ut, antequam Patri vlli aurem præbeamus, certò atque indubitatò teneamus eum iis omnibus quas Vincentius requirit conditionibus verè præditum fuiſſe. Amabo, qui ea de re nobis conſtabit? Quis nobis fidem faciet vel Athanaſium, vel Cyrillum, vel alium quemvis veterum Scriptorum vixiſſe, docuiſſe permanſiſſe, mortuum eſſe, ſanctè, ſapienter, conſtanter in fide & communione Eccleſiæ? Non aliter de his cuiquam conſtare poteſt niſi qui in iſtorum Patrum vitam & doctrinam accuratiſſimè inquiſierit. Atqui id nunc poſt duodecim undecimve ſecula inquirere & ſerum eſt, &, (ut loquuntur) impoſſibile. Ac ut poſſibile eſſe finxeris, ſuperva-

cancum

canᴛum quidem futurum nulliúſque ad Vincentianas rationes uſus manifeſtum eſt. Patres enim teſtes advocat ut ex iis veritatem diſcat. Vt autem legitimè inquiramus an iis conditionibus, de quibus ſupra actum eſt, prædici fuerint, ante omnia neceſſarium eſt ut de veritate ipſa nobis conſtet. Hanc niſi teneas ſcire non potes an ſanctè, & ſapienter docuerint. Quod ſi apud te quæ ſit veritas jam conſtitutum eſt, ut ad eam diſcendam ipſos audias nihil opus eſt. Uſui tamen eſſe poterunt in illuſtranda & confirmanda hactenus cognita veritate, non vt ignotam ex iis diſcas. Quod ſi alio ſenſu pronuntiatum illud intelligas, ſapientiámque, ſanctitatem, fidem & communionem catholicam, de quibus agit, pro umbra tantum, rerúmque iſtarum cortice, promiſcuáque, leui & ex fama tantùm audita rei notitia accipias, falſum erit evidenter quod ille pronuntiat. Qui enim ſpecie tenus tantum, & non reipſa conditionibus illius prædici ſunt, ij nō ſunt idonei qui teſtimonium dicant, multò minùs qui de rebus fidei judicio vltimo, & à quo provocare non liceat, ſtatuant. Itaque Vincentiana propoſitio, ſi præcisè ut ſonat, accipiatur, ſupervacanea aut impoſſibilis eſt. Sin de eius ſenſu aliquid remittas, falſa. Eadem conſideranda ſe ſe offerunt circa conditiones quas in teſtium iſtorum numero & teſtimoniis requirit. Vim enim leges non concedit, niſi iis rebus quas, vel omnes, vel plerique aſſeruerint. Si per hæc *vel omnes* Patres qui fuerunt, vel eorum ſaltem maximam partem intelligit, ad impoſſibile nos adigit. Patrum enim qui fuerunt pars maxima & forſan potiſſima nihil ſcripſerunt: ex iis qui ſcripſerunt, quam multos vel tempus abſumpſit, vel hominum fraus ſuppreſſit, aut deprauauit? Prorſus ergo impoſſibile eſt vt quæ, vel omnium, vel plerorumque Patrum ſententiæ fuerint hoc ſenſu pernoſcamus. Quod ſi hanc Patrum, vel univerſalitatem, vel maximam ſaltem partem, ad eos qui hodie extant, id eſt, quorum mo-

numenta ſuperſunt, vel quotum in hiſtoriis ſcriptiſve aliorum mentio fit, reſtringas, reſtabit conſtituendum, an nulla ætatis diſtinctione omnes promiſcuè ſententiam rogari velis, an in varias claſſes pro ſeculorum ratione diſtribui malis, ita ut in unum conjungantur ij omnes qui eodem ſeculo vixerint, firmúmque & ratum habeatur quod eorum maxima pars confirmauerit. Vtrumvis eligas, judicium de fide Chriſtiana fortuitum fiet; ex variis enim caſibus quibus aut perierint, aut conſeruati fuerint Patrum libri, pendebit. Eſto enim præclara hac methodo dogma aliquod controverſum comprobarit Vincentius; tam optatum ſucceſſum igni, aeri, aquis, tineis, vel cariei, quæ Scriptoribus pepercerint, aut eos qui cum adverſariis ſuis faciebant abſumpſerint, debebit. Abſque his foret in hæreticorum cenſum referendus fuit. Sic eadem penè ratione fidei capita definientur qua lites olim neſcio quis deciſiſſe dicitur, ſorte, ſcilicet, atque alea, jactis teſſeris luſoriis. Expende ſodes qui quantuſque labor futurus ſit, omnium ſeculorum Patres, vel ſparſos in unum colligere, collectóſque promiſcuè nullo diſcrimine conſulere, vel pro ætatum ratione in certas claſſes diſtributos ſententiam rogare. Quid verò fiet ſi (quod nonnunquam accidere poſſe infra docebimus) plerorumque ſententiæ, vel Scripturæ, vel Eccleſiæ adverſari comperientur? Sed & iniquiſſimum eſt eorum æquari ſententias qui doctrina, ſanctitate, integritate merito denique, valde diſpares fuerint Rhericium, verbi gratia, illum quem falsè ſugillat Hieronymus eodem cum Auguſtino ſuffragij jure gaudere, vel Philaſtrium & Hieronymum eodem ordine cenſeri. Et inter Patres cuius unius ſententia pondere & pretio centum alios vincit. Decernit tamen Vincentius ſuffragia non expendi, ſed numerari, tantique eſſe jubet apud nos æreos, quanti aureos nummos. Denique ut Patres ipſos cætera inter ſe æquales fuiſſe fingamus, Patrum certè ſententiæ æquari non poſſunt, immani ut plurimum

mum diſcrimine inter ſe diſtinctæ, quarum aliæ, ut ita dicam, pro tribunali, inſpectis omnibus litis firmamentis atque documentis, auditis ambabus partibus, accuratéque expenſis totius cauſæ momentis, ritè ac legitimè pronunciatæ; aliæ temerè ac tumultuariè, ab aliud agentibus effuſæ potiùs quam dictæ ſunt. At Vincentius, vt ab hoc poſtremo incommodo ſibi caveret, decernit ut maximæ iſtius partis, quam ad eiuſmodi auctoritatis faſtigium evehit, ſententia firmata fuerit *manifeſtè frequenter & perſeveranter*, ita demum pro indubitata certa, ratáque habeatur. En tibi novus labor, noua de integro ſuperanda difficultas. Amabo enim, cum Patres iſtos é ſepulchris excitauerimus, ut nos quid de religione olim ſenſerint doceant, quî nobis conſtare poterit an quæ in eorum libris nunc legimus huiuſmodi ſint quæ *manifeſtè frequenter & perſeveranter* firmauerint, necne? Quod ſi in eo, quod iſte fingit, Patrum Concilio, iis ſuffragii jus ſuam vel manifeſtè expreſſiſſe, vel frequenter confirmauiſſe, vel denique conſtanter retinuiſſe, tuam fidem, lector, quis denique ex tanto numero ſupererit, cui ſuffragij ius tutò deferri poſſit? Fidei quidem ſymbola, ac prima quatuor Concilia, quæ Proteſtantes ipſi quoque agnoſcunt, ſuum in hoc judicio locum habebunt atque tuebuntur. Cætera verò Patrum dicta pro ſententiis ac judiciis in hac cauſa cenſeri his profectò legibus non licet, vt vel ex iis patet quæ in priori operis parte diſputauimus. Atque ita iam, ni fallor, ſatis manifeſtum eſt Vincentianam illam methodum, vel planè impoſſibilem, vel valde periculoſam eſſe. Quo ſapientiſſimum Auguſtini de Patrum auctoritate judicium magis magiſque confirmatur; Cùm enim qui aliter de iis judicat Vincentius, in ea ſe incommoda induerit quibus efficitur ut eius ſententia, vel liquidò falſa ſit, vel certè obſcura & inanis, vel denique maximis periculis obnoxia, apparet eam ex uno auctoris ſtudio, non ex ulla ſolida

ratione natam eſſe: In qua expendenda paulo diutius immorari libuit, quòd eam multis, & quidem eruditis, nimiùm placere videam. Alioqui poſt luculentiſſima Auguſtini & Hieronymi judicia nihil erat quod de vnius Lirinenſis Monachi ſententia laboraremus.

Perron. Caſſander &c.

Sed antequam caput hoc concludo juvat in ipſo Vincentio vtramque,id eſt ſuam & Auguſtinianam methodum experiri. Negat Auguſtinus nos ulla cuiuſcunque auctoris ſententia teneri, niſi quæ vel Scripturarum canonicarum auctoritate, vel aliqua ratione probabili conſtituta confirmatáque fuerit. Hic verò Lirinenſis eremites quam vel Scripturam vel rationem attulit qua ſuam illam aſſertionem nobis probaret? Eam ergo liberum eſt ex Auguſtini lege & praxi repudiare, præſertim cùm repudiandæ certa ratio ſit, cuius conſtituendę nulla,vel ab ipſo auctore, allata eſt. Vides ex Auguſtini decreto nullam eſſe apud nos debere ſententiæ Vincentianæ auctoritatem, quantumlibet fuiſſe finxeris auctoris inter Patres nomen. Sed jam de Vincentio ex propria ipſius ſententia judicemus. Vetat Scriptoribus fidem adhiberi, niſi qui ad mortem uſque ſanctè & ſapienter vixerint & docuerint. Quis idoneè cauebit ipſum ſic & vixiſſe & docuiſſe? Quis confirmabit non fuiſſe eum hæreticum hæreticorúmve fautorem? Iſte enim,quiſquis de cætero fuerit, Semipelagianis, qui tum in Galliis Auguſtini memoriam proſcindebant, quique ab Eccleſia damnati ſunt haud obſcurè fauet,& ex Commonitorio apparet,quo loco licet tacitis virorum nominibus innuit, quæ Proſper & Hilarius apud Cœleſtinum de Gallorum Maſſilienſium nouitatibus criminati erant, ea falſa fuiſſe,& Gallis per calumniam afficta. Quin & hunc earum adverſus Auguſtinum objectionum auctorem fuiſſe quas Proſper confutat & *Vincentianas* inſcribit nomen ipſum clamat. Suſpicionem etiam plurimum augent laudes quas in iſtum confert Gennadius, quem conſtat in eadem facta fuiſſe; ut vel ex eo patet, quod

Vincent. Lirin. in Comm. 2. c. 43. B.

Proſp. Reſp. ad obiect. Vinc. Gennad. in Catal. in Ruf. inter ep. Hieron. T. I. pag. 319.

tanti

tanti facit Pelagianorum Patriarcham Ruffinum, Aquileenſem presbyterum;cum eum *non minimam partẽ Doctorum Eccleſiæ* vocat, apertéque eius adverſarium Hieronymum tanquam invidum, & calumniatorem criminatur; tum ex eo quod Auguſtino iniquiſſimus eſt, & in eum ſanè impudenter torquet S. Spiritus apud Salomonem dictum. *In multi loquio non deerit peccatum.* Quo fit ut ſatis mirari nequeam Cardinalis Perronij temeritatem,qui hunc ſcriptorem ut plurimum cum Sancti Vincentij Lirinenſis elogio laudat;peſſimo exemplo, in Divorum numerum referens Scriptorem de hæreſi ſuſpectum. Cùm ergo is fuerit Vincentius, non eſt mirandum quòd tanti faciat Patrum judicia, quorum auctoritate nemo neſcit Pelagianos & Semi-Pelagianos abuſos fuiſſe. Cùm enim iis qui de hoc argumento ante Pelagij tempora ſcripſerant multa incautiùs excidiſſent, quæ orthodoxis negotium faceſſebant, ea in compendium ſuum vertebant Pelagiani & Maſſilienſes. Sed etſi Vincentio nihil eorum defuiſſet quę in aliis ipſe ad hoc requirit,ut teſtimonium in hoc negotio idoneum ferre poſſint, ne ſic quidem vllius ponderis eſſe poteſt iſta eius ſententia,quæ apud eorum qui ipſo ſuperiores fuerunt Patrum neminem occurrit; præſertim diſertè repugnantibus Auguſtino & Hieronymo, in locis quos ſupra ex ipſis protulimus, quæ denique obſcuritatibus & ambiguitatibus inexplicabilibus laboret. Itaque *quamvis ſanctus & doctus,quamvis Epiſcopus,quamvis confeſſor & martyr* (quod non eſt) *fuiſſet,iſta tamẽ eius ſententia*,(ut ipſius verba hic uſurpem) *inter proprias & occultas & privatas opiniunculas à communis, publicæ & generalis ſententiæ auctoritate ſecreto ſit.* Stemus ergo potiùs in hoc argumento Auguſtini judicio, cuius & ratio evidens, & auctoritas infinitis paraſangis Vincentiana ſuperior eſt. Nulli ergo Patrum ſententiæ, quàm ex Scriptoribus Canonicis vel probabili ratione non confirmaverint,in poſterum fidem adhibeamus.

Celeſt. apud Auguſt. T 7. l.2.c6 P.lag. & Celeſt. c.3.

Gennad. ubi ſupra p. 395.

Proverb. 10. 19.

Perron. Repl. ad Regẽ mag. Britã. paſſim.

Vincent. Lirinenſ. comm. 1. 39. ubi ſupra c.

CAPVT III.

Ratio III. *Patres ea ratione ſcripſiſſe vt manifeſtum ſit iis inter ſcribendum, de Religione pronunciare non fuiſſe propoſitum. Eorum in quibus lapſi ſunt, & errauerunt exempla quædam.*

VErum quisquis diligenter eam rationem expenderit qua Patres in ſcribendo vſi ſunt, is nullum aliud in hac cauſa teſtimonium deſiderabit. Scriptorum ipſorum ratio ſatis perſpicuè teſtatur plerorumque eam mentem fuiſſe non ut placita nobis ſola dicentium auctoritate ſuffulta pronunciarent, ſed tantum ut ſuas in varias Religionis partes nobiſcum meditationes communicarent,ea lege vt liberum nobis eſſet eas, prout commodum videretur,examini ſubjicere,admittere, vel repudiare. Diſertè id profeſſus eſt ſupra Hieronymus, cùm ageret de ingenio & ratione commentariorum in S. Scripturam. Si aliud fuiſſet eorum conſilium, tempus non triviſſent (quod plurimum faciunt) in colligendis variis aliorum ſententiis. Hæc diligentia in Doctore laudem meretur; in iudice ridicula eſt. Neque verò eorum ſtilus judici convenit. Illa quæ Patribus familiaria ſunt, partim, ut ſupra diximus ex ornamentis Rhetoricis, partim ex Dialecticis tricis & aculeis contexta involucra nullum in iudicium ſententiis locũ habent.Quis enim pigmenta ejuſmodi in Senatuſconſulto, vel in nudo teſtimonio adhibentem ferat? Sed illa præſertim incuria, ſecuritas, & negligentia, quæ in iis libris cernitur(qui nobis pro norma fidei nunc obtruduntur) hoc ipſum quod diximus luculentiſſimè docet. Credibiléne eſt homines adeo exquiſita ſanctitate illuſtres, ſi veram & perfectam fidei normam poſteris tradere in animo habuiſſent, in tanti momenti negotio adeo perfunctoriè verſa-

verſaturos fuiſſe? Nec ſanè, ſine ſumma eorum injuria, fingi poteſt ipſos aliter in id indubituros quàm oculis apertis, mente compoſita & attenta, ſummáque cum omnium animi facultatum contentione, ne quid eis excideret quod, vel ab ipſorum ſapientia, vel à fidelium commodis alienum eſſet. Iudices, quorum vel mediocris eſt æquitas, non aliter de Titij Mæviíque bobus, fundo, aut ſtillicidiis pronunciant. Quanto magis eadem maturitas, eadémque grauitas hic requiritur, ubi agitur de fide, de anima & de ſalute æterna totius generis humani? Abſit ut exiſtimemus ſanctos iſtos viros de huiuſmodi cauſa, niſi ſumma cum diligentia, tum attentione judicare inſtituiſſe. At manifeſtum eſt pleraque quæ ſuperſunt eorum volumina vel negligenter, vel (ut mollius dicam) ſecurè conſcripta fuiſſe, ſiue ipſam rerum inventionem, ſive ordinem aut elocutionem ſpectes. Si ergo eius ſanctitas & ſapientiæ, qua floruerunt, laudi fauemus, profectò ſtatuendum eſt nunquam eos hoc conſilio ita ſcripſiſſe, ut judicio omni provocatione majori, de fidei capitibus deciderent; vel ut quæ dixiſſent, ea à nobis haberentur pro totidem Senatusconſultis, vel edictis Prætoriis. Fatendum eſt quod res eſt, eorum monumenta nihil aliud eſſe quàm litteraria varię indolis, ex concurſu variarum occaſionum nata opuſcula, pro temporis, ingenij, & ætatis ratione magis minúſve elucubrata. Quanquam autem ille accurationis & maturitatis neglectus ſatis per ſe pateat cuilibet non oſcitanter Patres legenti, attamen, ne quid ſine probatione affirmare videar, hæc quædam eius ſpecimina in medium afferre conſtitui.

Primò ergo inter Patrum opera non pauca occurrunt raptim ſcripta; quædam etiam ex tempore effuſa, adeóque eiuſmodi ut admodum probabile ſit auctores ipſos multa in iis fuiſſe emendaturos, ſi recognoſcere licuiſſet. Hieronymus Prologo in quaſdam homilias quas è Græcis Latinas fecerat dicit, Origenem eas ex tem- *Hier. Prolog. in Homil. Orig. in Ioſ. Nau.*

pore in Eccleſia peroraviſſe. De his ille nos monuit:ſed quàm multa ſunt ejuſdem generis inter Chryſoſtomi, Auguſtini & aliorum ſermones, quos cum vulgo putemus maturè & per otium meditatos, digeſtos & elaboratos, vero fortaſſe propius eſt ſubitò, ex aliqua occaſione in lucem editos, citiúſque natos quàm conceptos. Hieronymus non ſemel teſtatur ſe quæ ſcribit raptim & properanter dictaſſe. Ita ad finem prolixæ illius epiſtolæ quam ad Fabiolam miſit, ſe eam *ad unam lucubratiunculam, cùm jam funis ſolveretur è littore, & nautæ crebriùs inclamarent propero ſermone dictaviſſe* ait. Et (quod longè majoris eſt momenti) *trium Salomonis voluminum Proverbiorum, Eccleſiaſtæ & Canticorum interpretationem, tridui opus* vocat, quibus tamen accuratè & attentè legẽdis (propter difficultates quibus ſcatent, ſiue voces & phraſeologiam, ſiue res ipſas ſpectas) vix menſis vnus ſatis ſit. Et tamen, ſi vera ſunt Eccleſiæ Romanæ decreta, exiguum illud tridui opus adeo fauſto ſidere natum eſt, ut non ſolùm probatum & maximi factum ſit, ſed etiam à Concilio Tridentino in Canonem relatum. An Domini noſtri conſilium fuerit, ut hic Hieronymi tam præceps labor pro ſuo verbo haberetur, quærant quibus vel lubet vel vacat. Ego ſanè certò poſſe videor negare Hieronymum id unquam vel cogitaſſe vel ſperaſſe futurum, ut in iſto ordine collocaretur aliquando iſtud ſuum opus, quòd non ſit veriſimile ipſum, in eo elucubrando opuſculo, quod tanti olim futurum prævideret, non aliquanto plus & temporis & operæ poſiturum fuiſſe. Ita fit interdum ut res quibuſdam ſupra ſpem & vota cedant. Idem de alio ſuo opere inquit. *Extemporalis eſt dictatio, & tanta ad lumen lucernulæ facilitate profuſa, ut notariorum manus lingua præcurreret, & ſigna ac furta verborum volubilitas ſermonem obrueret.* Alibi, opus maioris momenti, Commentarios ſcilicet in Matthæum, eadem ratione excuſat; quod temporis anguſtiis coactus fuerit eos ſumma celeritate dictare. Et Præfatione in ſecundùm.

Hier.ep.127. ad Fab. T.3. p.99. c. vul. & in Epiſt. Marcel.ep.16 extr. T.1. pag. 148. D.

Id. Præfat. in Proverb. T.3. p.39. B.

Id. ep.47. T.1. p.100. C. D.

Id. præfat. ex t. in Matth. T.6.

dum Commentarium in Epiſtolam ad Epheſios narrat, ſe in ſcribendo *interdum per ſingulos dies uſque ad numerum mille verſuum pervenire.* Breuiter ne ſi omnes ejuſmodi locos commemoravero lectori tædium afferram, Hieronymo ſolennis eſt illa excuſatio; vel ab ea orditur, vel in eam definit in pleriſque ſuis lucubrationibus; vel urget tabellarius, vel ipſe allis occupationibus avocatur, vel aliqua alia de cauſa feſtinare cogitur, omnia ſubitò & curſim facit. Interdum animus morbo dejectus jacet, interdum lingua ex Hebraicarum vocum pronunciatione rubiginem contraxit; ſtilus nonnunquam ſolito tardior eſt. Tuam fidem, Lector, ſi quicquid ſcribit pro oraculo habendum putavit, niſi quædam excuſari, quædam condonari voluit, quid iſtis omnibus opus fuit? Quis unquam judicem temporis anguſtias excuſantem audivit? Hæc in judice defenſio crimen eſt; quod hoc ipſum, curſim nempe & feſtinanter iudicare, ſit culpa graviſſima. Mihi quidem Patres iſti iudicum dignitari, qua nos eos, velint, nolint, donamus, non videntur clarius renunciare potuiſſe, quam dum ita ſcribunt ac loquuntur. Sed vel tacente Hieronymo (quanquam quæ ille de ſe nos monet ad iudicandum de cæteris Patribus facem præferre debent (quàm parum temporis ac curæ in pleriſque operibus ſuis adhibuerint Patres ipſa per ſe loquuntur. Aliàs quî tantis, tamq; in omni litterarum genere verſatis Scriptoribus, tot, ſiue in Hiſtoria, ſiue in Grammatica, ſiue in Philoſophia, ſiue in aliis Diſciplinis errores, licet leviuſculi, excidiſſent? Eorum quædam exempla huc referam, non vt quicquam de magnorum iſtorum virorum laude deteram, veluti eos minutiarum iſtarum rudes & imperitos fuiſſe putem, ſed ut eos in ſcriptis ſuis non ſemper omnes ingenii ſui vires explicuiſſe doceam, & quandoque, neque totam ſuam induſtriam, neque omnes ſuas horas iis condendis adhibuiſſe. Parachroniſmos immenſos & frequentes hic mitto, ut quum Iuſtinus ſcribit Davidem mille & quin-

Id. Præfat. C. mẽ 2. in ep. ad Eph. T. 6 p. 383.

Iuſt. Apol. 2. pag. 80. B.

Δαβὶδ ἔτεσι χιλίοις καὶ πεντακοσίοις πρὸ ὁ Χριστὸν ἄνθρωπον γενόμενον σταυρωθῆναι τὰ προειρημένα ἔφη.

gentis annis ante vixiſſe quàm Chriſtus homo factus crucifigeretur; cùm ex ſerie temporum & hiſtoriis, quà ſacris, quâ profanis, facile ſit colligere à morte Davidis uſque ad Chriſtum natum circiter mille & viginti quinque aut triginta annos tantum effluxiſſe. Cum Epiphanius ſcribit [a] Moſem anno ætatis trigeſimo ex Ægypto profectum cum Iſraelitis mare rubrum pedibus ingreſſum, teſtante contra S. Scriptura tum octoginta annos natum fuiſſe. Cùm refert [b] Hieroſolymorum ſub verſionem ad quintum & ſexageſimum annum à Chriſti paſſione. Chryſoſtomus [c] ſcribit ſuo tempore quingenteſimum agi annum ab Hieroſolymæ à Tito exciſæ clade. Item [d] à quo Paulus vixit annos prætcriiſſe quingentos. Alibi quadringentos annos ab illis temporibus ad ſuam memoriam putat. [e] At vero conſtat annos ab illius urbis clade ad Chryſoſtomi exilium non plures quam 333. aut 334. effluxiſſe, quod & ipſe ſemel tetigit, ſcribens [f] 300. ann. eſſe & amplius à quo Hieroſolyma exciſa erant. Idé alibi Ezechiam mille poſt Davidis mortem annis vixiſſe ait, [g] inter quos ne 400. quidem annos interceſſiſſe conſtat. Et in genere veterum omnium Chronologia mirum in modum involuta, & ſupina, & incondita eſt, & pleraque à vera temporum ratione alieniſſima ut notant & fusè probant recentiores omnes Scaliger, Petavius & alii. Sed cùm hæc præ ſumma tenuitate nonnunquam perſpicaciſſimos fugiant, & in iis aliquando etiam diligentiſſimi quiq; hallucinentur, pluribus in iis inquirendis ſuperſedeo. Sed en tibi in aliis argumentis quæ horum Scriptorum ſecuritatem perſpicuè evincant. Iuſtinus agens de Verſione Septuaginta interpretum dicit Ptolomæum Egypti Regem legatos ad Herodem Iudææ Regem miſiſſe; cùm extra dubium ſit Legatos iſtos miſſos fuiſſe ad ſummum Sacerdotem Eleazarum, ducentis & quod excurrit annis, antequam Herodes regnaret in Iudæa. Epiphanius tribus aut quatuor locis docet Peripateticorum & Pythagoræorum eandem fuiſſe in

a Epiph. in Anc[h]or. n. 112 T. 2. p. 115. B. ὁ δὲ Μωϋσῆς ἐν τῷ λ' ἐνιαυτῷ [illegible] ἐξήγαγε [illegible] ἄνω [illegible] Αἰγύπτου [illegible]. Vide Petav. in eum locum. Epiph. l. de pond. & menſ. n. 2. T. 2. p. 169 C.

b γέγονεν ἡ ἐρήμωσις Ἱεροσολύμων μετὰ [illegible] τοῦ Χριστοῦ σταυρωθῆναι ἢ μικρὸν [illegible]

c Hom. 4. cōt. Iud. quæ eſt 37. al[i]ps Anti[o]ch. T. 1. p. 97. A.

d Hom. 25. T. 5. quæ eſt in 2. Cor. 4. 13. pag. 356. C.

e L. quod Chriſtus ſit Deus, T. 5. p. 254 C. & in Pſ. 8. T. 3. p 199

f Hom. 19. in Rom. p. 221. F.

g Hom. 2. in Pſ 50. T. 3. p. 1017 C

Iuſt Martyr. Apol. 2. p. 72. B. ὅτι δὲ Πτολεμαῖος ὁ Αἰγυπτίων βασιλεὺς βιβλιοθήκην [illegible] Ἡρώδην [illegible] τῶν προφητῶν.

Epiph. in Panar. L. 1. T. 1 p. 14. & Anacepb. p. 127. 129. 133.

in Gentilium Philoſophia ſectam; quos vel pueris notum eſt, non minùs interſe diſſenſiſſe quàm Stoicos ab Epicureis. Auguſtinus [a] verò ait tradere Ariſtotelem animam eſſe quintum corpus, qua in re deceptum eum fuiſſe & ex Ariſtotele ipſo patet cuius ſuperſunt nobiliſſimę de anima diſputationes, & à Ludouico Viue & Leonardo Cocquæo ſcholis in ipſum locum obſaruatum eſt. Idem Epiphanius [b] præter totius veteris Hiſtoriæ fidem ſcribit ex myſteriis ab Orpheo & aliis Athenas invectis derivatas eſſe varias ſectas ſententiaſque Philoſophorum; [c] Stoicos immortalitatem animorum & Metempſychoſin crediſſe, quod utrumque falſum eſt: [d] Nabuchodonoſorem, captis Hieroſolymis, coloniam in regionem Samaritanorum deduxiſſe, cùm longe antea Salamanaſſaris temporibus ea deportatio facta fuiſſet. Quid quod fallitur etiam in rebus quæ paulo antequàm naſceretur acciderunt [e]? Vt cum Arium mortuum facit ante Concilium Nicænum, hiſtoriamq; Meletij & ſchiſmatis cuius ille auctor fuit, omnino perperam refert. Quales ſunt ipſius etiam Auguſtini errores: vt cùm Creſconio objicienti Litteras à Synodo Sardicenſi Donatiſtis miſſas reſpondet; *Diſce ergo quod neſcis: Sardicenſe Concilium Arianorum fuit, quod notum iam diu eſt, ut habemus, contractū maximè contra Athanaſium Epiſcopum Alexandrinum.* Hæc ille, contra omnium Eccleſiaſticæ hiſtoriæ Scriptorum fidem, qui Sardicenſem Synodum & Catholicorum, & pro Athanaſio fuiſſe teſtantur. Idem de Baſilio & Gregoria Nazianzeno, *Inſignes* (inquit) *viri & iam clara prædıti ſanctitate, & ſicut fertur etiam carne germani.* Atqui Baſilij frater, non Nazianzenus, ſed Nyſſenus Gregorius & ferebatur & revera erat. Idem in ſuis adverſus Donatiſtas diſputationibus conſtanter velut rem certò exploratam ponit, hanc ante Cyprianum fuiſſe univerſæ Eccleſiæ conſuetudinem, ut ab hæreticis baptizati ſine baptiſmo admitterentur. At Firmilianus certiſſimus ſuorum temporum teſtis, diſertiſſimè affir-

[a] *L. 2. de Ciuit. D. c. 11.*
[b] *Contr. hæreſ. l. 1. p. 1.* C.
[c] *Id hæreſ. 5. p. 12. B.*
[d] *Id. l. 1. Pan. p. 22, 23.*
[e] *Id.* H*er. 69.* A*rian. n. 10. 1.*
L. 3. contr. C*reſc. c. 34.*
L. 1. contr. Iulian. c. 5. pag. 369. D. *1.*
L. 1. de Bapt. cont. Don. c. 18. & l. 3. c. 5. 6. & alibi paſsim.

mat alium fuiſſe Eccleſiarum Cappadociæ & Ciliciæ jam inde ab initio morem; *Nos (inquit) veritati & conſuetudinem iungimus; & conſuetudini Romanorum conſuetudinem, ſed veritatis opponimus; ab initio hoc tenentes quod à Chriſto & ab Apoſtolo traditum eſt. Nec meminimus hoc apud nos aliquando cœpiſſe, cùm ſemper iſtic obſervatum ſit, ut nonniſi unam Dei Eccleſiam noſſemus & ſanctum Baptiſma nonniſi ſanctæ Eccleſiæ computaremus.* Idem nobis pro comperto narrat Epiphanij de 80. hæreſibus opus, ſex libris diſtinctum, hiſtorica narratione commemorare omnia, nulla diſputatione adverſus errorem pro veritate decertare: breveſque eſſe libellos, qui ſi in unum redigantur, nec ipſum fore ſuis longitudine comparandum. Quæ quam ſint à vero aliena, etiam hodie ſuperſtes Epiphanianum opus, loquitur Auguſtiniano multis partibus prolixius, & perpetua contra ſingulas ferè hæreſes diſputatione decertans.

Narrat Iuſtinus ut rem certiſſimam ſub Claudio Cæſare Simoni Mago erectam fuiſſe Romæ, inter duos pontes in amne Tiberi, ſtatuam cum hac inſcriptione, SIMONI DEO SANCTO: Sed hodie inter eruditos † conſtat inſcriptionem fuiſſe Dei cuiuſdam minorum gentium apud Romanos, in hęc verba, SEMONI SANCO DEO, quam bonus iſte Pater perperam legerat *Semoni* pro Simoni & *ſanco*, pro ſancto accipiens.

Euſebius, & poſt Euſebium Hieronymus, non ſemel referunt Joſephum Iudæorum ſcriptorem vernaculum aſſeruiſſe, illo tempore quo crucifixus eſt Dominus, ex adytis templi virtutum cœleſtium erupiſſe voces dicentium *migremus ex his ſedibus.* Atqui conſtat Ioſephum iſta referre ad tempora poſtrema obſidionis, quæ accidit annis, poſt mortem Domini, quadraginta. Iidem, & plerique omnes Patres, velut rem certam narrant Philonem Iudæum in libro de vita contemplativa Aſcetarum Chriſtianorum inſtituta deſcribere. Et tamen

ipſe

Apud Cypr. ep.75 p.164 edit. Rigalt.

L. de hereſib. ad Quodvult Deum Praef.

Iuſt. Mart. Apol. 2. pag. 69. ἐς (Σίμωνα) ἐν τῇ βασιλίδι Ῥώμῃ ... ἐν τῷ Τίβερι ποταμῷ μεταξὺ τῶν δύο γεφυρῶν, ἔχοντα ἐπιγραφὴν Ῥωμαϊκὴν ταύτην Σίμωνι δέῳ σάγκτῳ.

† Desid. Herald. in Apol. Tertull p.77.

Euſ. in Chro. & ἀπόδειξ. l. p. 250.

Hiero. ep.150 Hedib. T.3.p. 231.C. Com. 4. in Matt. T.6 p.145. A. ep.17 quæ eſt ad Paul. & Euſt. T.1 p.155. D.

Euſ. Hiſt. Eccleſ l.2. c.15 16. edit. Græc. Hier. l. 1. de Script. Eccl. T 1 p 351. B.

Scalig. de emend. temp. l. 6. c.1

Amb. l.2. de fide ad Grat. T 1. p.63 Ezech. 33.

ipſe Philonis liber, qui etiamnum extat, ſatis clamat ipſum agere de Eſſæis quæ vna fuit ex tribus Iudæorum ſectis; minimè verò de Chriſtianis, vt Scaliger & alij multi annotarunt.

Ambroſius ut ſupra attigimus per Gog & Magog apud Ezechielem Gothos qui tum temporis orbem Chriſtianum inundarant parùm conſideratè intelligit. Eadem ſecuritate alibi dicit Zachariam, Ioannis Baptiſtæ Patrem, Iudæorum ſummum ſacerdotem fuiſſe, Idemque etiam tradunt Auguſtinus[a] & Chryſoſtomus,[b] quod falſiſſimum eſſe euidenter probat Baronius.[c]

Non ſunt meliora quæ ſequuntur.[d] Epiphanius docet fluvium Phiſon de quo Moſes in deſcriptione Eden, eundem eſſe qui ab Indis & Æthiobibus Ganges appellatur, à Græcis Indus quique magna Æthiopia penetrata, tandem intra Gades in ingentem Oceanum erumpit. Miranda ſanè, ſi quæ vnquam fuit, Geographia, & quæ integro fermè hemiſphærio disjunctos locos confundit.

Baſilius,[e] ſcriptor cætera præſtantiſſimus, à Danubij fontibus paulò propriùs aberravit, quem in Pyrenæorum montium radicibus oriri tradit. Eridanum [f] verò (quod prodigioſum eſt) ex Riphæis vltra Scythiam intimam ſitis montibus. Hæc flumina mihi in memoriam revocent quod Patres omnes[g] vnanimi conſenſu Gheon Paradiſi terreſtris pro Nilo accipiunt; quod Cardinalem Perronium [h] ſic fefellit, vt id ipſum, velut ex S. Scripturæ auctoritate obtrudere, eíque, tanquam in ſpeciem abſurdum, impingere non dubitet, quanquam ab eo errore alieniſſimæ. Siue enim Hebræos, ſiue Græcos, ſiue Latinos codices conſulas, de Nilo Paradiſi terras alluente apud eam altum ſilantium. Finxerant quidem ſibi Patres Nilum vnum eſſe è fluuiis quos Paradiſo Moſes aſſignat, ſed præter omnem rationem, vt diſputauit Scaliger [i] & Petavius [k] aguovit.

Patrum Philoſophia non minùs aliquando miranda

a *Auguſt. Tract. 49. in Ioan. pag. 150. d. 1.*

b *Homil. de incompreh. quæ eſt 26. ad pop. Antioch. & hom. in nativ. Chriſti T. 5 p. 473. 474. d.*

c *Baro. in Appar. num. 49.*

d *Epiph. in Anchor. p. 6. D.* καὶ Φεισὼν μὲν οὖν [illegible] Ἰνδοῖς καλούμενος καὶ Αἰθίοψι, Ἕλληνες δὲ τινων καλοῦσιν Ἰνδὸν ποταμὸν, [illegible] μεγάλην Αἰθιοπίαν καὶ ἐξέρχεται τοῦ Νότου καὶ [illegible] γαδείρων εἰς τὸν μέγαν θάλασσον.

e *Baſil. Homil. 3. in Hexaem. T. 1. p. 37. c.* ἀπὸ δὲ δυσμῶν τὸν [illegible] ἀπὸ τὸ Πυρηναίων ὄρος Ταρτησσὸν καὶ Ἴστρον.

f *Orat. in hexaë. p. 32. l.*

g *Theoph. Antioch. l. 2. p. 101. Ambroſ. l. de Parad. c. 3. T. 4 p. 94. Epiph. Pan. hæreſ. 66. p. 618. Hieron. de locis Hebr. vx. Geon. A. ij.*

h *Perron. Replic. p. 950.*

i *Scal. de emend. temp.*

k *Petav. in Epiphan. p. 371.*

eſt quam geographia, vt cùm plantas ſenſu & intelligentia præditas eſſe contendit Tertullianus. Cùm Epiphanius docet vitam hominis mortui inſtaurari ſine anima poſſe. Cùm Ambroſius narrat ſolem *ad ſui temperiem alimentum aquarum ſibi ſumere*, indéque fieri ut eũ aliquando *madidum atque rorantem* videamus. Cùm alii formam cœli ſphæricam acriter negant † ut Chryſoſtomus,* volúntque cameram eſſe quam poitent aquæ, illi baſis inſtar ſubſtratæ, ut auctor Quæſtionum quæ Iuſtini nomine circumferuntur. Alij in mundi rotunditatem invehuntur, Antipodéſque dari præfractè negant, adeo vt penè qui in contraria ſunt ſententia pro hæreticis habeant. * Cujuſmodi eſt & Gregorii magni deliratio, ſomniantis in Sicilia & vicinis inſulis Ætnæ, & ſimilium montium incendia tormentorum infernalium ollas eructare, quæ ſcilicet *laxatis* (inquit) *quotidie ſinibus excreſcunt, ut mundi termino appropinquante; quanto certum eſt illic ampliùs exurendos colligi, tanto & eadem tormentorum loca ampliùs videantur aperiri.* Sed hæc non ſunt ſimpliciter imperitiæ peccata; errores ſunt ex rationis & judicij defectu nati.

Tertullia l. de Anim.c.19.
Epih. in Anch. ryg.p.93.B.
Amb. Hexaem.l. 2.c.3 p. 9.T.4.
* Chryſ. in Epiſt. ad Hebr. hom.14. p.1851. *M & hom.* 27. p.1929. *edit. Heidelberg.*
† *Iuſt. Quæſt. & Reſponſ Quæſt.* 130. *ad Antiol p.* 109.C.
* *Lactant. Inſtitut. lib* 3.c.23
*Auguſt. de Civit. D.l.*16.c.9.
† *L.*4. *Dialog. c.* 35 *fol.*252.*F.*

Jam in Grammaticam propter linguæ Hebraicæ imperitiam multo etiam crebriùs quàm in cæteras artes peccant, ut cum Optatus,[a] Vigilius,[b] Iſidorus, [c] Pſeudo-Anacletus [d] nomen *Cephas* à Græca voce *κεφαλὴ* deducunt; etſi hæc caput, *Cepha* verò) quod eſt Syriacum) petram ſignificet; quod ipſe Evangeliſta disertè monuerat.[e] Similis eſt Lactantij & Ambroſii [f] error dum, vocis Hebraicæ Paſcha, quæ *tranſitum* propriè ſonat, originem repetunt à verbo Græco *πάσχειν*, quod eſt *pati*; quos in hac parte præeuntes ſecutus eſt Innocentius Papa III.[g] ſerm. I. in Concil. Lateran. Etiam abſurdior atque incredibilior eſt Gregorij I. quantumvis magni, hallucinatio in *Cornuſtibio* (quod unius è Iobi filiabus nomen eſt apud Latinum interpretem) id enim ille ſic accipit ac ſi eſſet ex *cornu* & *tibia* compoſitum. *Quia per cornu* (inquit) *& tibiam*,

a *L.*2. *contr. Donat.* p.316.E.
b *Epiſt.*2.
c *Etymolog. l.*7. c.9.
d *Ep.*3.
e *Ioan.*1.42.
f *Amb. l. de Paſch.* c.1. *T.* 2.*p.* 190.
g *Innoc.* III. *Serm. in Conc. Later. T.*4. *Concil. Gener.*
*Iob.*41.14
*L.*35. *in Iob* c.21. *al.*12 *in Iob.*42. 14.*f.*212.*K.*

tibiam vnum verbum ex vtroque compoſuit(Interpres Latinus) *vtrumq; verbum per vnam orationis partem in Latina linguã transfuſũ quo voluit genere licitè vocauit.* Movebat enim hominem quod ille non *Cornutibiam*, ſed *Cornuſtibium* dixiſſet. Bonus Papa vel neſciuit, vel certè non attendit, quid eſſet Latinè *ſtibium*; quod nunc etiam pueri ſciunt. Eiuſdem eſt commatis quod illud è Cantico Salomonis exponens. *Botrus cypri dilectus meus mihi*; *Cyprum*, de *Inſula Cypro*, accipit, *in qua* (inquit) *vberiores vineæ quam alibi naſcuntur*; neſciens id hic plantæ odoratiſſimæ nomen eſſe. Sed tam pueriliter iſtum labi non indignum fortaſſe fuit, qui litteras faſtidit & pro *nugis* habet, iiſq; *ſtudere* epiſcopum, impium & profanum putat; & alibi penè gloriatur *ſe artem loquendi, quam magiſteria diſciplinæ exterioris inſinuant, ſervare deſpexiſſe, non barbariſmi confuſionem devitare, ſitus, motúſque præpoſitionum, caſúſque ſervare contemnere, quia indignum* (inquit) *vehementer exiſtimo, ut verba cæleſtis oraculi reſtringam ſub regulis Donati*; quaſi verò humani Diviníque ſermonis leges addiſcere & obſervare, id ſit *Cæleſtia oracula Donato ſubjicere.* Linguarum quidem eruditionem eo uſque contempſit ut Græcam tametſi ante Pontificatum Conſtantinopoli complures annos Apocriſiarius vixerit, ne attingere quidem voluerit; quam ſe ſcire non ſemel negat: *Nos* (inquit) *nec Græcum novimus, nec aliquod opus aliquãdo Græcè conſcripſimus.* Nonnullos hujus generis aliorum errores ſupra obſervavimus ab Hieronymo notatos, cui ſanè plurimum debet Eccleſia, tum quod in accuratè addiſcenda lingua Hebraica labori non pepercit, tum quod nullos reveritus, omnes ejuſmodi lapſus liberè reprehendit. Reliqui omnes, paucis exceptis, ut in tenebris verſantes, prætentant viam. Inde tot ineptæ nominum propriorum, quæ in Scriptura occurrunt etymologiæ. Quis ſine ſtupore legere poſſet quod habetur de nomine Ieſu apud Irenæum? *Ieſus* (inquit) *nomen ſecundum propiam Hebræorum linguam litterarũ eſt duarum & dimidiæ ...... &*

Expoſit. in Cantic.1.13.

Epiſt. l. 9. epiſt.48.

Præfat. ad Leand. in Moral. in Iob.c.5.

Epiſt l.6 ep 29. & l.9. epiſt.69.

Iren. cont hæreſ. l.2.c.41.

ſecundum antiquam Hebraicam linguam cœlum eſt. Quaſi in ipſo Matthæi Evangelij initio diſertè non docuiſſet Angelus, Chriſtum ideo Ieſum dictum, quod ſervaturus eſſet populum ſuum à peccatis ipſorum. Ejuſdem commatis eſt quod alibi docet nomen *Adonae aliquando* pen.l.2.c.66. *nominabile & admirabile ſignificare, aliquando autem duplicata litera delta cum aſpiratione, vt puta Addhonei, præfinientem & ſeparantem terram ab aqua*, & ſimilia etyma vocum Sabaoth & Iaoth. Ejuſmodi furfuris ſunt quæ eodē libro reliquis omnibus tam veteribus quam recentiori- Id.ibid. bus ne fando quidem audita aperit myſteria. Deum Hebraicè Barneth dici, antiquáſque & primas Hebræorum literas ſacerdotales nuncupatas decem numero eſſe, & Clem. Alex. Strom.l.4. pag. 117. ἑρμηνεύεται γὰρ πατὴρ ἐκλεκτὸς ἠχοῦς. Id.p.222. Ῥεβέκκα δὲ ἑρμηνεύεται Θεοῦ δόξα. ſcribi quaſque per quindecim. Clemens Alexandrinus ex eodem fonte hauſerat id quod mirificè docet de derivatione vocis Abraham. *Exponitur*(inquit) *Pater electus ſoni*, & nominis Rebecca, quod dicit item exponi *Dei Glorio.* Hilarius Sehon †*infructuoſæ arboris interpretationem* eſſe dicit. Sed nos Hieronymus * monet eum ſermonis Hebræi ignarum fuiſſe, & Græcarum literarum au- † Hilar.in Pſal.132.f. 104.a. vol.1 rulam quandam tantum cepiſſe, & ab Heliodoro presbytero, quo familiariter vtebatur, quæ intelligere non po- * Hieron.ep. 142.ad Marcel.T.3.p.180. D. terat, quomodo ab Origene eſſent dicta quæſiſſe: cùm autem is parum ingenuè in eo negotio verſaretur, inde accidiſſe ut nonnulli ejuſmodi errores in ſancti iſtius viri Commentariis occurrant. Theophilus Antiochenus† ante Melchiſedecum Ieruſalem dictam Ieroſolyma, ab † Theoph. Antioch.l.2. ad Autol.pag. 108. eoq; deinceps Hieruſalem dictam; mirum ſanè figmentum: explicet ejus rationem qui poteſt, & erit mihi magnus Apollo. Mera ſomnia narrat Ambroſius lecto- Amb.ep.l. 10.ep.8.. T.3. p.204. ribus ſuis de explicatione nominum Chorat & Oreb, quorum illud *intellectum*, hoc vero *omne cor*, aut *quaſi cor* aſſerit ſignificare; & in Pſal. 118. dum exponit nomina Ambroſ.in Pſa.118.T.4. p.595. & ſeq. Hebraicorum elementorum à quibus initium ſumunt verſiculi ſingulorum octonariorum ex quibus ſecundùm ordinem Alphabeti Hebraici Pſalmus ille conſtat. Sed

ferri

ferri non poteſt cùm, licèt Græcè ſciret, vocem οὐσία, ex ἀεὶ ſemper & ὢν exiſtens componit; non enim impune ferret qui in prima linguæ Græcæ ſchola ſic erraret. Petrus cognomento Chryſologus *Mariam* Hebraicè Dominam Latinè nuncupari ſcribit, quod longè aliud eſſe omnes ſciunt. Philaſtrius velut rem certam narrat, & quidem (ne eum ſine auctore loqui putes) Heſiodi Græci Poetæ teſtimonio firmat, Paganos ita dictos eſſe à Pagano rege Deucalionis & Pyrrhæ filio: quæ totidem ſunt ſomnia & Heſiodo & omnibus eruditis inaudita. Hieronymum verò non equidem nego ejuſmodi nonnulla in Operibus ſuis effudiſſe, ſed non tam imprudentem quam ludentem ut cum vocem Latinam nugæ ab Hebræa נוגי noghè, quæ Sophoniæ cap. 3. v. 8. legitur derivat; cùm uſque ab Hebræis Pauli Philemonis, Oneſimi, Timothei & aliorum vocabulorum quæ purè puta Græca ſunt, ſignificationem repetit.

Iam tametſi Patres in S. Scripturis eſſent verſatiſſimi, eaſque longè maiori veneratione quàm reliqua omnia ſcripta proſequerentur, ſæpe tamen in iis allegandis hallucinantur. Sic Iuſtinus locum è Sophonia citat qui apud Zachariam habetur, & alibi Ieremiam pro Daniele ponit. Ita Hilarius monet Paulum Actor. 13. quædam verba ex primo Pſalmo afferre quæ tamen in ſecundo reperiuntur: cùm contra Paulus de primo Pſalmo nihil dicat, ſed disertè ſecundum deſignet. Epiphanius ex Actor. cap. 27. v. 37. refert in navi quæ naufragio periit fuiſſe cum Paulo aliquando 70. circiter animas; nonnunquam 80. cùm disertè dicat Lucas fuiſſe 276. Alibi ex hiſtoria Evangelica refert Ieſum Chriſtum dixiſſe matri ſuæ *Noli me tangere*, cùm tamen non legamus iis verbis uſum niſi ad Mariam Magdalenam. Hieronymus laborat in concilianda Pauli ex Habacuco allegatione cum textu Hebraico, quaſi eum Apoſtolus in hæc verba citaſſet. *Iuſtus ex fide mea vivet*, cùm contra certiſſimum ſit Apoſtolum & primo capite ad Roman. & in Epiſt. ad

Id. de incarnat. Dom. ſacram. c. 9. T. 2. p. 188. & lib. 3. de fide c. 7. p. 75. T. 2.

De hereſ. c. 2. p. 32. a. Biblioth. Patr. T. 4. part. 1.

Iuſt. Mart. Apol. 2. p. 76. c. Id. ibid. p. 86.

D. Hilar. in Pſal. 2 fol. 6. B. col. 1.

Epiph. in Anch. p. 61. D. & 83. C. Id. in Pan. T. 2. l. 3. hereſ. 80. pag. 1075

εἶπεν καὶ ὁ Κύριος αὐτὸς ἐν τῷ Εὐαγγελίῳ, &c. φήσας τῇ μητρὶ αὐτοῦ μή μου ἅπτου.

Hieron. Com. 1. in Abac. p. 429. C.

Galat ſimpliciter ſic referre. *Iuſtus ex fide vivet*, minimè verò, *Iuſtus ex fide mea vivet*. Athanaſius in Synopſi (vel quiſquis ejus operis auctor eſt) recenſens libros Divinos tertium Eſdıæ, ex communi omnium Chriſtianorum ſententia Apocryphum pro primo, quem omnes cùm Chriſtiani, tum Iudæi, in Canone eſſe agnoſcunt evidenter accipit. Poteſt huc referri (ſi tamen opus tam inſcitum inter Patrum monumènta collocandum eſt) error qui in Epiſtola Gregorij Papæ ſecundi occurrit ubi bonus Pontifex acriter invehitur in Regem Oziam propter comminutum ſerpentem æneum, quemque ideo fratrem Leonis Imperatoris iconoclaſtæ vocat, convitio ex auctoris mente, infando, quo illum putabat ſceleſtiſſimis & perditiſſimis principibus accenſeri. At S. Scriptura, non Oziam, ſed Ezechiam, ſerpentem æneum confregiſſe docet, idque ei non probro, ſed laudi vertit.

Athan. in Synopſ. p. 59. & 84.

Greg. II. in ep. ad Leon. Iſaur. de col. imag. T. 3. Concil. p. 358 E.

Memoriæ autem lapſus ſi quis referre omnes velit ei vix ſatis fuerit ulla memoria, adeo frequentes occurrunt in libris Patrum Gregorius Nazianzenus ſcribit, & quidem duobus diverſis locis, Davidem in eum animadvertiſſe qui Abſalomi mortem ipſi nunciavit. Nempe quod apud Scripturam de eius ſupplicio legerat, qui Saülem à ſe interfectum Davidi nuntiaverat, id noſter imprudens ad Abſalomi inteıfectorem tranſtulit; quod etiam eſt à Iacobo Billio eius interprete & ſcholiaſte annotatum. Narrat alicubi Ambroſius *quod etiam aquila, cùm fuerit mortua, ex ſuis reliquiis renaſcetur.* Quis non videt illum Phœnicem intelligere? ſed alibi hanc ipſam de Phœnice fabulam referre volens, dicit *hoc relatione crebra & Scripturarũ auctoritate cognoſci*, nempe quę apud auctores vel ethnicos vel certè Eccleſiaſticos de Phœnice legerat, ea Scripturis imputat; quo modo, ſed multis poſt ſeculis, Innocentius Pontif. Rom. III. velut ex Divinis libris citat quæ habentur in Auguſtinianis; *cùm* (inquit) *Sacra Scriptura dicat auctoritas, quòd injuriam facit Martyri qui orat pro Martyre.* Hæc verò ut omnes ſciunt

Carm. 51 T. p. 126. b. & Iambico. 21. ad vir. vam. p. 232. B.

Ambroſ. de pœn. l. 2. c. 2. T. 1. p. 166.

Id. l. de fid. reſurr. T. 3. p. 31.

Extrav. de celebrat. Miſſ. c. 11 cùm Marthæ.

non

non *Scripturæ ſacræ*, ſed *Auguſtini* dicit auctoritas, ſermone XVII. de verbis Apoſtoli. Ambroſius verò de quo cœperam dicere, errore non abſimili hæc verba, *in hoc ipſum te ſuſcitaui vt oſtendam in te virtutem meam* à Deo ad Moſem dicta fuiſſe docet. Sed Pharaonem non autem Moſem his verbis à Deo compellatum legimus. Idem Iudæis tribuit quod de Ieſu Chriſti diſcipulis narrat Ioannes, cap. 9. petiiſſe ſcilicet ipſos à Domino, *Magiſter, hic peccavit an parentes eius, ut ſic cæcus naſceretur*; Æſtu, vt reor, Rhetorices rapiebatur cùm alibi vni ex Maccabæis fratribus, qui ſub Antiocho paſſi ſunt, orationem tribuit in qua mentio fit Ioannis & Iacobi filiorum tonitrui, Chriſti Apoſtolorum, qui tamen nonniſi longo poſt tempore, ut cuivis notum eſt, in vivis fuerunt. Lapſus eſt item memoria Tertullianus cum Moſi creatorem dixiſſe refert, *Non te contempſerunt, ſed me.* Huc quoque pertinet quod Chryſoſtomus [a] *Sophoniam* eum dicit qui eſt Habacuc, & Paulum apud Gallionis tribunal verberatum ait, [b] quem Lucas, [c] non Paulum, ſed Soſthenem edit. Item quòd poſterioris quàm prioris templi præſtantiorem fuiſſe ædificationem contra diſertum Scripturæ teſtimonium affirmat. [d] Denique quod non ſemel narrat [e] Saulem à Davide in ſpelunca dormientem repertum eſſe; quem Scriptura longè alia in illa ſpelunca egiſſe memorat. Eundem quoque errorem erravit Sulpicius [f] Chryſoſtomo nonnihil Iunior. *Saul* (inquit) *neſciens in primo ſpeluncæ aditu reficiendi corporis gratia ſucceſſerat, ibique ſomno captus requieſcebat.* Vterque deceptus vel ambiguitate vel obſcuritate verbi ἀποσκευάσασθαι quo vſi ſunt ſeptuaginta in loco Scripturæ * in quo hæc narrantur. Sed ad memoriæ lapſum ſimpliciter refero quod Hieronymus † concedit Patrum neminem verbum *cognoſcere*, (quod habetur ad finem primi capitis Evangelij Matthæi) aliter quàm de actu conjugali accepiſſe. Exciderat illi ſcilicet Epiphanium, amicum ejus ſummum, ad alia omnia referre: vult enim Ioſephum,

Ambr. ſerm. 10. p. 671. T. 4. Denique iterum Moyſi dicit, quia in hoc ipſum te ſuſcitaui vt oſtendam in te virtutem meam.
Id. epiſt. l. 9. ep. 75. p. 185. T. 3.
Quam ſtolidi autem Iudæi qui interrogant. Hic peccauit an parentes eius?
Id. l. 2. de Sanct. Iacob. c. 11. T. 4. p. 305.
Tertull. contra Marcio. l. 4. c. 24.
[a] *Hom. 2. in Rom. p. 22. in edit. Heidel.*
[b] *Hom. in 1. Cor. p. 33c. extr.*
[c] *Act. 18. 17.*
[d] *Hom. 17. in Hebr. p. 1868. extrem.*
[e] *Hom. 16. T. 5. quæ eſt in illud. Si eſuriens. inimicus, &c.*
[f] *Hiſt. Sacr. l. 1.*
* *1. Reg. (Hebr. Sam.) 24. 4.*
† *Hieron. l. cont. Helvid. T. 2. p. 85. In quo primum aduerſarius ſuperfluo labore deſudat cognoſcendi verbum ad coitū magis quam ad ſcientiam eſſe referendum quaſi hoc quiſquam negauerit.*
Epiph. in Panar. Hæreſ. 78. Antidicom. p. 1409. D. & 1051. D.

Ἀλλ' ὑμεῖς ἴσμεν τὴν Μαρίαν ὡς ἐξ γυναῖκα τινα χριστὴν ἐκ τοῦ γένους κατὰ σάρκα. ἀλλ' ἔχων αὐτὴν πρὸς τὴν ἐν Θεῷ τετιμημένην. ἡ γὰρ ἤδη αὐτὴν τιμὰς δόξης ἐπ.

donec natum ex B. Virgine Filium vidit,neſcivisſe tanta gloria eam eſſe celebrandam,nec quicquam de ea intel-lexiſſe niſi filiam fuiſſe Ioachimi & Annæ, Elizabethæ cognatam, & de dono & familia Davidis. Sed poſtea cognoviſſe tantum illam in terris decus eſſe conſecutam ut ad eam Angelum ſuum Deus miſerit,eámque ſele-ctam fuiſſe ut haberetur ei Divinitus is honor, tantum-que gratiæ conſequeretur.

Verùm hujuſmodi errorum, qui in Patrum libris oc-currunt, catalogum non pertexímus: ſufficit hoc ſpeci-men, ut, quod aiunt, ex vngue leonem noſcamus. V-num tantum hîc addam, præter ſecuritatem illam adeo frequentem,qua,nullo diſcrimine, quicquid in mentem venit,aut quod alii affirmarunt, in chartam ſine exami-ne effundunt,ſollenne etiam illis eſſe(quod tamen Iudi-cum perſonæ quam ipſis tribuimus non bene conveni:e videtur) ludere & meditationes allegoricas texere,pue-rorum noſtrorum chartaceis ludicríſque ædiculis neque firmiores neque ſolidiores, quas Perronius noſtras *hila-res iocos* vocat. Equidem ſcio allegoriam eſſe utilem, & ſæpe neceſſariam,ſed ea lege ut ſit ſobria,clara & ſolida; ſed non alias hic denoto quàm quæ textui vim faciunt, eumque (ſi ita loqui licet) obtorto collo quolibet tra-hunt, Scripturámque in vanos fumos convertunt. His tamen ſcatent Patrum ſcripta. De Origenis ejuſque diſcipulorum in hoc argumento licentia ſæpe queritur Hieronymus,qui tamen ipſe ſæpe & ſine modo hic pec-cat. Si cui id obſervare cordi ſit legat, ſodes, epiſtolam eius 146. in expoſitione parabolæ de filio prodigo,[a] le-gat item quæ habet genealogiam Prophetæ Sophoniæ & de vrbe Damaſco:[b] in hiſtoriam Abiſag Sunamitidis:[c] de viginti quinque viris & duobus principibus quo-rum Ezech. 11. fit mentio:[d] de everſione Tyri[e] Egypti,[f] & Aſſur,[g] quam prænuntiat idem Propheta: quæ de Numeris & Dario[h] philoſophatur: quæ item adeo ſub-tiliter diſſerit ſuper mandato Domini, ut ei qui ceci-derit

Perron. Repl. p. 743.

a *Hieron in ep. 146. ad Damaſ. pene tot. T. 3. p. 200.*
b *Id Comm. in Sophon. p. 463. E. & 483. B. T. 5.*
c *Id. ep. 2 ad Nepot. T. 1. p 11.*
d *Id. Com. 3. in Ezech. p. 788. F.*
e *Id. Com. 8. in Ezech. p. 913. 914. &c.*
f *Com. 9. in eundem p. 945.*
g *Com. 10. pag. 954. T. 4.*
h *Id. Comm. in Agg. p. 499. C. T. 5.*

derit nos in dexteram maxillam obvertamus & alteram,
[i] & alias ipſius ejuſdem generis meditationes. Hilarius *i Id Com. 5. in Matth. p. 15. C. T. 6.*
adeo iſta ſcribendi ratione delectatur, ut dum Scriptu-
ram interpretatur ferè in ea totus ſit, utque ad eam ſibi *Hilar in Pſ. 136. f. 107. A. col. 2.*
viam ſternat fingit nonnunquam in Scripturis abſurda
quædam & impoſſibilia, quæ tamen nulla ſunt, ut, hac
data porta, ad allegorias confugere poſſit: ut in Pſal. 136.
negat explicari poſſe quod ibi habetur Iudæos *ſuper
flumina Babylonis ſediſſe & fleviſſe, & in ſalicibus ſuſpendiſ-* *Id. fol. 108. A. col. 2.*
ſe organa ſua: quaſi in regione quam Euphrates & Tygris
affluebant nullus fuiſſet amnis, nulla ſalix, nullæ arbores
aquaticæ. Ibidem velut nodum nactus vindice dignum
hæret ac rogat, quænam à Propheta *filia Babylonis* dicta
ſit, & cur *miſera* dicatur; quæ ſanè difficultas adeo eſt
ſolutu facilis, ut ne pueros quidem in ea explicanda ad
allegorias confugere neceſſe fuerit. In Pſal. 146. per nu-
bes quibus Deus Cœlum operit intelligit Prophetas, &
per pluviam quam parat terræ doctrinam Evangelicam,
& per montes in quibus producitur fœnum Prophetas
& Apoſtolos, & per jumenta homines; & per pullos
corvorum Gentiles; aſſeritque hæc aliter, id eſt, ad li-
teram, intelligere *non* tantùm *erroris*, *ſed irreligioſitatis
extremæ eſſe*. Quid eſt de Scriptura ludere ſi hoc non eſt? *Id. in Pſ. 146. f. 128. A. col. 12.*
Alibi per volatilia cæli, de quibus Dominus dicit quod
non ſerunt neque congregant in horrea, immundos ſpi- *Id. Can. 5. in Matth. 6. 26. f. 7. A toto.*
ritus intelligit, & Angelorum cœleſtium claritates per
lilia agri quæ non laborant neque nent. Vereor ne Le-
ctoris patientia abuti videar ſi hic deſcripſero quæcun-
que ille habet mirifica de hiſtoria duorum dæmoniaco-
rum quos Dominus ſanavit in regione Geraſenorum, de *Id. Can. 8. in Matth. 8. 28. f. 10.*
porcorum per præceps in mare caſu, de fuga paſtorum,
& de legatione miſſa ad Dominum ne urbem adiret, vel
ſi totam ejus expoſitionẽ attulero in v. 29. cap. 10. Matth. *Id. can. 10. fol. 13. A. col. & 6. col.*
Nonne duo paſſeres aſſe veneunt? Per duos paſſeres intel-
ligit peccatores corpore & anima conſtantes, qui licet
nati ſint ad volandum pennis ſpiritualibus, minimo ſe

vendunt peccato, & vnum fiunt, animæ ſubtilitate in naturam corporum ingraveſcente, & alia ejuſmodi figmenta, quæ lectores cordatos non tam ædificare quàm in ſtuporem dare poſſunt. Neque gravior in hoc genere aut modeſtior fuit Ambroſius. Allatis enim his Domini verbis. *Si habueritis fidem ſicut granũ ſinapis, dicetis huic monti tollere, & jactare in mare. Huic, cui? dæmonio inquit à quo iſte invaſus fuerat & oppreſſus.* Cui vacabit plura exẽpla videre, legat ſermones ejus in Pſal. 118. Opus alias præſtans ſanè & eloquentia ſanáque doctrina refertum, lectúſque adeo digniſſimum. Difficilius fortaſſe fuerit quæ non raró idem in Scripturæ verbis ludit legitimè purgare. Vt cum ea Valentiniano & Gratiano tribuit quæ de Chriſto & Eccleſia dicuntur in Cantico Canticorum. *Quis dabit te frater fratrem mihi, lactentem ubera matris meæ? Inveniens te foris oſculabor te, aſſumã te & inducam te in domum matris meæ, & in ſecretum ejus quæ concepit me. Potum dabo tibi à vino operoſi vnguenti, a fluxu malorum granatorum meorum. Læva ejus ſub caput meum, & dextera ejus cõplectatur me. Promittis* (inquit Ambroſius) *fratri auguſtæ memoriæ Gratianus præſto ſibi fructus diverſarũ eſſe virtutũ.* Et ad eundem finem pleroſque iſtius ſacri Cantici locos adhibet, ea licentia quam ipſi etiam Poetæ vix ludentes uſurparẽt. Quæ in hanc rem ex Gregorio Nazianzeno, Auguſtino, maximè in Pſalmorum enarratione, quos ille, neglecta littera, contortis allegoriis, ſępe frigidis & dilutis, vexat veriùs quàm interpretatur; ex Gregorio Romano I. cujus moralis in Iobum expoſitio tota ex hujus generis fumis contexta eſt; & aliis pleriſque Patribus afferre poſſem ſciens volens mitto. Taceo & de fabulis, ad allegoricum genus accedentibus, quibus non pauci è Veteribus ſua opera affatim exornarunt. Notatos eo nomine jam ſupra diximus à Melchiore Cano Gregorium & Bedam. Ille quidem [a] & in Dialogis & alibi non ſemel fabuloſis narrationibus ita impensè gaudet ut Paganicum figmentum, jampridem

Amb. in Pſal. 36. p. 503. Matth. 7. 19.

Id. Tract. de Obit. Valent. p. 11. 12. T. 3.

a vt hom. 38. ...ep. l. 6. ep. 83.

pridem & à Plutarcho [b] & à Luciano [c] commemoratum, de quodam ad inferos, per Genij errorem, ob nominis ambiguitatem decepti, evocato, & deinde ad ſuperos à Iudice, agnito miniſtri ſui errore, remiſſo, totum veluti rem Conſtantinopoli verè geſtam referre non dubitaverit, [d] affirmaréque ſe eam ab ipſo, cui iſta contigerant, accepiſſe. Neque aliud eſt inter hos fabulatores diſcrimen, niſi quod quem Plutarchus Antyllum, Lucianus Demylum dicunt, hunc noſter Stephanum vocat.

Sed in iſtis diutiùs hærere nihil neceſſe eſt, quòd abundè ſint quæ hactenus attulimus, ex quibus prudens Lector ſatis, ni fallor, intelliget hanc docendi rationem luculentiſſimè ſignificare ſanctis illis Patribus, cùm libros ita ſcripſerant, nunquam fuiſſe conſilium ut de fide noſtra judicarent, vel dogmata quæ hodie controvertuntur deciderent. Eos ego confiteor magnis ingenij dotibus, acumine, ſagacitate, & ſumma ad pernoſcendum verum perſpicacitate; adhęc, pietate, ſapientia, & eruditione ſingulari excelluiſſe. Sed qui vel plurimum iis artibus pollent fruſtra ſunt, ni eas omnes ſerio & ex animo adhibeant, prĉſertim in negotio difficillimo, adhæc tanti momenti, ut nemo unquam ad id expendendum & judicandum ſatis diligentiæ & attentionis attulerit. At ex iis quæ diſputavimus manifeſtum eſſe arbitror, Patres ad ſcribendum ne quaquam attuliſſe ſummam hanc curam atque contentionem. Non ſunt ergo quę illi ſcripſerunt ulla de rebus Theologicis judicia, vel decreta. Fateor leves iſtos errores nihil de ea opinione debere deterere in qua ſunt apud nos Patres magno ſuo merito, propter acumen & vim ingenij incredibilem. Facilè concedo eos ſi mentem intendiſſent ab hujuſmodi erratis facilè cavere ſibi potuiſſe, in quæ non aliter ipſos incidiſſe judico, quàm ex quadam incogitantia, quæ in omni artium genere etiam verſatiſſimis & peritiſſimis quibúſque obrepere interdum ſolet. Etiam hoc,

[b] L. de anima apud Euſeb. l. 11. [illegible] p. 381.

[c] In dialo. [illegible]

[d] Gregor. Dial. l. 4. c. 36. f. 252. l.

ſi cupis, largiar, viros ſummos hos & ſimiles nævos ſuis operibus prudentes de induſtria inſperſiſſe, ut luderent, & nobis cruces figerent; quod Grammaticos de ſuo Virgilio dixiſſe memini. Sed quocunque conſilio fecerint, cùm, ut apparet, fecerint, certum eſt nunquam iis in mentem veniſſe ut religionis leges & fidei decreta conderent. Quotquot occurrunt in Patrum operibus innocui errores, lapſus, luſus, & alia eiuſmodi, iis nos veluti totidem vocibus ipſi jubent alios judices quærere; negant ſe pro tribunali ſedere, aut magiſtratum agere, familiares eſſe quos fundunt ſermones, non prætorias ſententias. His ſi ſubjungas quæ tam diſertè celeberrimi quique ſupra in hanc rem dixerunt, videbis hoc eos velle & cupere, non ut ſuas opiniones pro oraculis, & decretis habeamus, ſed ut de iis ex Scriptura & ratione iudicemus tanquam de doctorum hominum placitis, qui quidem pietate & doctrina excelluerunt, ſed ita tamen ut homines fuerint, errori obnoxij, neque ſemper quid verum, quid de jure Divino eſſet liquidò pervidere potuerint, qui fortaſſe in hoc ipſo negotio quid valerent oſtendere noluerint & parcè viribus ſuis vſi ſint, minuſque attentionis & diligentiæ, temporiſque in eo poſuerint, quàm fuerant adhibituri ſi ſeriò in hanc cauſam incumbere omnéſque ingenii vires in ea explicare decreviſſent.

CAPVT IV.

Ratio IV. *Patres ſive ſeorſum ſingulos, ſive coniunctim plures, in varijs religionis capitibus erraſſe.*

QVæ duobus ſuperioribus capitibus diſſeruimus ſufficere arbitror ut quivis moderato ingenio præditus apud ſe conſtituat, non tantam eſſe in rebus ad religionem pertinentibus, quam vulgus exiſtimat, Patrum au-

ctoritatem. Poterunt ergo, quiqui ſint æqui Lectores, hoc & ſequens caput prætermittere, quod utrumque pæne invitus ſubjicere cogor, ut iis, qui ſe ſtudiis ſuis abripi patiuntur, excuſationem omnem præcidam. Ea, quibus in hac cauſa laborant, præjudicia, obſtabunt ne rationis lucem videant, vocéſque Patrum ipſorum audiant, ac forſan ne quid de honore, quo reclamantes eos proſequi decreverunt, imminuant, eo venient vt modeſtiæ & animi demiſſioni quæ veritatis ſunt pronunciata tribuant. Iſtorum pertinacia, non veſtra neceſſitas, me nonnihil de ea reverentia remittere ſubegit qua Veteres proſequor. Vt enim invicta horum hominum durities penitus frangatur, operæ pretium eſt etiam ſuperioribus graviora Patrum errata retegi, quos qui intellexerint in multis magni momenti capitibus lapſos fuiſſe ſpes eſt, vel invitos, eo tandem compulſum iri, ut ipſi agnoſcunt nos non fruſtra neque temerè à ſummis illis viris fuiſſe admonitos, ne ſuis opinionibus, niſi quas verbo Dei, aut quapiam alia veritate ſubnixas conſtaret, fidem adhiberemus. Ægre quidem, &, quod ait Poeta ἀέκοντι θυμῷ hanc diſputationis partem aggredior. Grave enim eſt, & à pudore noſtro alienum, hominum, præſertim ſanctorum & merito venerabilium, nævos ac labes ſpectare ac oſtentare. Sed cùm apud me reputo nobis nihil eſſe debere veritate & proximorum ſalute carius, ac vbi ea agitur ſanctum eſſe in hujuſmodi cauſa cariſſima quæque contemnere ac proculcare, huc facilè adducor, ut credam ipſos Patres, ſi nunc ſupereſſent, gratiam nobis de conatu hoc noſtro habituros, noſtræque in homines Chriſtianos caritati gratulaturos, quos ut ab errore teterrimo abducamus nævos etiam ſuos nudare audeamus. Neque enim temerè factum eſt, ut his infirmitatibus laborarent etiam laudatiſſimi viri, ſed certo ac ſapienti Divinæ providentiæ conſilio, ut homines eos fuiſſe ex his intelligeremus. Si cui tamen hic noſter conatus diſplicuerit, illũ ego iterum obſecro

atque obteſtor ut cogitet, ne una eorum quibuſcum mihi res eſt, quorumque ſententiam confuto pervicacia, ſolo veritatis, & quidem graviſſimæ, docendæ ſtudio, ad hanc (ſi tamen ita appellanda eſt) irreverentiam compelli. Si exemplis me tueri vellem poſſem Cardinalem Perronium auctorem laudare, qui ut probaret, jure ab Eccleſia Romana prohibitum ne quis, non impetrata prius venia, libros Divinos legat, non dubitavit Scripturæ, non quidem errores (qui revera nulli ſunt) ſed falſas errorum & contradictionum ſpecies quę nonnullos in ſacris litteris offendant colligere, & capite integro exponere. Quanto æquius eſt hanc nobis veniam concedi ut Patrum, quorum dignitas atque honos immenſo quodam intervallo infra Dei Majeſtatem ac reverentiam ſubſidit, hallucinationes, ſi quæ ſunt, notemus; ac legentium oculis exponamus, ut gravi eorum morbo medeamur, quorum immoderatum eſt in Antiquitatis monumenta ſtudium? & adverſariis quidem hoc quo uno ferè nituntur errorum ſuorum præſidium eripiamus? noſtros verò confirmemus, ne ad nudum Patrum nomen temerè expaveſcant? Maximi Regis vox fuit nulla re magis aut ſuam mortalitatem argui, aut adulatorum, à quibus Deus ſalutabatur, impudentiam refelli, quam viliſſimis, & maximè pudendis naturæ ſuæ neceſſitatibus. Cùm ergo tanti noſtra interſit ſcire Patres homines fuiſſe, nulla ſit religio, ſi quid ij humani paſſi ſunt, id bona fide promere & lectoribus ſpectandum objicere, ut argumento invicto omnem adulatorum pervicaciam frangamus. Ne pigeat in ſanctorum virorum arcana irrumpere, & infirma indagare, ne Divinam eſſe poſthac putemus eorum auctoritatem. Cùm autem partim ex ipſorum Patrum literis, partim ex veteris hiſtoriæ monumentis conſtet eos nó planè ab iis affectibus fuiſſe immunes qui plerumque miſeros mortales tranſverſos agunt, teſtor, imprimis, me nulla hinc argumenta allaturum, vel hanc infirmitatis humanę partem vexaturum,

Perron. Repl. l. 6. c. 6. p. 949

quam

quam ego libenter patior æternis ſilentiſ tenebris obſcuratam jacere, neque repugno quin Patrum innocentia atque ſanctitas ſumma, & omnibus ſuis numeris (quantum quidem fert humanæ naturæ modus) abſoluta fuiſſe credatur. Non animi, ſed mentis lapſus, non morum, ſed opinionum peccata perſequar.

Omnium Patrum antiquiſſimus eſt Iuſtinus, magni apud Veterum hiſtorias nominis, non ſolum propter inſignem rerum Divinarum & Philoſophiæ cognitionem, ſed etiam propter zelum illum quem luculentiſſimé & magna cum laude exſeruit, cùm mortem pro Chriſto fortiter oppetiit. In huius tamen viri operibus, quàm multa occurrunt vel levia vanàque, vel etiam periculoſa; Accipe quæ ſcribat de poſtremis temporibus quæ judicium, mundíque ſupremum diem anteibunt. *Ego* (inquit) *& ſi qui per omnia rectæ ſententia Chriſtiani ſunt & carnis reſurrectionē futuram novimus, & mille annos in Hieruſalem inſtaurata & exornata & dilatata, ſicut Prophetæ Ezechiel & Eſaias & alij promulgant.* His ſubjicit locum ex Eſaiæ 63. vaticinium ex Apocalypſi. *Chriſti fideles annos mille Hieroſolymis peracturos eſſe, ac poſtea vniverſalem & ſempiternam omnium vnanimiter ſimul reſurrectionē & judicium futurum.* Ex his verbis apparet manifeſtè ipſum cum Chiliaſtis ſentire, antequam reſurrectio penitus perficiatur, Hieroſolymis fideles annos mille regnaturos. Quæ tamen ſententia ab vniverſæ Occidentis Eccleſiæ Chriſtianis, quaſcunque partes ſectentur, tanquam falſa repudiatur. Alibi videtur ſenſiſſe eſſentiam Dei eſſe finitam; probat enim adverſus Iudæum, de Patre non fuiſſe dictum, *Dominus pluit ſuper Sodomam ignem & ſulphur, aliàs* (inquit) *in cœlis non fuerit.* Quæ habet de Angelis, rametſi iſtis leviora, ſunt tamen & ipſa quoque abſurdiſſima; *Deus* (inquit) *hominum ipſorum, atque eorum quæ ſub cœlo ſunt, providentiam Angelis ad hæc diſpoſitis attribuit: Angeli autem ordinationem ſive diſpoſitionem eam tranſgreſſi, cùm mulierum concubitus cauſa, amoribus ſunt vi-*

Iuſtin. contr. Tryphon. p. 307. B.
Ἐγὼ δὲ καὶ εἴ τινές εἰσιν ὀρθογνώμονες κατὰ πάντα χριστιανοὶ, καὶ σαρκὸς ἀνάστασιν γενήσεσθαι ἐπιστάμεθα, καὶ χίλια ἔτη ἐν Ἱερουσαλὴμ οἰκοδομηθείσῃ καὶ κοσμηθείσῃ καὶ πλατυνθείσῃ, &c.
Id. p. 108. A.
χίλια ἔτη ποιήσειν ἐν Ἱερουσαλὴμ τοὺς τῷ ἡμετέρῳ Χριστῷ πιστεύσαντας, καὶ μετὰ ταῦτα τὴν καθολικὴν καὶ συνελόντι φάναι αἰωνίαν ὁμοθυμαδὸν ἅμα πάντων ἀνάστασιν γενήσεσθαι καὶ κρίσιν.
Id. ibid. p. 283. B. & 357. C.
ἐπειδὰν μὴ ἔτι ἰουδαίων ... γενομένων συμβαίνουσιν τὸν πατέρα καὶ κύριον τῶν ὅλων μὴ καταλιπόντα τὰ ὑπερουράνια ὅτε διὰ Μωσέως λέλεκται. Καὶ Κύριος ἔβρεξε ἐπὶ Σόδομα.
Id. Apol. pro Chriſt. ad Senat. p. 44.
τὴν μὲν τῶν ἀνθρώπων καὶ τῶν ὑπὸ τὸν οὐρανὸν πρόνοιαν ἀγγέλοις, οὓς ἐπὶ τούτοις ἔταξε, παρέδωκεν. οἱ δ'

cti,,tum filios; procrearunt, eos qui dæmones ſunt dicti. Neſcio an & iſta quæ alibi habet facilè ſit cuipiam perſuaſurus. *Omnes animas juſtorum & Prophetarum ſub poteſtatem malignorum Angelorum cadere, ideóque Dominum in cruce in manus Patris ſpiritum ſuum depoſuiſſe.* Quod dogma, tametſi mirificum& à piorum ſenſu abhorrens, diu tamen inter Chriſtianos hæſiſſe apparet ex Anaſtaſio Antiocheno qui cũ ſexto ſeculo vixerit, eadẽ tamẽ ſequitur quę Iuſtinus. Ὑπὸ τὴν χεῖρα τοῦ διαβόλου (inquit) ὑπῆρχον πᾶσαι ψυχαὶ τῶν ἁγίων καὶ τῶν ἁμαρτωλῶν, ἕως οὗ κατελθὼν ἐν τῷ ᾅδῃ ὁ Χριστὸς, εἶπε τοῖς ἐν δεσμοῖς, ἐξέλθετε; *ſub manu Diaboli erant omnes & ſanctorum & peccatorum animæ donec Chriſtus ad inferos deſcendens dixit vinctis, exite.* Amabo, ex qua Scriptura hauſerat qui ſupra Iuſtinus quæ ſecunda Apologia docet. *Quicunque cum ratione vixere Chriſtiani ſunt quãvis Athei & nullius numinis cultores habiti ſint, quales inter Græcos fuere Socrates Heraclitus, atq; iis ſimiles: inter barbaros autem Abbraham & Ananias & Azarias,* &c. quod eodem loco & paulo poſt item repetit. *Qui cum ratione vixerunt, atque etiam nunc vivunt Chriſtiani, & extra metum atque perturbationem omnem ſunt.*

Irenæus Epiſcopus Lugdunenſis, qui ipſum proximè ſecutus eſt, in eadem eſt cum eo ſententia, de ſtatu animarum ſtatim à morte uſque ad diem judicij. Ad finem enim illius præclari operis quod adverſus hæreſes elaboravit, cùm dixiſſet Dominum uſque ad tertiam diem commoratum fuiſſe in inferioribus terræ, ubi animæ mortuorum erant, quem locum, vitæ, quam in terris degimus, opponit, ſubjungit. *Manifeſtum eſt quia diſcipulorum ejus propter quos & hæc operatus eſt Dominus, animæ abibunt in inviſibilem locum definitum eis à Deo, & ubi uſque ad reſurrectionem commorabuntur, ſuſtinentes reſurrectionem: poſt recipientes corpora & perfecte reſurgentes, hoc eſt corporaliter, quemadmodum & Dominus reſurrexit, ſic venient ad conſpectum Dei.* Atque hanc ſuam ſententiam Valentinianorum & Gnoſticorum opinioni, quam capitis

[Marginal notes:] [illegible Greek] Id. cont. Tryp. p. 333. A. [illegible Greek] Anaſt. Antioc. Hodego. qu. 112. Iuſt. ubi ſupra [illegible Greek] Id. Apol. 2. p. 83. C. Καὶ οἱ μετὰ λόγου βιώσαντες Χριστιανοί εἰσι, κἂν ἄθεοι ἐνομίσθησαν, οἷον ἐν Ἕλλησι μὲν Σωκράτης καὶ Ἡράκλειτος καὶ οἱ ὅμοιοι αὐτοῖς, ἐν βαρβάροις δὲ Ἀβραὰμ. Ibid. Οἱ δὲ μετὰ λόγου βιώσαντες καὶ βιοῦντες Χριστιανοὶ καὶ ἄφοβοι καὶ ἀτάραχοι ὑπάρχουσι. Irenæus lib. 5. contra hæreſ. c. 26.

pitis initio retulit, opponit. Affirmabant autem illi ſe ſimul atque mortui fuiſſent ſupergreſſuros cœlum & Demiurgum, & ad matrem, vel ad ipſum, qui ab ipſis fingebatur, Patrem. Quam quidem ſententiam eodem planè modo, loco ſupra ex libro adverſus Tryphonem citato rejicit Iuſtinus. Vnde patet (ut cætera argumenta mittamus) ipſum de ſtatu animarum poſt mortem in eadem fuiſſe cum Irenæo ſententia. Iam Irenæus in hoc quoque lapſus eſt quod, ſecundo libro eiuſdem adverſus hæreſes operis, acriter contendit Dominum noſtrum ætate ſeniorem, & quadraginta aut quinquaginta annos natum fuiſſe cum docuit & mortem perpeſſus eſt; quam ſententiam, tametſi cum hiſtoria Evangelica haud leviter neque obſcurè pugnantem, probabilibus & levibus argumentis conatur confirmare: quòd cùm veniſſet omnes infantes & parvulos & pueros & ſeniores per ſemetipſum ſalvare, omnem ætatem in ſeipſo ſanctificare debuerit. Eo item trahit verba Iudæorum ad Dominum. *Quinquaginta annos nondum habes & Abrahamum vidiſti?* Denique refert S. Ioannem tradidiſſe ſenioribus in Aſia Chriſtum ætatem habuiſſe provectiorem cum docebat, natum ſcilicet quadraginta aut quinquaginta annos. Quod quidem commentum Baronius adeo abſurdum putavit, ut præter omnium Irenæi exemplarium fidem, & ſatis perſpicuum orationis eius contextum, nativámque cùm ingenij tum ſtili eius indolem, non dubitarit aſſerere, totum hunc locum ab imperito quopiam vel veteratore Irenæi textui aſſutum, ejúſque certò non eſſe. Sed videtur ipſe non magna cum ratione in hanc ſuſpicionem veniſſe, vt clarè docuit in ſuis ad Epiphanium notis Petavius Ieſuita. Vtcunque ſit, colligere eſt Baronium non impoſſibile eſſe cenſuiſſe, quod priore huius tractatus parte diſputavimus, fœdè interpolata pleraque Veterum Patrum monumenta fuiſſe, multis additis, pluribúſque per fraudem detractis. Eodem loco ſtatuit & probat Irenæus *animas characterem corpo-*

Iuſt. cont. Tryphon. p. 307.

Irenæ. cont. hereſ. l. 2. c. 39.

Ioan. 8. 57.

Baron. Annal. T. 1. a. 34. Num. 137.

Petavius in Epiphan. pag. 145.

Iren. l. 2. c. 63. Id. ibid. c. 49. p. 251.

in quo etiam adaptantur, cuſtodire eundem corpore ſolutas licèt, *& habere hominis figuram, vt etiam cognoſcantur.* Omitto quid cap. 49. ejuſdem libri videtur ſignificare neutri Chriſti naturæ Patrem horam & diem judicij manifeſtauiſſe, etſi ægrè ad bonum ſenſum iſta reduci poſſe videantur. Taceo item quod cùm ipſe tum Iuſtinus adeo incautè de naturæ humanæ in ſalutis negotio viribus loquuntur. Sentio enim, cum Caſſandro, omnes iſtos locos poſſe & debere explicari ex Scriptorum ipſorum propoſito, quod non aliud fuit quàm confutare ſui temporis hæreticos, qui cùm neceſſitatem naturalem in homine ſtatuerent, cum omni electione & judicio ſpoliabant.

Caſſand. in defenſ. libelli de Offic. pij viri. p. 836.

Clem. Alex. Strom. l. 1. p. 99. [illegible]

Neque vero Clementis Alexandrini quæ ſumma fuit eruditio obſtitit quominus in varios errores incideret. Docet is variis in locis Gentiles ante Chriſtum natum juſtificatos fuiſſe per philoſophiam, *quæ tum erat ipſis* (inquit) *ad juſtitiam neceſſaria, at nunc tantum eſt ad Dei cultum vtilis; quæ Græcis fuerit quod Lex Hebræis, pædagogus ſcilicet ad Chriſtum, vt quæ Græcos olim juſtificarit, cum eis data fuerit vt eſſet proprium ipſorum fœdus, & fundamentum Philoſophiæ quæ eſt ſecundum Chriſtum.* Sibi fingit deinde *Dominũ noſtrũ deſcendiſſe ad inferos vt prædicaret mortuis, multóſque ſervaſſe, eos omnes videlicet qui crediderunt. Apoſtolos itẽ eo deſcendiſſe & poſt mortem ſimiliter prædicaſſe Evangeliũ iis qui ex Gentibus apti erãt ad converſionem.* Cenſet alioqui Deum injuſtum & perſonarum acceptorem futurum, ſi damnaſſet eos qui ante Chriſti adventum vixerunt. *Nam* (inquit) *ſi iis qui erant in carne propterea annunciavit Evangelium ne injuſtè condemnarentur, quomodo non iis etiã qui exceſſerũt ante ejus adventũ propter eandem annuntiavit cauſam?* Ex his & ſimilibus rationibus concludit neceſſe fuiſſe vt omnium tam Gentilium quam Iudæorum animæ Domini prædicationem audirent, ejúſque diſpenſationis beneficio fruerentur, *vt illic* (id eſt in inferis) *audita prædicatione, aut oſtenderent pœnitentiam,*

Ibid. p. 117 [illegible]

Id. l. 6. Strom. p. 271. [illegible]

Id. l. p. 8. [illegible]

tiam, aut propterea quod non credidiſſent juſtũ faterentur eſſe ſupplicium. Paſſim etiam ex ejus operibus pater ſentire eum omnes pœnas, quas Deus hominibus infligit, ipſis eſſe ſalutares, adeo vt ab eo nonniſi ad inſtitutionem & emendationem immittantur; quo in cenſu etiam ea ſupplicia collocat quæ damnati apud inferos luunt. vnde etiam eſt quod alibi docet, per ignem expurgationem eorum qui malè vixerunt fieri; quo refert conflagrationem à Stoicis creditam, & ſententias quaſdam Platonis, & Philoſophi cujuſdam Epheſij (id eſt Heracliti.) Ex quibus intelligimus Clementem in ea quoque ſententia fuiſſe, quam ipſius diſcipulus Origines ſequitur paſſim, docens inferorum pœnas omnes eſſe purgatorias, non adeo æternos, ſed aliquando deſituras. poſtquam, ſcilicet, qui damnati ſunt, eo igne ſatis excocti & purgati fuerint. Sed & cum Iuſtino quidem docet Clemens Angelos amore mulierum correptos iis arcana multa, quæ legenda fuerant, reuelaſſe, ab Irenæi verò ſententia Dominum vſque ad quadraginta annos vitam in terris produxiſſe ſentientis longiſſimè diſcedans tradit Chriſtum annum integrum in carne prædicaſſe, & vno & trigeſimo ætatis ſuæ anno mortuum fuiſſe. Sed nullum operæ pretium fuerit in hoc Scriptore diutius immorari, apud quem vtrique confitemur multa parum ſana occurrere.

Tertuliani ad Montaniſtas defectio de ea, qua apud Eccleſiam propter pietatis fervorem eruditionèmque cum nulla alia conferendam, pollebat auctoritate & gratia plurimum detraxit. Sed præter quam quod aliquam operum ſuorum partem in Catholicorum communione elucubravit, conſiderandum eſt præterea Montaniſmum illum, quem ſecutus eſt, diſciplinam Eccleſiaſticam tantùm ſollicitaſſe, fidem non violaſſe; Tertullianus autem qui ingenio eſſet tetrico & moroſo, quam quidem Montaniſtæ affectebant diſciplinam auſteram & ſeueram facile probavit: quod verò pertinet ad ipſà

[illegible] Id. Strom. l. 6. p. 269. ὁ Κύριος [illegible] Ibid. Id. Καὶ [illegible] (in inferno) [illegible] Ibid. p. 271. [illegible] Ibid. 270. p. [illegible] Id. Strom. 5. p. 227. [illegible] Id. Strom. l. p. 227. [illegible]

fidei dogmota, ipſe non ſemel teſtatur ſe in eadem ſiue norma, ſiue fide cum Catholicis conſtanter permanere. Vnde aculeatæ hæ voces quas in orthodoxos intorquer. *Hi paracleto controverſiam faciunt, propter hoc nova prophetia recuſantur non quod alium Deum prædicent Montanus & Priſcilla & Maximilla, nec quod Ieſum Chriſtum ſolvant, nec quod aliquam fidei aut ſpei regulam evertant, ſed quod planè doceant ſæpius jejunare quàm nubere.* Idipſum apparet ex univerſo contextu librorum quos Montaniſta ſcripſit, in quibus de ſola diſciplina contra Catholicos pugnat, quod non & ita pridem pro ſuo candore confeſſus eſt noviſſimus operum eius editor. Sed licèt ab Eccleſiæ, (apud quam magno fuit olim in pretio). fide & doctrina non deſciverit, quot tamen in eius operibus peregrinæ & abſurdæ opiniones occurrunt? Nihil nunc de iis dicam quæ de perſona Filij (quod jam ſupra me dixiſſe memini) nimium profectò ſecurè atque periculosè loquitur; quàm ſtupenda philoſophatur de natura Dei, quem videtur affectibus humanis, iræ, odio, dolori obnoxium facere? cui tribuit ſubſtantiam corpoream, adeo vt, ſi ipſi fides, nemo negaturus ſit *Deum eſſe corpus*, quo fit ut minùs mirum videri debeat quod tam fidenter affeſrat, nullam ſubſtantiam eſſe quæ non ſit corporea, [a] vel quòd cum Iuſtino & Clemente Alexandrino Angelis amorem in mulieres carnalem tribuat. [b] Vnde hæc verba in libro de velandis virginibus. *Debet adumbrari facies tam periculoſa, quæ uſq; ad cœlum ſcandala jaculata eſt.* His poſitis nemo item mirari debet eius de animæ humanæ natura ſententiam, quam corporalem eſſe ſtatuit [c] certáque figura atque effigie conformatam; de ſubſtantia patris in filij corpus propagatam, ſatam & genitam cũ corpore, & una redundantem & alia ejuſmodi ſomnia quæ tamẽ in libro de anima tanta vi, contentione, ſubtilitate & eloquentia tuetur, ut vix in tota Antiquitate quicquam occurrat ornatius atque elegantius. Cęterum hic quoq; non minùs quàm Irenęus, omnẽ animã ex hac vita migran-

Vide lib. de Mon. c. 2. & lib. contr. Pſych. c. 1. & 10.

Nicol. Rigalt Prolog. in animadverſ. ad Tertu. l. 9. tract. Lutet. a. 1628.

Id. & l. 2. contr. Marcion. c. 16.

a *Id. adverſ. Hermog. c. 35. cùm ip a ſubſtantia corpus ſit cuiuſque.*

b *Id. lib. de Idolat c. 9. Angelos eſſe illos deſertores Dei, amatores fœminarum.*

c *Id. lib. de ani. paſsim nominatim cap. 22. Definimus animam Dei flatu natam immortalem corporalem effigiatam &c. ex una redundantem.*

migrantem, ſubterraneo quodam carcere includit[d] in quo vult eam ſequeſtrari vſque ad diem judicij, *nulli enim* ex ejus ſententia,*patet cœlum terra adhuc ſalva,ne*(inquit) *dixerim clauſa.* Solis martyribus concedit vt in paradiſum ingrediantur (quem tamen ſub cœlo & ipſum collocat) vt in eo vſque ad poſtremum judicium vivant. *Tota* (inquit)*paradiſi clavis ſanguis tuus eſt*,ſtatuitq; locum illum, in quo ſequeſtrantur animæ, vſque ad finem clauſum manere; decernens de cætero, planè prẹter Iuſtini mentem, omnes animarum humanarum apparitiones, illuſiones & Diaboli fraudes eſſe; hanc item animarum ſequeſtrationem permanſuram donec noua Ieruſalem tota ex gemmis[e] & margaritis conſtructa per miraculum de cœlo deſcendat in mille annos permanſura, ſanctis in ea vitam omnibus bonis & gloria cumulatiſſimam viventibus, interea dum *ſenſim concludatur ſanctorum reſurrectio pro meritis maturius vel tardius reſurgentiũ.* Vnde explicandum eſt quod alibi docet, *modicum quodque delictum mora reſurrectionis illic luendum.*[f] *Poſt iſtos mille annos,*&c.*tunc & mundi deſtructione,& judicij conflagratione commiſſa,*[g] futurũ vt *in atomo in angelicam ſubſtantiam demutemur.* Taceo invectibus averſus repetitas nuptias, & quam de toto nuptiarum negotio iniquè ſentiat, ſunt enim commenta iſta è diſciplina Paracliti Montanici. Sed magno numero conſentientes habuit catholicos in eo quod de Baptiſmo hæreticorum docuit, [h] pro nullo ſcilicet habendum eſſe, adeo vt qui ab eorum communione veniebant, ante baptizandos, quàm admittendos cenſeret. *Apud nos* (inquit) *Ethnico par, imo & ſuper Ethnicum hæreticus, etiã per Baptiſma veritatis vtroque homine purgatus admittitur.* Fideles vero adeo non invitat vel vrget ad Baptiſmum jam inde à prima infantia ſucipiendum, quod hodie fit, vt concedat,imo & auctor ſit[i] pueris & ipſis adoleſcentibus vt *pro cujuſque conditione ac diſpoſitione, etiam ætate cunctetur Baptiſmum accipere*, quod ille vtilius eſſe judicat. Quemadmodum autem in hoc

[d] *Id.l. de an. cap. 55. 56. 57. 58.*

[e] *Tertull.lib. 3. adverſ. Marci. c. 24. Nam & confitemur in terra nobis regnum repromiſſum, ſed ante cœlum, ſed alio ſtatu, vt poſt reſurrectionem in mille annos in civitate divini operis Hieruſalem cœlo delata, &c. Intra quam ætatem (mille annorum) concluditur ſanctorum reſurrectio pro meritis maturius vel tardius reſurgentium*

[f] *Lib. de an. c. 58.*

[g] *L. 3. adu. Marc. c. 29.*

[h] *Tertul. lib. de Bapt. c. 15. & l. de pudicit. c. 19.*

[i] *L. de bapt. c. 18.*

argumento ad Anabaptiſtarum ſententiam accedit, ſic & in aliis ipſi cum illis convenit, vt in hoc maximè quod Chriſtiano licere negat vllum judiciarium munus [a] exercere. *Neque*, inquit, *judicet de capite alicujus*, &c. *neque damnet*, &c. *neque vinciat, neque recludat aut torqueat*. Sed & bellare vetat vel ad militiam nomen dare disertè ſcribens, *omnem militem Dominum in Petro exarmando diſcinxiſſe*. Hæc eſt Tertulliani diſciplina quo fit ut eorum [b] vel ſtudium vel certè oſcitantiam mirer qui ex Scriptoris mitiſſimi planéque innoxij loco vno, ſed perperam intellecto, colligere non dubitant cenſuiſſe ipſum capitalibus pœnis in hæreticos eſſe ſæviendum, à qua immanitate haud propius cum abfuiſſe certum eſt quàm cœlum diſtat à terra. Addo, antequam ad reliqua pergo, cenſere ipſum [c] Chriſtum mortem pertuliſſe trigeſimo ætatis anno, quod tamen adverſa fronte cum Evangelio pugnat; & ſibi fingit [d] gratiam cœleſtem & ſpiritum Prophetiæ in Ioanne Baptiſta, poſt totius Spiritus in Dominum tranſlationem defeciſſe.

Hujus vnicus admirator Cyprianus, ut etiam eum propter excellentiam magiſtrum vocitare ſoleret, [e] iſtarum ſententiarum quaſdam liberè ſequutus eſt, ac, inter cæteras, proximam de rebaptizandis hæreticis, [f] quam mordicus tenuit, conſentientibus ferè clariſſimis quibúſque illius memoriæ viris, Firmiliano [g] Cappadociæ Metropolitano, & Dionyſio Alexandriæ Epiſcopo, [h] cum Africæ, Cappadociæ, Pamphyliæ & Bithiniæ Conciliis, tametſi vehementer obſiſteret & in iras atque anathemata nequicquam prorumperet Stephanus Epiſcopus Romanus, qui & ipſe propriam fovebat, non multo probabiliorem, ſententiam. Omnes enim nullo diſcrimine hæreticos abſque Baptiſmo admittebat, vt ex LXXIV. Cypriani [i] epiſtolæ initio apparet. At Eccleſia quinque & ſexaginta, vel circiter annis poſt Stephanum, Sa-

a *Tertull. l. de Idololat. c. 17. & 19. & ſeqq. & l. 1. de coron. milit. c 11.*
b *Pamel in Script. Tert. ull. c. 2. n. 15. & in lib. ad Scap. c. 2 n. 7.*
c *Tertull. l. adu. Iud. c. 8. Chriſtus annos habens quaſi triginta cum pateretur.*
d *De Bapt. cap. 0.*
e *Hieron. l. de Script. Eccl. in Tertull. T. 1. p. 355. B. Vide ego quendam Paulū &c. qui ſe B. Cypriani, &c. notarium, & c Romæ vidiſſe diceret referriq; ſibi ſolitum, nunquā Cyprianum abſq; Tertulliani lectione unum diē præteriſſe, ac ſibi crebro dicere, da Magiſtrum Tertullianum videlicet ſignificans.*
f *Cypr. ep. 74 ad Steph. & alibi paſſim.*
g *Firmil. ep. 75. inter ep. Cypr.*
h *Hier. de ſcripſ. Eccl. T. 1. p. 371.*

i *Cypr. ep 74 ubi referuntur hæc Stephani verba, ſi ergo à quacunque hæreſi venerit ad nos nihil innovetur, niſi quod traditum eſt, ut manus illi imponantur in pœnitentiam. Et ibid. p. 94 B.*

moſatenianorum [k] Baptiſmum irritum pronuntiavit, qua ratione videri poſſet reliquos abſque baptiſmo admittendos cenſuiſſe. Sed ſecundi Concilij œcumenici Patres intra hos limites ſe non continuerunt: [l] non minus enim quam Gentiles ipſos rebaptizari voluerunt omnes qui à communione Eunomianorum, Montaniſtarum, Phrygum, Sabellianorum, & aliorum hæreticorum ad Eccleſiam Catholicam ſe recipiebant. Solos Arianos, Macedonianos, Sabbatianos, Novatianos, Quartodecimanos & Apollinariſtas ab ea lege immunes non rebaptizandos conſtituerunt, vt patet ex iſtius Concilij codicibus Græcis Can. VII. qui etiam habetur in Codice Græco Eccleſiæ vniverſalis n° CLXX. Ita & Stephanus & Cyprianus ſuas vterque habuerunt privatas de hoc argumento ſententias, quod omnium ſimpliciter hæreticorum baptiſmum ille quidem admitteret, hic vero repudiaret; quem duæ Synodi œcumenicæ ſimpliciter neque admittunt, neque rejiciunt; ſed aliorum quidem admittunt, aliorum verò repudiant. Cæterum Stephano (vt mihi quidem videtur) Cyprianus eo præferendus eſt quod cum vterq; erraret, hic quidem aliter ſentientes ferebat, vt ex Synodo Carthaginenſi conſtat [m] & ab Hieronymo confirmatur. Stephanus verò, vt erat, Firmiliano teſte, [n] feruidus & iracundus omnes, qui à ſententia ſua recedebant communione ſua ſummouebat. Idem Beatus Martyr in ſui ſeculi errore verſabatur, [o] putans omnibus baptizatis, ne pueris quidem exceptis, Euchariſtiam eſſe ad ſalutem neceſſariam, ut apparet ex Epiſtola. LIX. in qua cum LXV. Epiſcopis pueros recèns natos [p] ad Baptiſmum & Euchariſtiam admittit, contra cujuſdam Fidi ſententiam qui nonniſi Octavo die pueros ad iſta Sacramenta admittebat. Patet idem ex eo quod alibi narrat de puella, quæ licèt per ætatem loqui non poſſet, attamen inſigni miraculo repulit à ſe ſanctificatum in Domini ſanguine potum quem Diaconus reluctanti in os infundebat in cœtu fidelium,

k Concil. Nicæ. c. 19. περὶ τῶν παυλιανισάντων, εἶτα προσφυγόντων τῇ καθολικῇ ἐκκλησίᾳ ὅρος ἐκτέθειται, ἀναβαπτίζεσθαι αὐτοὺς ἐξάπαντος.

l Concil. Conſtant. I. can. 7. 1040.

m Cypr. præfat. Conc. Carthag. p. 397. a. Neminem iudicantes, aut à iure communionis aliquem ſi diuerſum ſenſerit amouentes.

n Hieron. cont. Lucif. T. 2. p. 197. D. 198. A.

o Firmil. ep. ad Cypr. quæ eſt. 75. inter ep. Cypr. p. 204. Cypr. ep. 74. p. 194. B. & epiſt. 75. quæ eſt Firmiliani.

p Cypr. ep. 59 p. 137. ut intra octauum diem eum qui natus eſt baptizandum & ſacrificandum non putares.

conſcientia quadam facti, & quaſi ſe eo indignam exiſtimaſſet quod paulò ante delata fuiſſet ad idolum quoddam, & panem meromixtum de immolatione accepiſſet. [b] Manabat autem error ille ex eo quod Euchariſtiam non minùs quam Baptiſmum ad ſalutem neceſſarium arbitrabantur, vt facile eſt colligere ex ejuſdem Auctoris verbis lib. 3. de teſtam ad Quirinum, cujus cùm hanc epigraphen feciſſet. [c] *Ad regnum Dei niſi baptizatus & renatus fuerit quis pervenire non poſſe* vt id probet, citat primo ex Ioan, 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu non poteſt introire in regnum Dei*; deinde ſtatim ſubjicit ex ejuſdem Evangelij cap. 6. *niſi aderitis carnem filij hominis, & biberitis ſanguinem ejus non habebitis vitam in vobis.* Illum locum ad Baptiſmum, hunc ad Euchariſtiam referens, quòd vtrumque ad regenerationem neceſſariam exiſtimaret. Omitto nonnulla quæ ipſi quandoque in hoc de hæreticorum Baptiſmo argumento excidunt, ex quibus videri poteſt ejus ſacramenti efficatiam ex miniſtri ſanctitate & integritate pendere voluiſſe. [d]

Iam de Origine nobis agendum eſſet; ſed quandoquidem ex quo è vivis exceſſit ejus multi ingenium & doctrinam infamarunt, alij contra acriter defenderunt, intactum eum ſinemus neque nos in controverſiam tanta vtrimque animorum contentione agitatam immittemus Vnum tantum ex eo exemplo notandum venit, neque antiquitatem, neque eruditionem neque ſanctitatem neceſſario obſtare quominus homines in inſulſos & graves errores incidant, quippe cùm inter antiquiſſimos ſit Origines, & paucis annis tertij ſeculi dimidium prætergreſſus ſit; neque ei cætera, hoc eſt vitæ innocentiam, & ſummam doctrinam vel infenſiſſimi hoſtes inviderint aut negarint. Quæ verò de ipſius caſu [e] narrat Ehiphanius ea viri laudem nihil prorſus imminuunt, primò quod etiamſi conſtaret rem ita geſtam fuiſſe, vt perhibet Epiphanius, non deſint fidelium exempla qui graviſſimæ tantationi ſuccubuerunt, vt ex Petri exemplo

apparet:

[b] *Id. de lapſis p. 244.*

[c] *Id. lib. 30. Quæſt. ad Quiri. c 25.*

[d] *Id. ep. 63 p. 156. B. Quando ne. oblatio ſanctificare illic poſſit vbi Spiritus Sanctus non ſit, nec cuiquam Dominus per eius orationes & preces profit, qui Dominum ipſe violavit.*

[e] *Epiph. hær. 64. quæ eſt Orig. T. 1. p. 525.*

apparet: tum, ne quid diſſimulem, placet mihi Baronij [f] ſententia, totam iſtam narrationem commentitiam eſſe docentis, natam ex eorum odiis, qui magni & admirabilis iſtius viri gloriam ferre non potuerunt, & vel Epiphanij libris inde per fraudem aſſutam, vel quod potiùs reor, & probabilius eſt ab Epiphanio temerè creditam, & litteris mandatam; qualia habet non pauca vir, ſanctus quidem, ſed interdum profectò nimium credulus, vt vel poſtremus eius interpres confitetur. [g] Cùm ergo Origenes tantis donis licèt inſtructus, plurima tamen procuderit, & defenderit peregrina & abſurda dogmata, quæ acriter, nec immeritò ab Eccleſia poſteriorum ſeculorum repudiata ſunt; hoc exemplo docemur Doctores, vel antiquiſſimos, doctiſſimos, atque ſanctiſſimos poſſe in errores etiam tetros incidere. Nulla enim ratio eſt cur quod Origeni in multis accidit, [h] idem cuivis non poſſit in quibuſdam accidere.

Sed neque diſſimulandum eſt eos qui adverſus Origenem ſcripſerunt non fuiſſe in his diſputationibus tanta fœlicitate verſatos, vt, dum huius errores oppugnant, in nullos ipſi incurrerint. Methodius [a] iſtorum primipilaris apud Epiphanium docet homines poſt reſurrectionem & vltimum judicium æternùm in terra habitaturos, & Angelorum more, ſine ulla mutatione, in immortalitatis ſtatu optima quæque facturos. Ipſe quoque cum aliis Angelos mulierum amatores [b] fingit, Providentiámque Dei nonniſi cauſas vniverſales curare ſtatuit, [c] & particularia quæque Angelis committere. Quas ſanè ſententias qui rectè expenderit, non minùs perniciofas Scripturæque adverſas judicabit, quam eas ipſas quas in Origene notat atque reprehendit.

Iiſdem de cauſis Euſebium, Didymum, Apollinarem & alios ejuſmodi omitto, licet enim Veteres ſint; vulgò tamen haud magni fiunt, propterea quòd apud maximam Eccleſiæ partem malè audierint. Antiquiſſimi enim (quanquam non minoribus nævis laboraverit co-

[f] Baron. in Annal. ad an. 253. num. 120. 121. 122.

[g] Petav. Not. ad hæreſ. 55. p. 217.

[a] Method. apud Epiph. in Panar. p. 555. Ἐκπυρωθήσεσθαι μὲν γὰρ τὴν κτίσιν, ὥσπερ πυρ-ουμένην ... τὴν ἐκπύρωσιν, ἵνα ἀνακαινισθῇ, οὐ μὴν ἀπολεῖσθαι εἰς ἀφανισμόν. ὅπως οἱ ἀνακαινισθέντες ἐν ἀνακαινισθέντι κόσμῳ ἄλυποι κατοικῶσιν.

[b] Id. ὥσπερ καὶ οἱ μετὰ ταῦτα σαρκῶν ἐρασθέντες, καὶ περὶ τῶν ἀνθρώπων εἰς φιλοκαρδίαν ὁμιλήσαντες θυγατράσιν.

[c] ἵνα τὴν μὲν παντελικὴν καὶ γενικὴν ἔχων ὁ Θεὸς τῶν ὅλων πρόνοιαν, ἡ δὲ διὰ μέρους οἱ ἐπὶ τούτων ταχθέντες ἄγγελοι.

rum fides tamen æquius à poſteris accepti ſunt, ſeu quòd ætate longè ſuperiores eorum qui in cæteros cenſuram exercuerunt odia & invidiam minùs excitarint, ſeu quòd propter exiſtimationem in qua apud Eccleſiæ vulgus erant ipſis parcitum ſit.

Hieron. ep. 65. ad Pam. & Ocean. T. 2. p. 284.

Lactantius Firmianus licet à veterum paucis de erroribus accuſatus, ab iis tamen immunis non fuit. Iamdudum Hieronymus graviſſimum notavit. *Lactantius* (inquit) *in libris ſuis, vt maximè in epiſtolis ad Demetrianũ, Spiritus ſancti omnino negat ſubſtantiam, &, errore Iudaico, dicit eum, vel ad Patrem referri, vel ad Filium, & ſanctificationem vtriuſque perſonæ ſub ejus nomine demonſtrari.* Cæteri ſunt leviores, eíque cum multis aliis Patribus communes: vt quod, verbi gratia docet Angelos mulierum congreſſibus inquinatos, & inde neſcio quod genus dæmonum terrenorum natum. Idem quod differit *omnes* (animas) *in vna communi cuſtodia detineri, donec tempus adveniat quo maximus Iudex meritorũ faciat examen.* Chriſtum ante ultimum judicium in terras venturum, & eos qui tum ſuperſtites futuri ſunt non morituros, ſed per mille annos infinitam multitudinem generaturos, vitámque in ciuitate ornatiſſima acturos pacatam, omnibúſque commodis uberrimè affluentem, ſub Chriſti & ſanctorum quorumdam à mortuis ſuſcitatorum regno.

Lact. Firm. lib. 2. divin. Inſtitut. c. 15. Id. l. 7 c. 21. extr.

Id. l. 7. c. 24. p. 598.

Quid quod noſter Hilarius qui circa medium ſeculum quartum florebat ſuos etiam manes paſſus eſt, nævis & ipſe aſperſus eo inſignioribus quo pluris à Veteribus factus eſt? Errorum omnium pernicioſiſſimus is eſt quòd naturam Chriſti humanam nullo dolorum vel cruciatuum ſenſu affectam fuiſſe exiſtimat. *Paſſus quidem* (inquit) *Dominus Ieſus Chriſtus dum cæditur, dum ſuſpenditur, dum crucifigitur, dum moritur, ſed in corpus irruens paſſio, nec tamen naturam paſſionis exercuit, dum & pœnali miniſterio illa deſævit, & virtus corporis ſine ſenſu pœnæ vim in ſe deſævientis excepit. Habuit ſanè illud Domini corpus doloris noſtri naturam, ſi corpus noſtrum id naturæ habet ut cal-*

Hilar. de Trinit. l. 10. fol. 63. A. col. 2.

ces

cet undas, & ſuper fluctus eat; & non deprimatur ingreſſis, neque aquæ inſiſtentis veſtigiis cedant, penetret etiã ſolida, nec clauſa domus obſtaculis arceatur. Et paulo poſt. *Et homo ille de Deo eſt, habens ad patiendum quidem corpus, vt paſſus eſt, ſed naturam non habens ad dolendum. Natura enim propriæ ac ſuæ corpus illud eſt, quod in cœleſtem gloriam transformatur in monte.* Id ibid. *In quem quãvis aut ictus incideret, aut vulnus deſcenderet, aut nodi concurrerent, aut ſuſpenſio elevaret, afferrent quidẽ hæc impetum paſſionis, non tamen dolorẽ paſſionis inferrent: vt telũ aliquod aut aquam perforãs, aut ignem compungens, aut aera vulnerans. Omnes quidẽ hæ paſſiones natura ſua infert vt perforret, vt cõpungat, vt vulneret, ſed naturã ſuam in hæc paſſio illata non retinet, dũ in natura non eſt vel aquã forari, vel pungi ignẽ, vel aera vulnerari, quãvis natura teli ſit vulnerare & cõpungere & forare.* Et ne putes iſta ei ſubitò ex impudenti aliquo animi impetu excidiſſe, eadẽ variis in locis repetit. Vt Cõmentario in Pſal. 53. *Suſcepta*, inquit, *voluntariè eſt* (paſſio) *officio quidem ſatisfactura pœnali, nõ tamen pœna ſenſu læſura patientẽ.* Et alibi quoq; *Putatur dolere quia patitur, caret verò doloribus ipſe quia Deus eſt.* Apud te jam reputa quo iſta evadant, & quæ futura ſit noſtra ſalus, ſi paſſio Chriſti, quæ ejus vnicum fundamentum eſt, evanida tantum fuit, & inanis, ſine vllo doloris ſenſu, paſſionis imago. Ac ut, poſito ſemel vno abſurdo, aliud ſequatur neceſſe eſt, ſua illa privata opinione ad totam paſſionis Dominicæ pervertendam hiſtoriam inductus eſt. Fingit enim caliginoſæ illius noctis, in qua Dominus propter affenſas noſtras traditus eſt graviſſimos angores, grumoſq; illos ſanguinis, non à doloribus aut cruce illa cui affigendus erat manaſſe (& ſanè cum ex ejus ſententia nullus Chriſto dolor incumberet, nihil erat quod eo commoveretur, ſed à metu quo afficiebatur, ne diſcipuli ſui, qui ſe cæſum & conſputum & crucifixum erant contemplaturi, Deum negarent, & ſic in Spiritum Sanctum peccarent, & hanc rationem in Petro ſervatam, qui cum eum negaretur

fol. 19. col. 1.

Id. in Pſalm. 138 fol. 110. B. col. 1.

Id. in Matth. can. 31 fol. 33. A. tot. ſcrib. exterrendos fungandos, negaturos, ſed quia Spiritus blaſphemia nec h. e nec in æternum remittitur, metuis ne ſ. D. ũ abnegent quẽ cæſum & conſputũ & crucifixum eſſent contẽplaturi. quæ ratio ſervata in Petro eſt: qui cùm negaturus eſſet, ita negavit, non novi hominem quia dictũ aliquod in filium hominis remittitur.

Id. ibid. fol. 33. A. Tranſeat calix à me, id eſt, quomodo à me bibitur, ita ab iis bibatur, ſine ſpei diffidentia, ſine ſenſu doloris, ſine metu mortis, &c.

eſſet, ſic negavit, *non novi hominem*, quia dictum aliquod in filium hominis remittitur. Illa verò Domini verba, *Pater mi ſi poſſibile eſt tranſeat à me calix iſte*, noſter ita accipit, non ut Dominus à ſe paſſionem deprecetur, ſed vt optet diſcipulos, poſtquam ipſe paſſus fuerit, eadem quoque ratione ſimilia pati. Tranſeat, inquit, calix à me, *id eſt quomodo à me bibitur, ita ab iis bibatur, ſine ſpei diffidẽtia, ſine ſenſu doloris, ſine metu mortis.* Quicquam ne fingi potuit, vel frigidius, vel dilutius, vel à ſimplicitate & veritate Evangelica magis alienum? Satis autem mirari non poſſum, quod poſtquam Chriſti carnem in ſpiritum ita transformavit, alibi animas noſtras in corpora immutet. *Nihil eſt* (inquit) *quod non in ſubſtantia ſua & creatione corporeum ſit*, &c. *Nam & animarum ſpecies, ſive obtinentium corpora ſive corporibus exulantiũ, corpoream tamen naturæ ſuæ ſubſtantiam ſortiuntur.* Cenſet Baptiſmum ab omnibus peccatis nos minimè mundare, & omnibus poſtremo die per ignem tranſeundum decernit. Hæc enim ejus ſunt. *In quo* (die judicij) *nobis eſt indefeſſus ille ignis obeundus in quo ſubeunda ſunt gravia illa expiandæ animæ ſupplicia. Beata Maria animam gladius pertranſibit vt revelentur multorum cordium cogitationes. Si in judicij ſeveritatem capax illa Dei Virgo ventura eſt, deſiderare quis audebit à Deo judicari?* Neſcio an ſuo tempore multos in ſententiam induxerit, noſtro quidem fruſtra eam Franciſcanis, fruſtra cæteris B. Virginis ab omni peccati labe immunitatem defendentibus occineret.

Id. ſer. in Matth. Can. 5. fol. 7. A. col. 1.

Id. in Pſalm. 118. lit. Gimel. fol. 53 B. col. 2.

Eſt ergo quãtum licet exiſtimare perfectæ illius emundatio puritatis etiã poſt baptiſmi aquas repoſita, &c.

Id. ibid. fol. 54. A. col. 2.

Baſilius Cæſareæ in Cappadocia laudatiſſimus Epiſcopus ſuos tamen & ipſe nævos habet. Nam eo manifeſtè propendet, vt quicunque non ſimpliciter à ſchiſmate, ſed ab hæreſi ad Eccleſiam veniunt, ij rebaptizentur; vt aliqui hæretici ſine baptiſmo ſuſpiciantur non concedit, niſi ad vitandum ſcandalum, ἐπειδὴ δὲ (inquit) ὅλως ἔδοξέ τισι τῶν κατὰ τὴν Ἀσίαν οἰκονομίας ἕνεκα τῶν πολλῶν δεχθῆναι αὐτῶν τὸ βάπτισμα, ἔστω δεκτόν. *Quoniam autem Aſianis quibuſdam placuit propter quandã diſpenſationem*

Baſil. epiſt. canon. ad Amphiloch. can. 1.

vt

vt eorum(hæreticorum) *baptiſma reciperetur, eſto receptũ.* Prope accedit ad ſui Firmiliani ſententiam. Notavit Petavius, & viri maximi nomini adeo non pepercit, ut in has eius ad Amphilochium epiſtola *multa mirifica, & ſi verum quærimus parum catholica contineri* exſertè ſenſerit. ſed & Baſilius videtur ab Origenis de purgatorio ipſius gehennę igne dogmate non admodum abhorruiſſe. Certè vix aliter explicari poſſunt quæ in Iſaiæ cap. quartum philoſophatur, eos ipſos qui ad mortem voluntariè peccant igne purgari conſtituens. Origeni quidem & ipſum & ſummum eius amicum Gregorium Nazianzenum multum tribuiſſe loquitur Philocalia communis utriuſque ex Origene labor.

Not. ad Epiph. pag. 341.

Comment. in Iſai. 4. p. 1143 b. c.

Gregorius verò magnum & ipſe Eccleſiæ Græcanicæ decus Origenici iſtius dogmatis clara expreſſáque veſtigia non uno in loco exhibet. Nam cum ignem vindicantem & punientem alicubi memoraſſet, & à purgante diſtinxiſſet, dixiſſétque illum nunquam extingui, ſed perennare cum ipſis qui puniuntur, peccatoribus, eam ſententiam veluti paulò diriorem & inhumaniorem corrigens ſtatim hæc addit; *niſi cui tamen hoc quoque loco id humanius, ac ut Deo qui punit dignum eſt, intelligere placeat.* Eodem referendum videtur quod oratione præcedenti Novatianos, ſi in ſchiſmate perſeverent ſine reſipiſcentia, baptizatum iri ait igni; *qui poſtremus eſt baptiſmus*, inquit, *nec ſolùm acerbior, ſed etiam diuturnior*, pœnas etiam impœnitentibus denuntians, diuturnas quidem & acerbas, non tamen æternas.

Orat. 40. in Paſc. T. 1. p. 605. a.

Gregorius Nyſſenus epiſcopus, Baſilij natura quidem frater diſciplina verò filius, eadem, & quidem multò apertiùs, ſequitur; idque fatetur Nilus Theſſalonicenſis Archiepiſcopus. Germanus epiſcopus C.P. qui A.D. 680. florebat tres Nyſſeni libros hoc errore inſperſos concedebat *, ſed eos ab hæreticis vitiatos fuiſſe hariolabatur, non ab ipſo auctore ita ſcriptos; quod vltimum eſt eorum effugium qui ſtulta & abſurda pertinacia ſibi per-

Tract. Purgat. p. 147.

* *Apud Photium cod. 233.*

ſuadent nihil à Veteribus ſcriptum eſſe à præſenti ipſorum fide alienum. Cæterum tam multa ſunt & totis Nyſſeni orationibus ita penitus infixa huius delirij venena vt parum ſit veriſimile ea ab alia eſſe quam ab auctoris mente & manu. Videat qui volet librum ejus de anima & reſurrectione.[a] Orationem Catecheticam[b] & de iis qui præmaturè abripiuntur;[c] item orationem de mortuis,[d] ac denique opuſculum in illud Apoſtoli,[e] *Tunc ipſe Filius ſubjicietur Patri*, quo clariſſimè conſtituit totū dogmatis Origenici myſterium. Sed & in aliis Origenem ſequitur, ut cùm quæ Moſes de duabus arboribus in medio Edene conſitis narrat, totámque Paradiſi hiſtoriam allegoricè non ad litteram intelligendam eſſe contendit,[f] cum pelliceas tunicas quibus Adam à Deo veſtitus eſt de corpore, ficulnet folia de gloriis, honoribus & deliciis ſecularibus interpretatur,[g] cùm corpora Sanctorum poſt reſurrectionem ad aeriam tenuitatem atque ſubtilitatem contextum iri docet,[h] quæ omnia planè eſſe Origenis ſciunt qui in eo verſati ſunt. Sed & ſingularia habet Gregorius non pauca, & à communi fide abhorentia. Nam & peccatum originis eo apertiſſimè tollit quod negat τὸ νήπιον δεῖσθαι τῆς ἐκ τοῦ καθαρθῆναι ὑγιείας, ὅτι μηδὲ τὴν ἀρχὴν νόσον τῇ ψυχῇ παρεδέξατο. *Parvulos indigere ſanitate quæ fit per purgationem, quod neque ab initio morbum in animam ſuſceperint;*[i] & mediationis Chriſti neceſſitatem evertit, cùm eius incarnatione opus futurum fuiſſe negat[k] ſi omnes Heliæ, Eſaiæ, Ezechieli ſimiles forent; & triduum mortis Domini ab Euchariſtia auſpicatur, quòd in ea jam mortuum fuiſſe Chriſtum velit;[l] quòd quam ſit abſurdum omnes vident.

Ambroſius, firmiſſimum Eccleſiæ ſui temporis columen, ne ipſe quidem omni planè errore caruit. Cum Hilario conſentit, omnes in univerſum ignis examen ſubituros; juſtos inde liberatum iri, infideles in eo æternum manſuros.[m] *Poſt conſummationem ſeculi* (inquit) *miſ-*

ſis

a T. 3. p. 216. &c.
b Ibid p. 61.
c T. 3. p. 322.
d Ibid. p. 8. 12.
e T. 2. p. 12. 14. 16. 17. 18. 20.
f In Cant. T. 1 p. 471. 472.
g In orat. Dom. T. 1. p. 755. b. c. & Catech. orat. T. 2. p. 492. v. & l. de reſur. & an. p. 685. b.
h De an. & reſurr. T. p. 230. c.
i L. de iis qui præmaturè abripiuntur T. 2. p. 329. b.
k Contr. Apol. ad Theoph. T. 2. pag. 263 c. d.
l In Chriſti reſurr. Orat. 1. T. 3. p. 389. d. & 390. A
m Amb. in Pſ. 118. ſerm 3. T. 4. p. 611.

ſit Angelis qui ſegregent bonos & malos hoc futurum eſt baptiſma, quando per caminum ignis iniquitas exuretur, ut in regno Dei fulgeant juſti ſicut ſol in regno Patris ſui. Et ſi aliquis ſit Petrus ſit, ut Ioannes baptizetur hoc igni Veniet ergo Baptiſta magnus (ſic enim eum nomino, quomodo nominavit Gabriel, dicens, hic erit magnus) videbit multos ante Paradiſi ſtantes veſtibulum, movebit romphaeam verſatilem, dicet iis qui à dextris ſunt, nõ habentibus gravia peccata, intrate, &c. Et alibi ab eo examine nullum niſi Chriſtum eximit. [n] *Omnes oportet per ignẽ probari quicunq; ad Paradiſum redire deſiderant. Non enim otiosè ſcriptum eſt quod ejectis Adam & Eua de Paradiſi ſede, poſuit Deus in exitu paradiſi gladium igneum, verſatilẽ. Omnes oportet tranſire per flãmas ſiue ille Ioannes Evangeliſta ſit, quem ita dilexit Dominus, vt de eo diceret ad Petrum,* &c. *ſiue ille ſit Petrus, qui claves accepit regni cœlorum, qui ſuper mare ambulavit, oportet dicat tranſivimus per ignem & aquam & induxiſti nos in refrigerium. Sed Ioanni citò verſabitur igneus gladius quia in eo nõ invenitur iniquitas quem dilexit æquitas,* &c. *Sed ille Petrus examinabitur ut argentũ; ego examinabor, ut plumbũ; donec plumbum tabeſcat, ardebo: ſi nihil in me argenti inventum fuerit; heu me! in ultima inferni detrudar, aut ut ſtipula totus exurar.* Reſurrectionem verò mortuorum non ſimul & ſemel futuram arbitratur, ſed paulatim longo & ſtatuto ordine, ita ut qui crediderunt primi reſurgant pro meritorum ratione. [o] Eo referendum eſt quod alibi habet. [p] *Beati qui habent partem in prima reſurrectione, iſti enim ſine iudicio veniunt ad gratiam Qui autem non veniunt ad primam reſurrectionem, ſed ad ſecundam reſervantur, iſti urentur donec impleant tempora inter primam & ſecundã reſurrectionem, aut ſi non impleverint diutius in ſupplicio permanebunt.* An vero bono ſenſu accipi poſſit quod videtur docere, adulteriũ antequam lex Moſis promulgaretur, non fuiſſe illicitum, [q] lectorum iudicium eſto. *Conſideremus primùm (inquit) quia Abraham, ante legem Moyſi & ante Evangelium fuit nondum interdictum adulte-*

[n] *Id. in Pſal. eundem ſer. 20. T. 4. pag. 476.*

[o] *Ambr. lib. 2 de fide reſur. T. 3. p. 39. Licet in momento reſuſcitentur omnes, omnes tamen meritorũ ordine ſuſcitantur.*

[p] *Id. in Pſal. 1. p. 474. T. 4.*

[q] *Amb. l. 1. de Patr. Abr h. c. 4. T. 4. pag. 276.*

rium videbatur. Pœna criminis ex tempore legis eſt quæ crimen inhibuit, nec ante legem vlla rei damnatio eſt ſed lege. Item an quæ libro de Inſtitutione virginis, [r] & paſſim alibi diſſerit, ea nullam nuptiarum honeſtati labem aſpergant. Expendant etiam coradti Lectores plus ne ſoliditatis an ſubtilitatis attulerit ad expoſitionem arcus in nube quem Deus Noacho promiſit, ut eſſet in ſignum fœderis quod cum ipſo & cum orbe vniverſo pangebat. Vehementer enim negat iſta quæ promittit Deus de Iride intelligenda, ſed ea ad neſcio quem alium arcum allegoricum contendit referenda. [s] *Abſit*, inquit, *ut hunc arcum Dei dicamus; hic enim arcus, qui Iris dicitur, per diem videri ſolet, per noctem non apparet*, & deinceps per hunc arcum intelligit inviſibilem Dei virtutem per quam omnia continet moderatúrque menſura quadam quam extendit & remittit pro Divina voluntate. Neque poſtremò ſcio an quod ille primo de Spiritu Sancto libro docet [t] ulla idonea ratione probari poſſit, plenum ſcilicet eſſe Baptiſmatis Sacramentum, nuncupato tantum Filio, vel Spiritu Sancto, & tacitis Sacroſanctæ Trinitatis perſonis reliquis.

r *Id. de Inſtit. Virg. & ad Virg. & de Virg. paſſ. T. 1.*

s *Id. lib. de Noe & Arca c. 7 T. 4. pag. 166.*

t *L. 1. de Sp. Sanct. c. 3 T. 2. p. 169.*

Epiphanius verò ut ingenio erat ſimplici & aperto, &, ſi dicere licet in cauto, & nimis credulo, ſic acer fuit & vehemens in iis omnibus retinendis quæ ſancta & vera eſſe in animum induxerat, ideóque faciliùs abreptus eſt ad multa admittenda tanquam ſolida quæ, ut ſemel ſuſceperat, non facilè dimittebat, ſed retinebat mordicus. Non exiguo volumine & multo otio opus eſſet ad ea omnia recenſenda quæ notari ex eo poſſent. Si cui in ea inquirere cordi eſt adeat Dionyſij Petavij recentiſſimi interpretis notas; caſtigat enim eum ſæpenumero, ac nonnunquam quidem acriter. [u] Perobſcura atque impedita, imo falſa eſſe quæ ille de anno & die quo natus eſt Dominus noſter Ieſus Chriſtus diſſerit, nullúmque Sphyngis ænigma eius oratione perplexius eſſe non dubitat pronunciare. Nec ſanè injuria, ſi nata-

u *Petav. in Epiphan. pag. 127. 132.*

lis

lis eius anni ratio habeatur, Quod verò ad ipſum diem pertinet Chriſti natalem, an is, ſcilicet, Ianuarij ſextus fuerit, quod cum Eccleſia Ægyptiaca ſequitur Epiphanius, [x] an verò Decembris vigeſimus quintus (quod hodie volunt) non puto ſine temeritate quicquam ea de re poſſe affirmari; cum harum ſententiarum neutra ullo idoneo fundamento nitatur. Sed & falſo eſſe Petavius[y] contendit quæ narrat Epiphanius *in Eccleſia initiis decreviſſe Apoſtolos vt Iudaico ritu Paſcha celebraretur, aut cũ iis etiam Chriſtianis atque epiſcopis qui Iudaicè, ac minimè ligitimo tempore fungerentur.* Neſcio item cui fundamẽto ſuperſtruere potuerit commentum quod pro re certiſſima obtrudere non dubitavit.[z] Diabolum *ante Chriſti ſervatoris adventum miſericordiæ nonnihil ſe conſecuturum ſperaſſe, ideoque contumelioſam in Dominum ſuum jactare vocem, vel rebellare non fuiſſe auſum; Verum vbi ſuam ad obtinendam ſalutem converſionem à Chriſto repudiari infælix animadvertit, illico os contra Dominum aperuiſſe, ac maledicentiam omnem evomuiſſe.*

Ioannes Chryſoſtomus iiſdem quoque temporibus vixit, florentiſſimus & abſque controverſia doctiſſimus ac facundiſſimus ſcriptor. Ei tamen multa excidiſſe, vel falsò, vel certè incautiùs dicta & veniam poſcentia quis neget? Quale eſt quod ſomniat Dauidem eos Pſalmos qui quinquageſimum proximè conſequuntur ἁπλῶς συνιέσει ἀνθρωπίνῃ *humana ſimpliciter intelligentia ſcripſiſſe* ἔρημος γὰρ ἦν (inquit) πνεύματος ἁγίου. *Spiritu enim ſancto vacuus erat.*[a] Idem peccatum originale videtur neſciviſſe nam & peccatum nobis natura ineſſe negat,[b] & parvulos peccato carere ait, & illud Pauli Rom. 5. 19. *per inobedientiã vnius hominis peccatores conſtituti ſunt multi,* admodũ dilutè interpretatur, ac ſi Apoſtolus vellet homines Adę ſcelere, non peccato quidẽ ipſi, ſed morti fuiſſe ſubjectos: τὸ μὲν γὰρ (inquit) ἁμαρτόντος ἐκείνου καὶ γενομένου θνητοῦ καὶ τοὺς ἐξ αὐτοῦ τοιούτους εἶναι, οὐδὲν ἀπεικός, τὸ δὲ ἐκ τῆς παρακοῆς ἐκείνου ἕτερον ἁμαρτωλὸν γενέσθαι, ποίαν ἀκολουθίαν ἕξει;

x Epiph. hær. 51. quæ eſt Alog. T. 1. p. 446. C.

y Petau. ib. p. 291. ad hær. 70, nu. 10.

z Epiph. in Pan. c. 1. T. 1. hæreſ 19 p. 39. B. C. [illegible Greek note]

a Homil. 1. in Pſ. 50. T. 5. pag. 1016. B. edit. Par. Front. Duc.

b L. 3. cont. Vituper. vitæ Monaſt. T. 4. p. 461. E.

c Homil. 9. in Matth. p. 13. a.

d Hom. 10. in Rom. 5. 19.

Illo enim peccante ac mortali effecto, & qui ex eo orti ſunt tales eſſe nihil abſurdum. At ex illius inobedientia alterũ peccatorem extitiſſe, id vero quam obſecro congruentiam conſequentiámq; haberet? Itaque alibi, quod Chriſtus è virgine natus ſit, hanc duntaxat affert rationẽ, quod Dominum[e] in mundum magnificentius atque auguſtius quàm nos ingredi deceret: non quòd eum a labe originali purum & intactum naſci neceſſe eſſet: quod vtique ſi ſciviſſet, id omnino in hac quæſtione commemoraturus fuiſſe videtur. Huc quoque ea pertinent quæ idem multis in locis de natura & liberi arbitrij viribus multo quàm decuit magnificentiùs effudit; quæ quod ab utriamque partium eruditis[f] obſervata ſint, mitto. Iam cum quoque clarum eſt juſtorum animas cœlo ante ſupremam reſurrectionis diem excludere[g] & preces pro ipſis damnatis approbaſſe, ac velut utiles commendaſſe,[h] quod videntur quoque ſentire & Auguſtinus[i] & Damaſcenus[k] & alij.[l] Loca ſigillatim deſcribere longum eſt, quæ in margine annotavimus; ea videat qui volet.

Hieronymus, liberrimus ac graviſſimus Antiquitatis cenſor, quam in alios fœliciter exercuit Criticem ejus in ſe quoque adhibendæ occaſionem aliquoties præbuit. Primò enim Origenis de damnatorum purgatione & ſalute delirium, æquè ac præceptor Nazianzenus, Baſiliusque & Nyſſenus, Commentario in Amos ſequi videtur:[m] diſertè ſcribens hæreticos & omnes peccatores liberatum iri, vt tortem raptum de incendio, poſtquam extrema ignis medicina exuſti purgatíque fuerint. Alibi, non omnes quidem damnatos, ſed eos tamen qui Chriſtianiſmum profeſſi fuerint, ſervatum tandem aliquando iri non obſcurè ſignificat, qua in ſententia fuiſſe ſuo tempore quoſdam etiam *Catholicos* teſtatur Auguſtinus.[n] Hieronymi verba ſunt *peccatorum atq; impiorum & tamẽ Chriſtianorum quorum opera in igne probanda ſunt, moderatam arbitramur, & mixtam clementiæ ſententiam judicis.*[o] Quo & ille locus pertinet, ubi ab Origenis opinione

e *Hom.* 49. in *Geneſ.*

f *Tolet.* in l. ã. 6. *Annot.* 20. *Maldon.* in *Ioan* 6. *Perer.* in *Rom.* 8. *diſput.* 21. 23.

g *Hom.* 39. in 1. *Cor.* p. 435. b. & *ſerm.* 7. in *Geneſ.* T. 2. p. 765. 766. & 76 . a. d. 768. c.

h *Hom.* 62. in *Ioan.* & *hom.* 21. in *Act.* p. 202. c 203. & *hom.* 3. in *Philip.* p. 12. b. d. 13 a.

i *Enchirid. ad Laurẽt.* c. 110.

k *Orat. de iis qui cum fide deceſſerunt*

l *Vide Prudentius hymno de Novo lumin. Sabbath. Paſchal.*

m *In* 4. *cap. Amos* 1. 6. c. 40 A.

n *Enchirid. ad Laur.* c. 67. *Vide & Q. ad Dul.* q. 1. & *lib.* 21. *de Civ.* [illegible]. 18. & *ſeqq.*

o *Comm. in Iſai. lib. ult.* [illegible]

nione ſuam ſic diſtinguit, ut ipſe *Diabolum* quidem *& omnes impios & prævaricatores perire perpetuò. Chriſtianos vero (ſi in peccato præventi fuerint) ſalvandos eſſe poſt pœnas* dicat.[p] Sed neque video qui probari vel purgari, aut excuſari poſſit quod idem alibi Hieronymus adeo fidenter de Dei providentia diſſerit, curare quidem ipſam omnes & ſingulos homines, relinqua verò, ſiue inanimata, ſiue ratione carentia, non item.[q] *Abſurdum eſt* (inquit) *ad hoc Dei deducere Majeſtatem ut ſciat per momēta ſingula quot naſcantur culices, quotve moriantur, quot cimicum & pulicum & muſcarum ſit in terra multitudo, quanti piſces in aqua natent, & qui de minoribus majorum prædæ cedere debeant. Non ſimus tam fatui adulatores Dei, ut, dum potentiam ejus ad ima detrahimus, in nos ipſos injurioſi ſimus, eandem rationabilium quàm irrationabilium providentiam eſſe dicentes.* An hæc ſententia ſtare poſſit equidem in præſentiarum non diſputo, ſed tamen hoc dico, ægerrimè poſſe ex hoc Ieſu Chriſti pronuntiato probari.[r] *Nonne duo paſſerculi aſſario væneunt? & unus ex eis non cadet in terram ſine Patre veſtro.* Verùm ut poſſit iſta ſententia, vel defendi, vel certè excuſari, negari tamen non poteſt quin Hieronymus modum exceſſerit, cum tanquam fatuos & ridiculos eos ſugillat, qui malunt infinitam Dei ſcientiam adorare, quàm eam veluti finitam circumſcribere. Si quid iudico multo minùs eſt in hoc ab abſurditate & ineptia, quàm in illo q[illegible]e ſequitur, a temeritate periculi. Ille ipſe qui hic [illegible]ntiam & providentiam Dei circumſcribit, alibi ſanctorum animarum poſt diſceſſum ſuum præſentiam in infinitum extendit, adeo ut eas nullis ſpatiis, nullóque loco circumſcribi, vel contineri velit, ídque propter rationem ſanè mirandam.[s] *Sequuntur Agnum quocunque vadit. Si Agnus ubique, ergo & hi qui cum Agno ſunt ubique eſſe credendi ſunt.* Nulla eſt tam ſegnis ſoluta[illegible] Dialectica quæ ferat hominem ita argumentantem, & Chriſti Divinitatem cum ejuſdem humanitate confundentem, & ex iis quæ de hac dicun-

p L. 1. contr. Pel. T. 2. p. 97.

q Hier. Com. in Abac. T. 5. p. 925. B.

r Matt. 10. 29.

s Hier. cont. Vig. T. 2. p. 161. a.

tur, quæ illius ſunt propria, concludentem. Alibi ut omnes cujuſdam allegoriæ partes ad propoſitum ſuum accommodet, ſpiritus iuſtorum conſummatorum. Angeloſque adeo ipſos peccato obnoxios facit.[t] Mitto quæ paſſim probra iactat aduerſus conjugium in genere, & ſecundas nuptias in ſpecie, quæ tam ſunt acerba ut, vel adhibitis omnibus lenimentis atque malacticis, quæ ipſe ad hunc uſum in Epiſtola ad Pammachium ſuggeſſit, vix videantur poſſe à Tertulliani ſenſibus vindicari, quos Eccleſia, tanquam in nuptiarum honeſtatem contumelioſos, & Scripturarum auctoritati aduerſos, damnauit. Exempli gratia, quo melle, quove ſaccharo condiri poſſunt quæ ille ad Furiam ſcribit. [u] *Non tam laudandam, ſi vidua perſeveret, quam execrandam* (ſi alteras nuptias ineat) *& ſi Chriſtiana non ſervet quod per tanta ſecula gentiles fœminæ cuſtodierunt.* Quæ repetit iiſdem verbis epiſtola ſequente ad Ageruchiam,[x] ut eam ad idem propoſitum hortetur, adhibitis etiam quibuſdam imaginibus non admodum honeſtis, adeo ut in eas quæ nuptias repetunt intorquere non vereatur illud à Petro Apoſtolo longè alia mente uſurpatum prouerbium. [y] *Canis revertens ad vomitum, & ſus lota ad volutabrum luti.* Nonne hoc eſt ſecundas nuptias rebus turpibus & fœdis accenſere? Ejuſmodi ſunt quæ alibi habet.[z] *Non damno digamos, imo nec trigamos, & ſi dici poteſt octogamos: plus aliquid inferam, etiam ſcortatorem recipio pœnitentem.* Itaque digamos eodem loco habet quo ſcortatores qui in luſtris verſantur. Paſſim id genus ſermonibus ſcatet, quibus condiendis ne uniuerſæ quidem in Canariæ ſatis ſint. Niſi putaſſet aliquid impuri ſubeſſe in nuptiis, non iam cunctabundus & reſtitans (quod facit[a]) ſed ultro & alacriter pronunciaſſet, Adamum & Evam etiamſi non peccaſſent conjugio tamen ſuo uſuros fuiſſe, de quo nemo dubitabit qui ſecundum Geneſeos caput à v. 18. uſque ad finem attentè expenderit. Id tamen definire non eſt auſus Hieronymus, veritus nequid impuri primæve hominum integritati, affricaret ſi ullum nuptiarum

t Id. ep. 164. ad Pamm. T. 3. p. 230. b. *Nulli periculoſum, nulli videatur eſſe blaſphemiam quod & in Apoſtolos invidiæ venenum diximus potuiſſe ſubripere, cùm etiam de Angelis hoc dictum putamus, &c.*
u Id. ep. 10. ad Furiam. T. 1. p. 89. D. & 101. C.
x Id. ep. 11. ad Ageru. h. T. 1. c. 101. *Hæc breui ſermone perſtrinxi ut oſtendam adoleſcentulã meã non præſtare monogamiam generi ſuo, ſed reddere; nec tam laudandã eſſe ſi tribuat quã omnibus execrandã ſi negare tentaverit.*
y Ib. p. 90. C.
z Id. l. 1. adu. Iovin. p. 4. A. Tom. 2.
a Id. l. 1. adu. Iov. T. 2. p. 51. *Quod ſi obiicceris antequã peccaret ſexũ viri & feminæ fuiſſe diviſum &*

rum uſum tum futurum fuiſſe concederet. Neque ſanè fœliciùs eloquitur quæ planè eodem modo ſentit de carnium uſu, qui cùm ante diluvium nullus fuiſſet, poſtea mortalibus conceſſus eſt, eadem (ut quidem ille ſtatuit) ratione qua Iudæis divortium (ſcilicet propter duritiam cordis ipſorum) conceſſum poſtea fuiſſe legimus: unde ſequitur (quod ipſum neque obſcurè ſignificauit) carnium eſum à Chriſto non minus quàm divortium, & circumciſionem ſublatum fuiſſe. [b] *Quod autem nobis objicit* (Iovinianus,inquit) *in ſecunda Dei benedictione comedendarum carnium licentiam datam, quæ in prima conceſſa non fuerat,ſciat quomodo repudiũ,juxta eloquium Salvatoris,ab initio non dabatur,ſed propter duritiam cordis noſtri,per Moyſem humano generi conceſſum eſt,ſic & eſum carnium uſque ad diluvium ignotum fuiſſe,poſt diluvium verò quaſi in eremo murmuranti populo coturnices, ita dentibus noſtris nervos & virulentias carnis ingeſtas.* Enimvero diuortium eſt quid in ſeipſo malum, quod viri & fœminæ creationi, & primigeniæ nuptiarum in paradiſo inſtitutioni repugnat, ut Diuinè Dominus in diſputatione, quam de hoc argumento cum Iudæis habuit,docet. Si ergo ejus generis eſt carnium uſus, in ſeipſo malum & prohibitum quis non videt? Vix durius quid à Marcione & Manichæis dici potuit. Alicubi videtur exiſtimare *Evangelicam veritatem non recipere juramentum*; [c] quòd quidem dogma euidenter cum Scriptura & ratione pugnat. Difficile eſt etiam eum ab errore de ſacramentorum efficacia, cujus ſupra nonnulla veſtigia in Cypriano animaduertimus, excuſare: hæc enim ſunt ejus verba. [d] *Sacerdotes qui Euchariſtiæ ſerviunt & ſanguinem Domini populis ejus dividũt, impiè agunt in legem Chriſti,putantes Euchariſtiam imprecantis facere verba,non vitam,& neceſſariam eſſe tantum ſolennem orationem,& non ſacerdotum merita.* De ſtatu fidelium poſt reſurrectionem non niſi cunctanter dicit, non ore rotundo, eorum vitæ ſuſtentandæ cibos neceſſarios non futuros. [e] *Ergo inquies.* (hæc ejus verba ſunt) *& nos poſt re-*

abſq; peccato eos potuiſſe coniũgi, quid futurum fuerit incertum eſt.

[b] Hier. lib. 1. adverſ. Iov. T. 2. p. 41. C. D.

[c] Hieron. Comm. 1. in Matth. T. 6. p. 15. A. B. Hoc quaſi parvulis Iudæis fuerat lege conceſſũ ut quomodo victimas immolabant Deo, ne eas Idolis immolarent, ſic & iurare permitterentur in Deum non. quod rectè hoc facerent: ſed quod melius eſſet Deo id exhibere quam dæmonibus, Evangelica autem veritas non recipit iuramentum.

[d] Idem Com. in Sophon. T. 5. p. 489. B.

[e] Id ep. 61 ad Pamm. T. 2. p. 252. D.

ſurrectionem comeſuri ſumus? Neſcio. Non enim ſcriptum eſt, & tamen ſi quæritur non puto comeſuros. In genere an iure probari & cum Domini Ieſu diſciplina conſentanea cenſeri poſſit Auctoris iſtius in diſputando frequens methodus equidem neſcio. Trahit enim quo iure quaque iniuria adverſariorum ſuorum ſententias longiſſime ultra ipſorum mentem, iiſque ſenſus alieniſſimos, & qui in eorum verbis nulli ſunt affingit, deinde infeſtis armis atque animis eos aggreditur, adhibitis conviciis, dictis aculeatis, multiſque ex eruditione ſeculari, in qua excellebat; petitis figuratis morſibus. [f] Auguſtinus cum illo diſputans docebat ſacras Iudæorum cærimonias, etſi Chriſti adventu ſublatas, potuiſſe nihilominus Chriſtianiſmi initio ad tempus cuſtodiri, ab iis qui eas a Parentibus acceperant, etiam cum in Chriſtum credidiſſent, ea lege ut in iis non conſtituerent ſpem ſalutis, quoniam per Dominum Ieſum ſalus ipſa quæ ipſis cærimoniis & ſacramentis ſignificabatur advenerat. Quæ ſane doctrina ſancta eſt & convenit cum iis quæ docet Paulus priore ad Corinthios & alibi de libertate Chriſtiana, per quam poſſumus aut debemus rebus, quæ per ſe ſunt adiaphoræ, uti vel abſtinere, prout proximorum noſtrorum ædificatio poſtulat. Hæc ita accipit Hieronymus [g] quaſi ſentiret Auguſtinus eos qui ex Iudæis crederent legi eſſe ſubjectos; ſolos Gentiles fide in Chriſtum legis onere liberos fieri. Hinc arrepta occaſione ſarcaſtice & ſalſè quantum poteſt ei illudit. *Hoc ſi placet*, inquit, *imo quia placet, ut quicunque credunt ex Iudæis, debitores ſint legis faciendæ, tu, ut Epiſcopus in toto orbe notiſſimus, debes hanc promulgare ſententiam & in aſſenſum tuum omnes Epiſcopos trahere.* Sed illi cum viro res erat, cui facile fuit verba ſua ab iniqua, quæ ipſis affingebatur, explicatione vindicare & in os adverſarii perperam ſibi impacta regerere, ut cuivis notum eſſe poteſt ex præſtanti & divina reſponſione quam iis omnibus oppoſuit quæ ille in Epiſtola ſua ſcripſerat. Cum Ruffino res longè aliter ceſſit: Tum enim

[f] Aug. ep. ad Hieron. quæ eſt 17. inter ep. Hier. T. 2. p. 518. C. & ſequ.

[g] Hieron. ep. 89. ad Aug. T. 2. p. 525. C.

enim Hieronymus cum homine futili pugnabat, & palo vulnera infligebat, cuius & cauſſa ipſa fortaſſe deterior, induſtria quidem certè ad ſui defenſionem nulla erat. Hieronymus poſtquam miſerum hominem à capite ad calcem liberaliter defricuit, & quibus potuit aculeis compunxit ac transfixit, poſtremò affirmat libro primo extremo, ſe Deum reveritum ab ultione abſtinere neque æſtuanti pectori verba commodare, & cum Pſalmiſta, ponere cuſtodiam ori ſuo.[h] Alibi fusè[i] ipſum monet in ſuperflua criminum objectione non eſſe verſandum, hæc non carthas Eccleſiaſticas, ſed judicum libellos debere continere. Cæterum quos ita depectebat nihil admodum habebant quod de eo quererentur, qui, ut erat ingenuus, clarè eos præmonuerat, ſe cornu ferire, ac proinde cavendum.[k] *Hoc unum denuntio* (inquit) & *repetens iterum, iterumque monebo, cornutam beſtiā petis.* Erit tamen fortaſſe cui mirum videbitur iſta cornua tot vigiliis, tot ieiuniis lachrymíſque Bethleemiticis, & eremi Saracenicæ macerationibus non potuiſſe retundi. Ad quod quidem quid reſpondeam nihil habeo, niſi Deum arcano & ſapientiſſimo judicio ſiviſſe ſanctos iſtos viros, licet charitate, patientia, animíque lenitate inſtructiſſimos, affectibus iſtis nonnunquam abripi, ut vel hinc pateret vnum Deum perfectæ ſanctitatis arcem tenere: hominibus verò, quantacunque virtute excellere cenſeantur, adhærere ſemper infirmitatis humanæ reliquias. Vtcunque ſit, iſta diſputandi ratio qua Hieronymus in Augustinum utitur facit ut metuam, ne in cæteros productis longius quàm par fuit eorum verbis, nonnunquam iniquior fuerit. Verum hæc ferri fortaſſe poſſunt: illud non poſſumus concoquere, quod ipſos Veteris & Novi Teſtamenti Scriptores parum reverenter interdum excipit, ut cùm diſertè nulla circuitione uſus,[l] eam fuiſſe negat Athenienſis altaris inſcriptionem quam dicit apud Lucam Paulus Act. 17. *Inſcripto autem ara,* (inquit, *non ita erat ut Paulus aſſeruit,*

h *Hier. l. 1. contr. Ruff. T. 2. p. 311. C. D. Sentiſne quid taceam, quod æſtuanti pectori verba nō cōmodem, & ut cū Pſalmiſta loquar, pone Domine cuſtodiam ori meo.*

i Ibid. *in Apol. cont. Ruff. T. 2. p. 373. D. Qua omiſſa cauſa in ſuperflua criminum obiectione verſatus eſt, que non chartæ Eccleſiaſticæ ſed libelli debent iudicum continere.*

k *Id. Apol. 1. contr. Ruff. T. 2. p. 311. B.*

l *Hier. Cōm. in ep. ad Tit. T. 6. p. 450. D.*

Ignoto Deo;ſed ita; Deis Europæ Aſiæ & Africæ,Deis ignotis & peregrinis. Item,ſæpius inculcat [m], *Paulum Hebræum ex Hebræis,profundos ſenſus aliena lingua exprimere nõ valere,ſolæciſmos in verbis facere, non poſſe hyperbaton reddere, ſententiámque concludere.* Et alibi. *Eum non juxta humilitatem, vt plerique exiſtimant,ſed verè dixiſſe,ſe imperitum ſermone,cùm profundos ſenſus Græco ſermone non explicaret, & quod cogitabat in verba vix promeret,& in alienas aures puro non poſſet transferre ſermone.* Et(quod maximè intolerandum eſt) [n] *S. Apoſtolum diſputantem cum Galatis,quos ſtultos dixerat paulo ante,factũ ſtultum nec ad eos uſum argumentis quibus ad Romanos,ſed ſimplicioribus & quæ ſtulti poſſent intelligere & penè de trivio, adeo ut ni præmiſiſſet, ſecundum hominem dico, ſapientibus diſplicere potuiſſent.* Quiſquis vel primioribus labiis S. Apoſtoli cum ingenij tum ſermonis vim,robur & candorem guſtarit, non ſine ſumma animi moleſtia eum ſic exagitari feret,maximè ſi apud ſe reputet,iſta omnia,etiamſi ratione non carerent (quæ tamen nulla eſt) imperitis ſcandalo eſſe,ac proinde temere non eſſe effutienda, nec ſine ſumma cautione in medium proferenda.

m *Hier.* Com. 3.in epiſt ad Gal.p.318.E. T.6. & Com. 1.in Ep ad Epheſ.T.6.p. 384. & Com. in Epiſt ad Tit.T.6. pag 440.E.& Ep. 85. ad *Agaſ.* q.10.T 3 167. B.

n *Id.* Comm. in ep.ad Gal. T.6.p.305. A. & paulo ante p.304. A.

Auguſtini, fateor, longè major eſt moderatio. Ubique enim, ut par eſt,ſummam erga Divinarum Scripturarum auctores teſtatur reverentiam, neque unquam de eorum vel ſtilo, vel ſenſu niſi cum ſingulari admiratione loquitur.Sed in iis quæ vel à ſe,vel ab aliis habuit,ſuos paſſum eſſe manes nemo iure inficiabitur. Ejuſmodi eſt quod adverſus pueros ante Baptiſmum morientes, adeo immiſericorditer pronunciat, non ſolùm viſione Dei privandos, quæ ſententia vulgo nunc obtinet,ſed etiam inferorum igne in æternum cruciandos,[o] quæ fuit etiam ſententia Gregorij Ariminenſis [p] doctoris Scholaſtici non ignobilis qui ob id *parvulorum tormentum* dictus eſt, nimirum propter hujus ſententiæ diritatem. Statuit etiam Auguſtinus Euchariſtiam pueris neceſſariam, ut ad aliud argumentum ſupra annotavimus. Huic ſubjicienda

o *Aug.ep.*18. ſerm.14. de verbis Apoſt. c.3.

p *Gregorij Ariminenſ.* in 2. ſent. diſt. 33. q.3.

cienda eſt alia opinio in quam evidenter propendet, animam eſſe ex traduce, & de patre in filium tranſire, & ex eius ſubſtantia non minùs quàm corpus progigni, minimè verò à Deo immediatè creari & immitti, [q] quæ hodie noſtra omnium fides eſt. Nemo neſcit ipſum paſſim Angelis naturam corpoream tribuere: [r] temerè item affirmare vniverſum orbem momento creatum, & ſex dierum intervalla, in creatione ad varios gradus cognitionis Angelicæ referre. [s] Cenſuit item, cum veterum pleriſque, *Tempus quod inter hominis mortem & vltimum reſurrectionem interpoſitum eſt animas abditis receptaculis continere.* [t] Sed & cum iiſdem omnino videtur ſentire ſupremo olim die, [u] omnium etiam ſanctiſſimorum hominum corpora, poſt reſurrectionem, igne luſtratum iri. [v] Quid quod dubitat an Sydera ratione & intellectu prædita ſint, & ad Eccleſiæ corpus pertineant. *Sed nec illud quidem*, inquit, [x] *certum habeo utrum ad eandem Eccleſiæ ſocietatem pertineant Sol & Luna & cuncta ſidera; quamvis nonnullis lucida corpora eſſe, non cum ſenſu & intelligentia videantur.* Alibi incerto itē relinquit [y] utrum poſſit anima, vel hominis ſimpliciter, vel etiam iuſti, cùm ex hac vita migraverit, magicis carminibus evocata vivorum apparere conſpectibus, etiam corporis lineamenta geſtans. Neque item definire audet alibi [z] qualiter liberos ſuſcepturi fuiſſent primi parentes, ſi non peccaſſent, conjugalione amplexu, an alio aliquo modo. Alibi item relinquit, in medio mundúſne animal ſit, an ſecus? † Sed huius quidem generis infinita ſunt in Auguſtini diſputationibus, in quibus ille, pro innata modeſtia, timidiùs & cunctantiùs agit, de rebus, vel claris, vel nullius momenti, dubitans, & nodos, ut videtur, interdum etiam in ſcirpis quærens, ægrè quicquam definiens & Academicorum more in pleriſque fluctuans. Illud ſanè mirificum eſt quod vir, alioqui cautus & à temeritate alienus, diſertiſſimè affirmat * LXX. interpretes Prophetas fuiſſe, & à Spiritu ſancto

[q] Aug. T. 2. ep. 28 tot. mex F. 28. M. T. 3. de Geneſ. ad litt. l. 10. c. 11. T. 7. c. 2. de an. & eius origine c. 14.
[r] Id. T. 1. l. 1. cont. Acad. c. 7. vide infra ad finem huius capitis.
[s] Id. T. 3 l. Imper. de Geneſ. ad liter. c. 7. & l. 4. de Geneſ. ad liter. c. 31. 33. 34. & lib. 5. c 11.
[t] Id. T. 3. Enchir. ad Laur. cap. 109. vide & T. 4. de cura pro mortuis c. 2. & l. 2 de Civit. Dei cap. 12 T. 9. Tract. 49. in Ioan. fol. 74.
[u] Lib. 20. de Civit. D. c. 25. 26. & a iis locis infra citandis.
[x] Enchirid. ad Laur. c. 5. 51. & de Geneſ. ad litt. l. 2. c. 18.
[y] L. 3. quaeſt. ad ſimpl. q. 3.
[z] De bono coniug. Com. in I. b. c. 2.
† Lib. 1. Retract. c. 11.
* Lib. de Civ. D. 18. c. 43.

immediatè afflatos in Scripturis vertendis; ita vt quæcunque apud hos aliter ſunt quàm in Hebræis fontibus, ea non ab interpretum errore, ſed à Dei ipſius numine ac voluntate eſſe velit; in quam ille opinionem eo inductus eſt, quòd vulgari, & ab Hieronymo acriter caſtigatæ & irriſæ, de ſuptuaginta diverſis iſtorum interpretum cellulis fabulæ, nimium credulus fuit. † Sed hunc quidem nihil opus eſt longis ſermonibus probare in rebus ad religionem pertinentibus errare potuiſſe, qui id vltro ipſe luculentiſſimo Retractationum Opere confeſſus eſt, quo varia quæ pridem præter, vel contra veritatem ſcripſerat, ſtili ipſe ſui mucrone confodit. Non poſſum tamen diſſimulare ipſum ad ingentem illam & ea præclariſſimam exiſtimationem quam immortalibus ingenij ſui monumentis ſibi meritò comparavit, multum adjecturum fuiſſe, ſi in rebus conſtituendis & decidendis firmior & conſtantior fuiſſet.

† Ibid. c. 42.

Quiſquis attentè in reliquorum Patrum lectione verſabitur facilè in eorum ſcriptis varios ejuſmodi errores obſervabit, adeo ut vix ullum reperire ſit, cujus ſit aliquod nomen, cui ſimile quid non exciderit. Nos verò qui hæc inviti expoſuimus plurimus libenter ſuperſedemus. Quæ enim attulimus ad inſtitutum noſtrum ſatis eſſe videntur; & in ea ipſa explicare ſola nos publicæ vtilitatis neceſſitas coegit, quæ alioqui latere maluiſſemus. Cùm enim hi ipſi Patrum facilè principes, ſuóque merito jam inde ab antiquiſſimis temporibus tota Eccleſia celeberrimi, tam multipliciter in rebus ad fidem pertinentibus hallucinati ſint, quid eſt, quæſo, à cæteris expectandum, quorum longè minor eſt vel ſanctitas, vel eruditio, vel fama? Cum Iuſtini & Irenæi, Clementes & Tertulliani, Cypriani & Lactantij, Baſilij & Nazianzeni, Hilarij & Ambroſij, Nyſſeni & Chryſoſtomi, Hieronymi & Auguſtini, & Epiphanij, id eſt, acerrima & præſtantiſſima totius orbis ingenia, in quibuſdam impegerint, in aliis verò penitus

lapſi

lapſi ſint, quid de Leonibus, Gregoriis Romanis, & Damaſcenis exiſtimandum eſt, qui iſtis, vt ævo, ita & ingenio ac ſanctitate cedunt? Tum ſi ſancti iſti viri in rebus tanti momenti hallucinati ſunt, hic de natura Dei, ille de humanitate Chriſti, alter de animarum noſtrarum natura, alij de earum conditione, vel de reſurrectione, cur in capitibus de quibus diſceptamus hodie falli eoſdem potuiſſe negabimus? Quod in illis tam manifeſtè ipſis accidit, cur & in his accidere non potuit? Parum veriſimile eſt vt ſupra monuimus, controverſias noſtras vnquam ipſis in mentem veniſſe. Minùs item veriſimile eſt, de iis pronunciare ipſis vnquam propoſitum fuiſſe, vt haud ita pridem probavimus. Sed finge eos & habuiſſe perſpecta capita quæ hodie controvertuntur, & in iis explicandis operam poſuiſſe, ſententiámque de his ſuam litteris mandaſſe, cur eos in his fœliciùs eſſe verſatos opinabimur, quàm in aliis tam multis de quibus eos præter verum pronuntiaſſe demonſtravimus? Nulla ratio eſt cur qui in capite de reſurrectione erravit, idem de animæ poſt hanc vitam ſtatu errare non potuerit. Cui ignota fuit natura corporis Chriſti, is profectò quid ſit Chriſti Euchariſtia ignorare æquè potuit. Nulla certa apparet ratio cur aliquod inter iſta diſcrimen fuiſſe ſtatuamus, fit quidem nonnunquam vt quis in argumento quopiam labatur qui ſtet fœliciter in alio; Nimirum id ita accidit cùm vel in uno bono accuratiùs & attentiùs quàm in altero verſatur, vel cùm res ipſa, hæc illa facilior & expeditior eſt; tum enim licèt eandem attentionem in vtroque argumento adhibeas, fieri poterit, vt quod facile eſt, & expeditum, id aſſequaris; quod vero difficile eſt & impeditum, id minime aſſequaris. Sed harum rationum neutra hic locum habet. Cur enim Patres in quibus errarunt in iis excutiendis minùs attentionis & diligentiæ adhibuiſſent? Cur in iis de quibus hodie ſunt noſtræ controverſiæ diligentiùs & accuratiùs verſati fuiſſent? Vtraque ſunt paris in

religione, momenti. Quid enim? Papæne auctoritatem putas periculoſius neſciri, quam Dei naturam? animarum in purgatorio pœnas, quàm fidelium in reſurrectione ſtatum? Euchariſtiæ ſubſtantiam, quam veras corporis Chriſti proprietates? noſtræ cum Chriſto communionis ſacramentum, quàm ipſum paſſionis Dominicæ calicem? An pluris eſt ad ſalutem ſcire Chriſtum in altari verè offerri, quàm verè in cruce paſſum? Quis non videt hæc capita vel paris eſſe ad religionem utraque momenti, vel ſi quid eſt diſcriminis, omnino pluris eſſe illa in quibus lapſi ſunt Patres, quàm hæc de quibus hodie litigamus? Ergo concluſum eſto Patres, ſi utraque ob oculos habuerunt, eandem in utriſque expendendis curam ac diligentiam adhibuiſſe; paritérq; adeo in utriſque & falli & verum aſſequi potuiſſe. Neque verò eſt quod quis cauſetur, illa in quibus falſi ſunt, iis difficiliora eſſe quæ verè judicaſſe putantur. Qui enim attentè rem ipſam expenderit, reperiet parem eſſe utrorumque vel facilitatem vel difficultatem; &, ſi qua fuerit inæqualitas, omnino etiam faciliora ea fuiſſe in quibus aberrarunt Patres. Quæſo enim nonne tam facile eſt ex ratione & Scriptura conſtituere num in terris poſt reſurrectionem manſuri ſint fideles, quàm definire an iidem poſt obitum ſint in purgatorium profecturi: Difficiliúſque eſt cognoſcere num in Angelos obſcœnus amor cadere poſſit, quàm explorare an Papa, etiam qua Papa eſt, errori ſit obnoxius? Si quis autem hic objiciat Eccleſiam cùm de his capitibus judicavit, de aliis verò nihil ſtatuit, quas ex illis difficultates amovit, eas in his reliquiſſe; reſpondeo idipſum hic ſupponi quod in quæſtione verſatur, quódque liquido falſum eſt. Priorum enim ſeculorum Eccleſia nihil vnquam publicè & authenticè (quod quidem ſciamus) de capitibus hodie controverſis pronuntiauit, ut ſupra docuimus. Cùm ergo ſancti viri (ſi adeo harum cauſarum ulla ipſis vnquam in mentem venit) parem rerum vel facilitatem

vel difficultatem in utraque parte nacti ſint, adhæc cùm parem animi contentionem ad utrumque genus attulerint, neminem puto non agnoſcere ipſos, ſi in ferenda de prioribus ſententia falſi ſunt, potuiſſe eadem ratione in poſterioribus à vero etiam aberrare. Quæ autem ex iis nobis ſuperſunt monumenta exertiſſime clamant, (ut ex iis paucis quæ proximè ex ipſis retulimus colligere licuit) illos, & quidem nonnunquam graviter, circa capita illa priora erraviſſe. Supereſt ergo ut eorum iudicium circa poſteriora, de quibus nunc ſunt inter nos controverſiæ, falli quoque potuiſſe fateamur. Fingamus ergo in iis locis quæ à Romanis Theologis ex Hilario afferuntur realem Chriſti in Euchariſtia præſentiam verè haberi; fingamus Proteſtantes homines id agnoſcere atque confiteri (quod tu nulla fortaſſe ſubtilitate ab iis vnquam extorquebis) nihil admodum profeceris, ſi hoc ipſum, quod tu magnum putas, aſſecutus fueris: Reſpondebunt enim Proteſtantes hunc eundem Hilarium eodem opere ſtatuiſſe Chriſti corpus nullo doloris ſenſu in cruce affectum fuiſſe. Si in hoc capite aberravit, nihil neceſſe eſſe vt in altero ſcopum attigerit. Quæſtio de Chriſti corpore non minoris eſt momenti quàm quæ eſt de Euchariſtia, imo clariùs illa habetur in Scriptura, in eáque nihil occurrit, quod vel tantillum ea ſuadeat quæ de corpore Chriſti ſibi finxit Hilarius. Contra verò quædam in Scripturis leguntur quæ ei de Euchariſtia opinioni quæ Hilario tribuitur nonnihil favere, ſaltem in ſpeciem, videntur. Cùm ergo Hilarius in priori capite, quod & planius & paris momenti eſt, à vero manifeſtè aberraverit, quis in poſteriori, quod & obſcurius difficiliúſque eſt & multominus ad religionem neceſſarium, verum vidiſſe eum præſtabit? Idem reſpondere licet ad reliqua Patrum quæ objiciuntur teſtimonia, quorum nemo eſt quæ non ſuum aliquem de rebus ad religionem pertinentibus errorem vel erraverit, vel errare certè potuerit. Nec pu-

to quicquam eſſe quod legitimè poſſit huic reſponſioni opponi, cùm eam ipſa & Patrum, & partium, inter quas eſt controverſia, praxis liquidò confirmet. Auguſtinus enim in diſputatione cum Hieronymo, [a] cùm ſibi objicerentur ſex aut ſeptem auctores, non putavit anxiè diſquirendum quid illi ſenſiſſent, ſed ſimpliciter reſpondet, quoſdam eorum de Eccleſia propter hæreſin egreſſos, alios ab ipſo Hieronymo de errore fuiſſe reprehenſos. Quæ quidem reſponſio nihil valet niſi ſupponas nullum ejus, qui in aliquo fidei capite erraverit, teſtimonium, ad fidem firmandam valere. Nicæni II. Concilij Patres eandem method contra Iconoclaſtas adhibent, quibus Euſebij Cæſarienſis locum objectantibus, reſpondent Euſebium Arianum fuiſſe. [b] An vera ſit reſponſio & ad rem appoſitè allata, nil neceſſe eſt nunc excutere. Satis eſt quod iſti, dum ſic diſputant, apertiſſimè ſtatuunt, qui in aliquo de religione capite hallucinatus ſit, eum nullam in cæteris fidem mereri. Hoc ipſum ſolenne eſt Cardinali Perronio, aliiſque earundem partium Scriptoribus. Non enim aliter ſolvunt petitas ex Socrate vel ex Sozomeno Hiſtoricis Eccleſiaſticis objectiones quàm reſpondendo iſtos Scriptores Novatianos fuiſſe. Qui Concilia generalia Romæ edi curarunt Gelaſio Cyziceno [c], qui Acta Concilii Niceni ſcriptis mandavit, fidem ideo omnem abrogant, quòd hæc ejus hiſtoria variis laboret erroribus. Cum ergo ejus teſtimonio Scriptoris, cui error meritò poſſit impingi, nulla ſit ſententia certò ſuperſtruenda, plerorumque Patrum, vel penè omnium, patet nullam eſſe certam auctoritatem, quorum, ſcilicet, nullus eſt cui non poſſit idem quoque objici. Sed hic fortaſſe quiſpiam reſpondebit complurium Patrum aliam eſſe rationem, aliam ſingulorum, fatebitúrque ſingulos quidem errare poſſe, & ſatis ſæpe reipſa errare; negabit fieri poſſe ut vera non ſint quæ Patres, vel omnes, vel certè complures, magno conſenſu docuerint. Aliquid jam ad reſponſionem iſtam diximus, cùm Vin-

a *Auguſt. ep. ad Hier. inter ep. Hier. 47. T. 2. p. 552. & inter ep. Aug 19. T. 2 fol. 6. 2.*

b *Conc. VII. Act. 6. T. 3. Concil. General. p. 627. D.*

c *In præfat. præfixa Actis Concil. Niceni Gelaſ. Cyzic. in edit. Rom. Conc. general. T. 1.*

Vincentij Lirinenſis de hoc argumento pronunciatum excuſſimus. Vt paucis expediam idem eſt ac ſi quis poſtquam conceſſit ſingulos Senatores poſſe ægrotare, negaret tamen Senatum univerſum communi & quaſi epidemico morbo poſſe laborare. Credibilius eſt, fateor, unum quàm multos ægrotare; quia hoc quàm illud rarius accidit. Sed fieri tamen poteſt & fit nonnunquam ut multi eodem morbo laborent, præſertim ſi morbus ſit epidemicus, vel nondum probè cognitus; cujus generis plerique ſunt magnorum virorum errores. Ij enim ſub eorum nomine veluti ſub ingenti clypeo tuti latent, eóque faciliùs ab incautis & imprudentibus imbibuntur & contrahuntur. Sed ſi ratio hic quod res eſt non perſuadet; experientia ſaltem edocti ſapiamus. Certum eſt enim in quibuſdam ex iis erroribus quos ſupra memoravimus, verſatos fuiſſe, non unum, vel duos, vel tres tantùm Patres, ſed multos, ſed pleroſque, imo nonnunquam ejuſdem ſeculi univerſos, quorum nomina & Scripta ad nos uſque pervenerunt. Iuſtinum cum Chiliaſtis ſenſiſſe ſupra vidimus, quorum opinio non ſolum falſa, ſed & in conſectariis ſuis periculoſa ab omnibus vulgò judicatur. Non unus autem ſic ſenſit; plerique omnes illius ſeculi doctores in eadem erant ſententia, ut ex ejus verbis conſtat. Sic enim Tryphonem & Iudæos ejus amicos compellat. [d] *Tametſi cum quibuſdam qui Chriſtiani dicuntur contuliſtis, & qui hoc ipſum non confitentur, ſed Deum Abrahæ, Deum Iſaaci, & Deum Iacobi blaſphemare audent, & qui non eſſe mortuorum reſurrectionem, verum ſtatim à morte animas ipſorũ aſſumi in cœlum dicunt, ne habeatis eos pro Chriſtianis, perinde ac rem ut par eſt æſtimanti Iudæi non ſunt Sadducæi & ſimiles ſectæ.* Per pſeudo chriſtianos Valentinianos, & alios Gnoſticos intelligit. Deinde ſic pergit. [e] *Ego verò & qui rectè ſentiunt per omnia Chriſtiani, & reſurrectionem carnis futuram ſcimus, & mille annos in urbe Hieroſolyma inſtaurata exornata & dilatata agendos.* His verbis omnes ſuo tempore catholicos

d Iuſt. contr. Tryph. p. 306. D. εἰ γὰρ καὶ συνεβάλετε ὑμεῖς τισι λεγομένοις Χριστιανοῖς, καὶ τοῦτο μὴ ὁμολογοῦσιν, ἀλλὰ καὶ βλασφημεῖν τολμῶσι τὸν Θεὸν Ἀβραὰμ, καὶ τὸν Θεὸν Ἰσαὰκ, καὶ τὸν Θεὸν Ἰακὼβ, οἳ καὶ λέγουσι μὴ εἶναι νεκρῶν ἀνάστασιν, ἀλλ' ἅμα τῷ ἀποθνήσκειν τὰς ψυχὰς αὐτῶν ἀναλαμβάνεσθαι εἰς τὸν οὐρανὸν, μὴ ὑπολάβητε αὐτοὺς Χριστιανοὺς, &c.

e Id. Ibid. p. 307. B. ἐγὼ δὲ καὶ εἴ τινές εἰσιν ὀρθογνώμονες κατὰ πάντα Χριστιανοὶ, καὶ σαρκὸς ἀνάστασιν γενήσεσθαι ἐπιστάμεθα, καὶ χίλια ἔτη ἐν Ἱερουσαλὴμ οἰκοδομηθείσῃ, καὶ κοσμηθείσῃ, καὶ πλατυνθείσῃ, &c.

in eo errore verſatos, ſolóſque hæreticos ab eo alienos fuiſſe teſtatur Scio ipſum ſupra dixiſſe [f], *multos eſſe qui ſunt in pia & pura Chriſtianorum ſententia qui hoc non agnoſcunt*. Verum hæc adeo diſcrepantia conciliet qui poteſt. *Omnes qui recta ſentiunt, ſunt in ea opinione*, &c, *multi qui recta ſentiunt ſunt ab ea opinione alieni*. Inquirat etiam, cui vacabit, an nullum ſit in Iuſtini codicibus mendum. Fieri enim poteſt ut corruptus ſit locus ab hominibus poſtremorum temporum mirantibus & indignantibus illam de mille annis ſententiam) quæ jampridem apud omnes Chriſtianos pro hæreſi habetur) fuiſſe à tanto martyre omnibus omnino orthodoxis attributam. Vt ut ſit, ſatis eſt, quod caput rei eſt, ex hoc loco conſtare pleroſque illorum temporum cùm Doctores, tum fideles in eo errore fuiſſe. Irenæum qui eo ſeculo vixit, & Tertullianum qui proximè eum ſecutus eſt, in ea ſententia fuiſſe notum eſt, nullo, quod quidem ſciamus eum contradicente. Papiam Hierapolitanum qui A. D. decimo & centeſimo florebit eius erroris parentem fuiſſe Euſebius [g] & Hieronymus [h] aliiſque auctores docent. Sequitur ergo omnium, qui nobis ex eodem ſeculo ſuperſunt, Patrum in eadem ſententia conſenſum non eſſe neceſſarium veritatis argumentum. Quòd ſi ad ſecula inferiora deſcendas, reperies eundem errorem à variis magni in Eccleſia nominis Doctoribus diu retentum fuiſſe. Hieronymus qui hoc delirium paſſim in ſuis commentariis ſtrenuè oppugnat ac refellit, id tamen ſcribit à multis receptum fuiſſe, [i] & ad ſuperiores, quos iam nominavimus Lactantium addit, & Victorinum, Severum & Apollinarium, *quem*, inquit alibi, *noſtrorum, in hac parte duntaxat, plurima ſequitur multitudo, ut præſaga mente iam cernam quantorum in me rabies concitanda ſit*, quia ſcilicet eam ſententiam identidem refutat. Vnde patet Hieronymi tempore, id eſt quinto ſeculo ineunte illam ſententiam paſſim in Eccleſia obtinuiſſe. Certè Ambroſius [l] ab ea non videtur abhorruiſſe qui non

[f] Id. ibid. pag. 306. c. πολλοὺς δὲ αὖ καὶ τῶν τῆς καθαρᾶς καὶ εὐσεβοῦς ὄντων χριστιανῶν γνώμης, τοῦτο μὴ γνωρίζειν ἐσήμανά σοι.

[g] Euſeb. hiſt. Eccl. l. 3. c. 39. f. 31. B. ecd. Græci.

[h] Hieron. lib. de Script. Eccleſ. in Papia. T. 1. f. 356. D.

[i] Hieron. Com. 2. in Ezech. T. 4. p. 494. ext.

[k] Id Com. 18. in Eſa. in Præfat. T. 4. p. 465. C

[l] Lib. de fid. reſurrect. T. 5. p. 383. C. vide & lib. de bono mortis, c. 10. & Comm. in Pſ. I. extrem.

non obſcurè, quod antea diximus, ſtatuit diverſos fore reſurgentium gradus. Eam quidem Hieronymus, etſi pro ingenio & more ſuo, acerrimè neque ſemel inſectetur, penitus tamen damnare non eſt auſus. *Quæ licèt non ſequamur*, inquit,[m] *tamen damnare non poſſumus, quia multi Eccleſiaſticorum virorum & Martyres iſta dixerunt, & vnuſquiſque in ſuo ſenſu abundet, & Domini cuncta iudicia reſerventur.* Vnde patet (vt id obiter moneam) ſententiam de fide aliquam Patres non ſemper eodem quo nos gradu habuiſſe. Hieronymo enim tolerabilis error eſt qui hodie non ferendus cenſeretur. Si regeratur Eccleſiam ſequentium ſeculorum eum errorem damnaviſſe; quid hoc aliud eſt quàm agnoviſſe, ſenſiſſéque poſteriorem Eccleſiam, quod complurium Patrum conſenſus non ſit idoneum veritatis argumentum? Si aliter cenſuiſſet Dionyſius Alexandrinus, nunquam ille adverſus Irenæum de hoc capite ſcripſiſſet, quod ab eo factum teſtatur Hieronymus[n], in altero locorum proximè ex eius Commentariis citatorum. Quod ſi ſolius auctoritatis ratio habenda eſt, eam vim non habet Eccleſiæ poſterioris iudicium, quæ liquidò ac indubitatò doceat quid in hac quæſtione verum ſit. Sequentis enim Eccleſiæ præferre ſententiam nihil aliud eſt quàm auctoritatem auctoritati opponere, non autem nodum ſolvere. Vt non putarunt Dionyſius Alexandrinus, Hieronymus, Gregorius Nazianzenus & alij ſe Iuſtini, Irenæi, Lactantij, Victorini, Severi & cæterorum vetuſtiorum auctoritate teneri, ita neque nos ipſorum iudicio obligari par eſt. Neque enim iſtis poſteri maiorem debent reverentiam, quàm ipſi maioribus ſuis debuerant. Quinimo videntur ipſi maioribus ſuis plus deferre debuiſſe quàm nos ipſis debemus, quia quo magis à tempore Apoſtolorum receditur (qui fons eſt & origo totius Eccleſiaſticæ auctoritatis) eo magis decreſcit ac minuitur Doctorum Eccleſiaſticorum gratia & auctoritas. Si Antiquitas (vti dicebamus) veritatis nota eſt, nihil eſt

m *Hier.* Comm. 4 in *Hierem. T.* 4. p. 598. D.

n *Id.* Comm. 18. in *Eſa. in præfat. T.* 4. p. 465 C.

majori veneratione atque honore dignum quàm quod antiquiſſimum. Hæc inſtantia, ſi vel vna eſſet, ſatis tamen oſtenderet plurium Patrum conſenſum nullius eſſe ad fidem conſtituendum auctoritatis. At aliæ multæ ſuperſunt quarum nonnullas hic ſubjiciam. Iuſtinum, Irenæum, Tertullianum & Auguſtinum ſupra audivimus negantes cœlum ante diem judicij reſerandum; fidelium interim animas, paucis, peculiari quodam priuilegio, exceptis, in quadam ſubterranea cuſtodia omnes detinendas. Quæſtionum & reſponſionum quæ ſub Iuſtini nomine feruntur Auctor [o] in eadem eſt ſententia, vt patet ex reſponſionibus ad quæſtiones LX. & LXXIV. Ac ne tempus in deſcribendis auctorum locis fruſtra teramus, illud in genere aio, Veterum pleroſque hanc ſententiam, vel totam, vel certè eius partem ſecutos eſſe. Nam præter Iuſtinum, Irenæum, Tertullianum, Auguſtinum & antiquiſſimum Quæſtionum Iuſtino falsò affictarum Scriptorem, patet Origenem, Lactantium, Victorinum, Ambroſium, Ioannem Chryſoſtomum, Theodoretum, Oecumenium, Aretam, Prudentium, Theophylactum, Bernardum, & inter Papas Clementem Romanum & Ioannem XXII. in ea opinione verſatos fuiſſe. Id teſtatur diſertè Sixtus Senenſis, [p] & Stapletonus. [q] Et ſuperioribus addere poterant Nouatianum, [r] Hilarium, [s] Hieronymum, [t] Paulinum Nolæ Epiſcopum, [u] Claudianum Mamerti Viennenſis Epiſcopi fratrem, [x] & Moſem Bar-cepha Syrum [y] quorum quæ in margine annotavimus loca eandem de animæ ad reſurrectionem ſtatu ſententiam præ ſe ferunt. Quin & mirandus ille ac penè vniuerſalis in hoc errore conſenſus, nullo per annos 1400. contrario Eccleſiæ decreto pulſatus vnquam legitur. Imò ne vllum quidem Patrem apparet in hoc errore confutando operam potuiſſe. Dionyſius Alexandrinus & Hieronymus adverſus Chiliaſtarum errorem ſcripſerunt; De hoc vel planè ſilva-

o *L. Quæſt. & reſp. ad orthod. q. 60. & 74.*

p *L. 6. Bibl. ann. t. 145.*
q *L. 1. cont. V. v. stack. c. 2. ſect. 1.*
r *L. de Trinit. apud Tertull. l. 2.*
s *In Pſal. 2. extr. & in Pſ. 120. extr. & in Pſ. 118. & in Pſ. 53. extr. & in Pſal. 64. & in Pſ. 124.*
t *Comm. in Oſeam l. 1. T. 3. p. 22. f.*
u *Ep. 12. ad Sem. p. 146. & carm. 15. de Celſo puero, p. 534. 535.*
x *L. 2. de ſtatu an. Biblioth. Patr. T. 4. p. 648. a.*
y *De Paradiſo, c. 18, T. 3. Biblioth. patr.*

runt cæteri Patres, ſuóque ſilentio errantibus aſſentiri viſi ſunt, vel ſat habuerunt nonnunquam ex occaſione teſtari ſe credere ſanctorum animas ſtatim à morte & ante reſurrectionem Dei viſione frui, licèt diſertè alteram opinionem minimè rejecerint. Sed antiquiſſimum eſſe hunc errorem, vulgóque olim apud Chriſtianos receptum fuiſſe ex eo præterea patet, quod is etiam hodie ab vniverſa Græcorum Eccleſia defenditur, & ex omni eorum numero qui ſe Patrum monumenta pro fidei ſuæ norma habere profitentur ſoli Latini ab errore diſceſſerunt, contrariámque ſententiam ann. demum 1439. in Concilio Florentino, ante annos 212. publicè confirmarunt. [z] In qua Synodo tu quæſo Vincentium illum noſtrum de Lirinenſi inſula medio in conſeſſu conſtituas, ſua illa de quibus ſupra diximus oracula profantem; rata, ſcilicet, ac immota eſſe debere quæcunque Patres uno conſenſu docuerunt. Palàm eſt iſtos Patres hunc meritò exploſuros fuiſſe, veluti qui Dei veritatem humanæ auctoritati ineptè ſubjiceret. Veterem enim illi opinionem intellecto eius errore repudiare non dubitarunt, nulla eorum ratione habita qui ita olim ſenſerant, quantalibet de cætero eſſet ipſorum vel antiquitas, vel multitudo, vel eruditio, vel ſanctitas. Contrariam vero ſententiam tametſi illa tantorum virorum pompa carentem, tamen quod vera ſit, iidem publicè decreverunt. Ex iis capitibus fidei quæ Proteſtantibus perſuaſu eſſe cupit Eccleſia Romana, perpauca eſſe arbitror quibus probandis tot afferri poſſint, probabilia in ſpeciem, Patrum teſtimonia, quot vera & neceſſaria ad veteris illius erroris defenſionem poſſent congeri, & is tamen error non ſolùm in dubium vocatus, ſed penitus etiam repudiatus eſt. Quis ergo hinc non intelligit Patrum, etiam plurimorum, conſenſum ad conſtituendam fidei veritatem haudquaquam ſatis valere? Verum ad reliqua pergamus. Hilarij atque Ambroſij ſententia de omnium hominum, etiam ſanctiſſimorum, per ſupremum

[z] *Conc. Flor. in defin. Diffinimus inſuper, &c. illorum animas qui poſt ſuſceptum Baptiſma nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam quæ poſt contractam peccati maculam vel in ſuis corporibus, vel eiſdem exutæ corporibus prout ſuperius dictum eſt, ſunt purgatæ, in cælum mox recipi & intueri clarè ipſum trinum & unum. T. 4. Conc. p. 584.*

ignem probatione, quam ſupra memoravimus, ea & multorum aliorum eſt cum ipſis communis; Nam eadem & ante eos Origenes † & Lactantius[a] docuerant, & poſt eos docuerunt Hieronymus, [b] Auguſtinus, [c] Paulinus Nolanus, [d] Pſeudo-Euſebius Emiſſenus, [e] Cæſarius, Arelatenſis, [f] Eligius Noviomenſis (ſi is quidem verè eſt, quod non videtur, auctor homiliæ octavæ [g]) Alcuinus [h] & alij. Pſeudo-Euſebij verba de illo igne loquentis obſervanda ſunt: *Illic iuſti velut per amœnos gurgites incendiis naturam ſuam mutantibus tranſmeabunt intacta ignibus CORPORA, ipſis honorificanda pœnis, quia non ſunt onerata peccatis.* Ita & Cæſarius: *Qui modo vnum digitum ſuum in ignem mittere timet, quare non timeat ne neceſſe ſit hunc non parvo tempore cum anima & CORPORE cruciari?* Iſti pari conſenſu igne, vltimo die exarſuro, putant omnes homines de mortuis reſuſcitatos probatum iri, etiam iuſtiſſimos, atque ſanctiſſimos. Neque tamen effecit eorum conſenſus vt non fuerit iam pridem exploſa anilis iſta de hominum ſupremis opinio. Bellarminus [i] quidem ait eam manifeſtum errorem continere. Vidimus ſupra Tertullianum, Cyprianum epiſcopum & Martyrem, Firmilianum Cappadociæ Metropolitanum, Dionyſium Patriarcham Alexandrinum, cum Synodis epiſcoporum Africæ, Cappadociæ, Ciliciæ, & Bithyniæ hæreticorum Baptiſmum rejeciſſe, ac pro nullo habuiſſe. Baſilius, [k] inter Principes Eccleſiæ Orientalis viros plurimùm eminens, longo poſt Concilij Nicæni decretum tempore, parum ab eadem ſententia abeſt, in epiſtola ad Amphilochium, quam Canoniſtæ Græci inter Eccleſiaſticas regulas cenſent. Nemo tamen hunc errorem eſſe negat. Veterum plurimi, Tertullianus[l], Clemens Alexandrinus [m], Lactantius [n], Africanus [o] Chriſtum à Baptiſmo ſuo ſemel tantum Paſcha celebraſſe cenſuerunt, verùm tot Veterum in eandem ſententiam concurſus, non obſtat quominus id falſum ſit, imò, vt affirmat Ieſuita Petavius[p], cum Evangelio manifeſtè pugnet.

† *Orig. hom. 14 in Luc. & in Pſal. 36.*
[a] *Lib. 7. c. 21.*
[b] *Comm. in Amos l. 3. T. 6. p. 45. b.*
[c] *L. 20. de Civit. D. c. 25. 26. & in Pſal. 6. & in Pſ. 37. vide etiam l. 16. de Civit. Dei cap. 24 & conc. 3. in Pſal. 103.*
[d] *Paraphr. Pſal. 1 p. 464.*
[e] *hom. 3. de Epiph.*
[f] *ho. 8. T. 2. Biblio. Patr. p. 281.*
[g] *hom. 8. T. 2. Biblios. Patr. p. 98.*
[h] *Alcuin. l. 3. de Trinit. c. 21.*
[i] *lib. 2. de Purg. c. 1. §. hac ſententia*
[k] *Baſil. epiſt. ad Amphiloch. T. 2. p. 758. 759.*
[l] *Tertull. l. cont. Iudæos c. 8.*
[m] *Cl. Alex. Strom. 1. & 6.*
[n] *Lactant. Firmian. l. 4. 5. 10.*
[o] *African. apud Hiero. Comm. in Dan. c. 10. T. 4. p. 1147. C.*
[p] *Pet. notis in Ep. p. 203. &c.*

gnet. Mitto quòd Chryſoſtomus,[q] Hieronymus, [r] Baſilius, [s] & Patres Concilij Conſtantinopolitani ſub Flaviano Patriarcha, iurare omnino nefas eſſe ſub Novo Teſtamento videantur exiſtimare. Taceo etiam Athanaſium, Baſilium, Methodium, teſte Ioanne Theſſalonicenſi, [u] Angelos corporeos eſſe ſenſiſſe, quibus,vt ſupra vidimus, [x] addi poſſunt Hilarius, Iuſtinus, Tertullianus,& alij magno numero, qui obſcœno amori obnoxios Angelos cenſuerunt. Quin & ipſe Auguſtinus idem ſenſiſſe videtur. Qui hunc eorum[y] nominibus errorem confirmare vellet, nonne is Romanis ex æquo & Genevenſibus ſcholis ludibrium deberet? Sed non eſt prætermittendum præter Cyprianum, Auguſtinum, Innocentium Papam I.quorum teſtimonia ſupra retulimus,[z] penè omnes Doctores priorum ſeculorum credidiſſe Euchariſtiam neceſſariam eſſe infantibus, idque obſervaſſe Maldonatum ſcribentem hanc ſententiam *ſexcentos circiter annos viguiſſe in Eccleſia.*[a] Caſſander[b] ſe apud Veteres hanc praxin ſæpe adimadvertiſſe teſtatur. Et revera Carolus Magnus & Ludovicus Pius, longo poſt ſeculum ſextum tempore, teſtantur, referente Cardinale Perronio, [c] hanc conſuetudinem ſuo tempore in Occidente perduraſſe. Quinimo eius veſtigia inter Chriſtianos, qui cum Eccleſia Latina communionem non colunt, etiamnum videre eſt. Obſervabat enim Nicolaus de Lyra ab hinc trecentis vel circiter annis *Græcos dicere quod hoc ſacramentum* (Euchariſtiæ) *tantæ neceſſitatis quòd pueris debet dari ſicut Baptiſmus.* [d] Et Patrum noſtrorum tempore Ieremias Patriarcha, Græcæ totius Eccleſiæ nomine loquens *non ſolùm*,inquir, *baptizamus infantes,ſed etiam eos facimus participes Cœnæ Domini.*Et paulo poſt. *Exiſtimamus vtrumque Sacramentum omnibus ad ſalutem neceſſarium, Baptiſmum ſcilicet & ſacrã communionem.* Eodem modo Abyſſini infantes ſuos re-

q Chryſ.hom. inſtat.& paſſ. r Hier. Cõm. 1.in Matth. T.6.p.5.A.B s Baſil.homil. in Pſ.14.T.1. p.154. D.155. A,B,C.Dec. t In Act.Concil.Chalced. Act 1.T.pag. 129.E. ἀλλὰ καὶ ἐπὶ τῶν ... τοῦ Σωτῆρος Χριστοῦ μὴ ὀμνύειν, &c. u T.3.Concil. p.547.in Act. Conc. VII. act 5. x Supra, hoc eodem capite. y Auguſt.T.1. l.1.cõt. Acad. c.7.T.2.epiſt. 111.p.101.F. & ep.115.& T.3. Enchir.ad Laur.c.59.de Trinit.l.2.c. 7.G.& l.3.c. 1.& l.8.c.2. & de Gen.ad lit.l.3.c.10.& l.11.c.22.& de Divin. dæm. c.3.4.5.& T. 4.l.93.quæſt. q.47. T.5.de Civ.Dei,c.21. F.& l.11.c. 23.& Ibi Vives,& l.21.c. 23.L & c.10. z Supra.l.c.8. a Maldon.in Ioan.6.53. b Caſſ.cõſult. ad Ferd. & Max.p.936.& l.de Bap.inf.p.747. c Perron.Tract.de S.Auguſt.p.1001. d Nicol.de Lyrâ,in Ioan. e Hierem.Patr.Conſtantinop.

cèns baptizatos ad ſacram communionem adhibent. [f] Unde quivis intelligere poteſt in hac falſa de Euchariſtiæ neceſſitate ſententia non tres aut quatuor tantum, ſed pleroſque Veteres, imò penè omnes, fuiſſe. Antequam enim Concilium Tridentinum, ſuperiore ſeculo eam damnaret, nemo é Chriſtianis repertus erat qui eam diſertè repudiaret. Supta diximus Auguſtinum ſenſiſſe pueros ſine baptiſmo mortuos non privari ſolùm Dei viſione, ſed etiam igne cruciari. Id agnoſcit Petavius, [g] additque Alcimum Avitum Viennenſem Epiſcopum [h] (qui A. D. 500. floruit) Gregorium vrbis Papam I. [i] quin & ipſos Florentinos Patres [k] idem ſenſiſſe. Quod tamen dogma velut dirum & inhumanum plerique nunc repudiant; idque non ita pridem Ieſuitæ, [l] inter eas Ianſeniſtarum opiniones cenſuerunt quas *execratione & anathemate dignas eſſe* pronuntiant. Denique Pererius Ieſuita notat [m] (neque id quiſquam neſcit qui vel tantillum in eorum Scriptorum qui Auguſtinum anteceſſerunt lectione verſatus ſit) Patres Græcos & Latinorum maximam partem cenſuiſſe prædeſtinationis hominum ad ſalutem cauſam eſſe, quod Deus præſciverit eorum ſiue bona opera, ſiue fidem. Quam quidem ſententiam vtramque cum S. Scripturarum auctoritate, & maximè cum S. Pauli doctrina apertè pugnare affirmat ille. Itaque ut ingratæ ac moleſtæ diſquiſitionis tandem ſit finis, videor ex his iam meritò poſſe concludere cùm Patres tot modis erraverint, ſiue ſeorſum ſinguli, ſiue conjunctim plures, nec privatam ſingulorum ſententiam, nec plerorumque ex iis conſenſum argumentum eſſe ſatis firmum ad eorum capitum quæ hodie controvertuntur certò demonſtrandum veritatem.

f *Alvares. c. 21. Aethiop.*

g *T. 1. dog. Theol. l. 9. c. 10. §. 8. 9. 12. 13.*

h *Carm. ad Fuſcin. Sor. verſ. 214.*

i *l. 9. Moral. in 1. b c. 12.*

k *In decret. Syn. Florent.*

l *Triumph. Cath verit. præf. & propoſ. 114 pag. 3 9.*

m *Perer. in epiſt. ad Rom. c. 8. Diſp. 22. & 23.*

Caput V.

Ratio v. *Patres inter ſe aliquando diſſentire, & quidem interdum de rebus magni momenti.*

BEſſario Græcorum eruditiſſimus, quem Eugenius IV. galero Cardinalitio, propter egregiam navatam operam in ſarciendo ſchiſmate Orientem inter & Occidentem, donavit, in Scripto quod de hoc argumento in Concilio Florentino elaboravit, quicquid controverſiarum eſt Græcam inter & Latinam Eccleſiam ad tribunal Patrum evocat. Cùm verò non neſciret, ſi judicibus inter ſe non convenir, cauſam (maximè ſi ad religionem pertineat) non poſſe legitimè decidi, obnixè contendit [a] Patribus, non modo ſecum ſingulis, ſed (quod longè magis arduum eſt) etiam inter ſe vniverſis optimè convenire. Itaque ſi quando ulla in eorum Scriptis ſententiarum diverſitas occurrat, jubet nos noſtram potius ignorantiam accuſare, quàm Patribus aliquam inter ſe contradictionem impingere. Ex hac viri, quo nullus in Synodo Florentina fuit acutior aut doctior, hypotheſi, ſtatuendum eſt, Patres non aliter controverſiarum noſtrarum judices eſſe poſſe, niſi ipſi inter ſe eadem de religione ſentiant, quod ſanè per ſe planum ac perſpicuum eſt. Si enim vel ſecum ipſi, vel inter ſe pugnent, noſtras controverſias adeo non component vel imminuent, ut eas potius magis magíſque impedituri & animos noſtros in partes ſciſſuri videantur. Sic ergo, vt conſtet an noſtræ controverſiæ ad Patrum tribunal, quod vult Beſſario, rectè referantur, diſpiciendum eſt, an eorum (quod idem ait) de religionis capitibus ſententiæ nunquã inter ſe pugnent. Fac ita eſſe, non ideo ſequetur infallibile eſſe Patrum judicium. Fieri enim poteſt ut in iiſdẽ erroribus multi, vel ex compoſito, vel caſu, vel quapiam alia ſimili.

[a] *Beſſar. orat. dicl. ... c. 2. p. 510. & 511. T. 4. Concil.*

ratione conſpirent. Sin hoc, quod ait Beſſario, falſum ſit, certiſſimè ſtatuendum eſt alios, quàm Patres, quærendos controverſiarum noſtrarum iudices. Demonſtremus ergo, ut & hoc ſuperioribus noſtris probationibus adjiciamus, hoc pronunciatum maiori confidentia quàm veritate prolatum eſſe, plurimáque de rebus ad religioné pertinentibus extare inter Veteres ſententiarum divortia. Nonnulla iam ex aliis occaſionibus attigimus quæ ſatis eſt breviter hic perſtringi.

Obſervavimus imprimis memorabile Dionyſii Alexandrini, Gregorij Nazianzeni, Hieronymi & aliorum à vetuſtiſſimis Iuſtino, Irenæo, Tertulliano & cæteris, quorum ingens numerus fuit, diſſidium, hos enim mille ann. delicias, & Hieruſalem gemmeam atque adamantinam, cum gloria, & uberrima rerum omnium in terris copia nobis ſerio polliceri; Illos verò has ſpes velut commenta, puerorúmque & vetularum deliria, ex Iudæorum liene, non ex Apoſtolorum cerebro enata acriter inſectari atque explodere. Illam quoque controverſiam attigimus quæ Victori R.Ep. de die Paſchatis cum Aſianis fuit. Item quæ Cyprianum cum Stephano de Baptiſmo hæreticorum commiſit. Vtraque ſic exarſit, ut res ad anathemata proceſſerit. Si oſtenderit Beſſario iſtos in ſpeciem tantùm, non autem reapſe inter ſe diſſenſiſſe, non dubitabo quin aquam & ignem, agnos & lupos & inimiciſſima quæque inter ſe ſit eadem opera conciliaturus. Vidimus Tertullianum docuiſſe animam eſſe ex traduce, id eſt, de patre in filium generatione naturali propagari, Auguſtinúmque in eam ſententiam propendiſſe, & cum eo Occidentalium pleroſque eadem ſenſiſſe, teſte Hieronymo. [b] Ipſe vero Hieronymus hanc ſententiam rejicit, [c] cenſétque animam à Deo immediatè creari, & eodem tempore in corpus infundi, quinimo eam fuiſſe de hoc argumento totius Eccleſiæ ſententiam docet. Idem cum ſuis auctoribus exiſtimat Petrum à Paulo, quod habetur in epiſtola ad Galatas, per ſimula-

b *Hieron. An certè ex traduce ut Tertullianus, Apollinarius & maxima pars Occidentalium autumant. epiſt. 82. T. 2. pag. 492.*

c *Id. Comm. in Eccleſiaſt. cap. 12. 9. T. 5. p. 70. & ep. 61 ad Pamm. T. 2. p. 248. D. & alibi paßim.*

ſimulationem reprehenſum fuiſſe, atque ita ex compoſito inter ſe luſiſſe duos iſtos Apoſtolos. At Auguſtinus, cum multis aliis, rem ſeriò, nullâq; inter Petrum & Paulum colluſione geſtam contendit, planè ut in Scripturis, ſimpliciter ac bona fide, narratur. Hæc verò controverſia Hieronymi animo ſic altè inſederat, vt præter epiſtolas quas multo felle tinctas de hoc argumento ſcripſit, alibi etiam, & in ipſis quidem Commentariis,[d] quos animo ſedato compoſuiſſe putatur, Auguſtinum identidem tacitè perſtringere ac vellicare velle videatur. Itaque prorſus inſanire eum oporteat qui Patres iſtos in eadem de hiſce capitibus fuiſſe ſententia contendat. Iuſtinus[e] ipſam Samuelis animam Pythoniſſæ incantamentis evocatam Sauli apparuiſſe vult. Cum Iuſtino ſentiunt ex Græcis Origenes[f] & Anaſtaſius Antiochenus;[g] ex Latinis Severus Sulpitius,[h] Zeno Veronenſis,[i] Ambroſius[k] & Auguſtinus[l] eo, licèt aliter aliàs ſentiens, propendet. Alij[m] ſpectrum merum fuiſſe autumãt; ut Tertullianus,[n] Euſtathius Antiochenus,[o] Pionius Martyr,[p] Baſilius Cæſareenſis,[q] Gregorius Nyſſenus, Hieronymus,[s] Philaſtrius Brixienſis[t], Carolus Magnus[u]. Nonnemo arbitratur traditionis eſſe Apoſtolicæ ter ſingulis hebdomadis ad Euchariſtiæ celebrationem convenire.[x] Alter negat.[y] Nonnulli Sabbatho jejunandum ſentiunt.[z] Alij eum qui Sabbatho jejunet Chriſti interfectorem dicere non verentur.[a] Sunt qui contendunt Chriſtum mortuum cum natus eſſet annos quadraginta, aut quinquaginta.[b] Scribunt alij crucifixum fuiſſe annum agentem trigeſimum, vel trigeſimum primum[c]. Vtrique apertè cum Evangelio pugnant. In eo enim docemur perſpicuè Chriſtum poſt baptiſmum, id eſt, ab ætatis ſuæ anno trigeſimo, ad minimum triennio, bien

d Vide Cõm. 14. in Eſa. T. 4. p. 378. F. & Comm. 18. in eund. p. 485. exer. T. 4.
e l. ſin. contr. Tryph. p. 333. A.
τὴν λεγομένην ψυχὴν ἀναχθῆναι ὑπὸ τῆς ἐγγαστριμύθου.
f Comm. in l. Reg. 28.
g Hou. 8. 7. 113.
h hiſt. ſac. l. 1.
i Serm. de reſurr.
k In Luc. 1. p. 1628. d.
l de cura pro mort. c. 15. vide l. 2. Quæſt. ad Simplicin. q. 3.
m Pſeudo inſtin. l. Q. & R. Reſp. ad quæſt. 52 p. 422. c. τῷ θεῷ τῆς ἀδοκίας τῶν δαιμόνων ἐν τῷ χωρίῳ τῶν τοῦ Σαμουὴλ ἀποθανόντων τοῦ ἐγγαστριμύθου.
n l. de an. exen.
o de engaſtrimytho contra Origen.
p Apud Sym. Metaphr. in vita Pionij.
q in Iſai. c. 8. T. 2 p. 303. c. d.

r Ep. ad Theod ſive ad Timoth. de Engaſt. T. 1. 847. s In Matth. 6 in Iſai. 7. in Ezech 13. t de hæreſ. hær. 26. u de Imag. l. 4. c. 27. x Epiph. in Panar. expoſ. fid. p. 1104. y Auguſt. in ep. Fl. 118. ad Ianuar. T. 3 vide Petau. in Epiph. p. 354. z vide Petau. p. 359. in Epiph. Eccl. Rom. ep S. c. l. 5. c. 22. Aug. ep. 86. & 118. Innoc. I. ep. 1. c. 4. a Ignat. ep 4. ad Phil. pp can. Apoſt. l. 7. c. 68. conſtit. Apoſt. l. 7. c. 24. Synod. Trull. 455. b Iren. l. 2. c. 39. c Tertull, Lactant. Africanus, ubi ſupra.

nionve; ad ſummum quinquennio in terris verſatum fuiſ-ſe. Nonnulli (ut docent nos ipſi illi Græci qui ad Latinos deſciverunt [d]) in doctina de Trinitate voces, cauſæ & effectus uſurpari concedunt, alij vetant. Alij ordinem & diſpoſitionem quandam inter Trinitatis perſonas conſtituunt. Alij ne voces quidem iſtas ferre poſſunt. Latini de ſolo filio dicunt quòd ſit Patris imago; Græci & Spiritum ſanctum ſic dici volunt. Baſilius vocem γέννημα progenies, è Theologia de Filio exterminat. Alij eam nulla religione admittunt. Dubito an legiſſet Beſſario Hieronymi & Ruffini Invectivas & Apologias, qui tamen ambo Patres & in precio, licet non eodem à ſuorum & ſequentium temporum Eccleſia habiti. Sed neque ut opinor eorum meminerat quæ in Chryſoſtomum geſta ſunt à Theophilo & Epiphanio quæ nihil minùs ſignificant quam bene inter eos conveniſſe. Sed ad infirmandum audax Græci hominis pronunciatum nullo alio argumento opus eſt, quam eo ipſo in quo nunc ille laborat. Cui enim perſuaſurus eſt Patres eadem de proceſſione Spiritus ſancti dixiſſe & ſcripſiſſe? Quibuſdam in locis perſpicuè eum à Filio procedere ſtatuunt, ut in Baſilij loco quem Latini (reclamantibus tamen Græcis & ſuppoſititium criminantibus [e]) ex opere contra Eunomium allegant, vt & Patres Occidentales in variis locis diſertiſſimis. Sed qua fronte dici poſſit omnes in hac eadem ſententia fuiſſe equidem non video. Cætera à Græcis objecta teſtimonia nunc mitto, quæ Latini ægre, & qua licet diluunt; Patrum non rarò & verba & ſenſus vexantes & contorquentes. Sed Theodoreti ex refutatione Anathematiſmorum Cyrilli locus diſertior eſt quàm ut eludi queat. Cyrillus Anathema. 9. Spiritum Sanctum eſſe proprium Filij dixerat. [f] Reſpondet Theodoretus [g] impium & blaſphemum eſſe dicere Spiritum S. habere ſubſiſtentiam ſuam à Filio, aut per Filium. *Si proprium Spiritum Filij* (inquit) *& quidem vt ejuſdem cum eo naturæ & ex Patre procedentē dixit*,

d Scholarius Orat. 3. T. 4 Concil. gener. p. 658. E. 659. A. B.

e Conc. Flor. Act. 10. T. 4. Conc. p. 454. C.

f Cyrill. anath. 9 Ἴδιον αὐτοῦ (Χριστοῦ) τὸ πνεῦμα.

g Theod. refut. Anat. 9. Cyrill. Act. Conc. Epheſ. p. 3. T. 1. Concil. p. 564. C. Ἴδιον δὲ τὸ πνεῦμα τοῦ υἱοῦ εἰ μὲν ὡς ὁμοφυὲς καὶ ἐκ πατρὸς [illegible]

dixit,ſimul confitebimur & tanquam piam ſuſcipiemus vocem. Siverò tãquam ex Filio,aut per Filium,exiſtentiam habeat, hoc vt blaſphemum & impium rejiciemus. Non potuit duriùsſententia illa reſpui. Quid ad hæc Cyrillus? Ille verò tametſi juveniliter à Theodoreto provocatus, adhæc in cauſa optima atque æquiſſima, cùm ab adverſario probrosè exploſa , impietatíſque damnata eſſet ea ſententia,quæ totius,(ſi Latinis credimus)Eccleſiæ communis erat,tamen molliter & paucis hoc vnum reſpondet , [h] *Procedere quidem ex Deo & Patre Spiritum ſanctum, ſecundùm Servatoris vocem,ſed non eſſe à Filio alienũ,cum habeat omnia cum Patre.* Atqui Theodoretus hic erat hæreſeos accuſandus , ſi Eccleſiam quidem illius temporis ſtatuas docuiſſe Spiritum ſanctum ex Filio procedere. Quid eſt ergo quòd Cyrillus tam patienter audit ſanctam verámque ſententiam velut impiam & blaſphemam proculcari ? Cur non indignatur? Cur Eccleſiam (ſi hæc erat eius fides) non appellat injuriæ ſuæ vindicem? Cur nihil iſtorum facit,ſed clementi & languido reſponſo adverſarium non tam arcet quàm demulcet, ſic ut cauſam prodere potiùs videatur quàm defendere? Nam neque Theodoretus , neque recentiores Græci vnquam defenderunt Spiritum Sanctum eſſe à Filio alienum,qui ſcilicet Patrem,Filium, & Spiritum ſanctum vnum eſſe eundémque Deum in ſecula benedictum vltro confitentur Quiſquis iſta omnia accuratè expenderit(non enim hic locus eſt ea fuſiùs excutiendi) agnoſcet, opinor , tum temporis nihil adhuc Eccleſiam de eo capite conſtituiſſe,vel decreviſſe, Illóſque Doctores, pro diſputationum in quibus verſabantur ratione , & tanquam in rebus nondum examinatis & disertè explicatis,quid ſentirent privatim litteris ex occaſione mandaſſe, adeo ut me nonnunquam Græcorum & Latinorum miſereat in Patribus ad ſe ſuáſque partes trahendis nequicquam ſudantium ; quorum voces,ſi quid iis inſit ambigui; torquent, codices, ubi ſibi non favent, ad ad-

[h] *Cyrill. reſp. ad reſut. Theod. anath. 9. Ibid. pag. 565. A.* Ἐκπορεύεται μὲν γὰρ ἐκ τοῦ Θεοῦ καὶ πατρὸς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον κατὰ τὴν τοῦ σωτῆρος φωνήν, ἀλλ' οὐκ ἀλλότριόν ἐστι τοῦ υἱοῦ· πάντα γὰρ ἔχει μετὰ τοῦ πατρός.

verſariis depravatos fuiſſe criminantur. Denique, ubi omnia tentarunt, nihil promovent & lectori, qui quidem ſit à partium ſtudio alienus, plus tædij quàm fructus aut ſolidæ ædificationis afferrunt. Atqui longè facilius atque conſultius erat id quod res ipſa loquitur, agnoſcere; Patres, ſcilicet, ut de multis aliis religionis capitibus, ita de hoc quoque non unum idemq; ſenſiſſe. Quod verò Beſſario, ut hoc Theodoreti teſtimonium eludat, comminiſcitur[i], eum ex Eccleſia propter negatam Spiritus ſancti è Filio proceſſionem, ejectum; deinde cantata publicè in Synodo Chalcedonenſi palinodia reſtitutum, hæc nobis Græca fide narrat, eo ipſo quod fingit animi ſui vehemens in hanc cauſam ſtudium apertiſſimè oſtendens. Amabo enim, à quo ille vetere Scriptore habuit Theodoretum, non dicam damnatum vel excommunicatũ, ſed vel reprehenſum aut accuſatum, quod de Spiritus ſancti proceſſione perperam ſenſiſſet? Habemus Acta Concilij Epheſini in quo fuit excommunicatus. Habemus epiſtolam Cyrilli, qua ad pacem Eccleſiæ admittit Ioannem Patriarcham Antiochenum, omnéſque eius ſocios, quorum Theodoretus facile princeps erat. Habemus Concilium Chalcedonenſe, in quo Theodoretus, poſt nonnullos adverſariorum clamores, pro epiſcopo catholico habitus fuit & cum cæteris conſedit. Vllúmne in iſtis omnibus authenticis monumentis verbum de eius ſententia circa Theologiam de Spiritu ſancto occurrit? Ne Cyrillus quidem, id eſt ipſemet viri adverſarius, eius de hoc capite ſententiam damnavit. Sed ſat habet excuſare, vel ſi mavis ſimpliciter defendere ſuam. Theodoreti in Epheſino & Chalcedonenſi Conciliis cauſa cum hac nihil omnino commune habuit. Agebatur enim tantùm de duabus naturis Ieſu Chriſti, quem Neſtorius in duas perſonas divellebat. Ioannes Patriarcha Antiochenus, Theodoretus & varij alij Orientis Præſules Neſtorio nonnihil favebant, vel, vt verius dicam, injuria illum à Concilio Epheſino affectam

[i] *Beſſar. in Orat. dogmat. ſive de unione extrem. c. 9. in Act. Concil. Flor. ſeſſ. 10. T. 4 Concil. p. 551. C.*

ctam

ctum dolebant; & nonnulla in Anathematiſmis Cyrilli damnabant. Cum hæc in Actis Concilij clara ſint omnia, qua fronte dicitur de gradu ideo dejectus Theodoretus quòd malè de Spiritus ſancti proceſſione ſentiret? Verùm de his ſatis. Nunc illud ſcire pervelim, quomodo Græcus noſter Conciliator DCXXX. Chalcedonenſis Synodi Patres, cum Leone Romano epiſcopo ſit reconciliaturus, & XXVIII. illorum canonem [k] cum tam multis huius ad Anatolium, ad Marcianum, ad alios epiſtolis [l] in vnum redintegraturus? Chalcedonenſes Patres Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ thronum ſupra Alexandrinam & Antiochenam ſedes evexerant, eam Romano ipſi throno haud obſcurè æquantes. Leo ex alia parte hoc iſtorum decretum, velut intolerabilem errorem, inſectatur. Sed Chalcedone, ſi placet, profectus, in Africam noſter Beſſario naviget, & illarum provinciarum Patres cum Pontificibus Romanis, ſi poteſt, conciliet inter ſe litigantes, cum illi quidem ſuos clericos Romam provocare vetarent; hi verò contenderent id licere, ſuique juris eſſe. Si labor ſucceſſerit, poterit in componenda Nicænorum & Francofurtenſium Patrum lite operam collocare, quos diſſidere inter ſe notum eſt, quod illi quidem decreverint [m] imaginibus ſalutationem & adorationis ſuffitus, & cereorum honorem, hi verò totam Græcorum Synodum repudiarint. Certè vel cæci vident omnes iſtos Patres adverſis pugnantibúſque inter ſe diſcordes eſſe ſententiis, nullámque aliam ad conciliationem viam patere, niſi ut cum ſuis ſinguli ſententiis admittantur; quod mirabili quodam & hactenus inaudito ſapientiæ ſpecimine Conſtantinopolitani in Taullo Patres ſequuti ſunt. Admiſerunt enim illi ſimúlque ac ſemel confirmarunt, Eccleſiæq; regulas eſſe juſſerunt tum Apoſtolorum, tum codicis Eccleſiaſtici canones, hoc eſt, Sardicenſis & Carthaginenſis & Laodicenæ Synodorum decreta; [n] Inter quæ tamen haud pauca ſunt quæ inter ſe pugnant.

[k] Conc. Chalced. Can. XXVIII.

[l] Leo P. in ep. ad Anat. &c. quas vide ad calcem Conc. Chalced. T. 2. Conc.

[m] Conc. VII. Act. 7. in def. T. 3. Concil. p. 661. E. καὶ ταύτας ἀσπασμὸν καὶ τιμητικὴν προσκύνησιν ἀπονέμειν. p. 662. A. καὶ θυμιαμάτων καὶ φώτων προσαγωγὴν πρὸς τὴν τούτων τιμὴν ποιεῖσθαι.

[n] Synod. Quinisext. Can. 2. T. 3. Concil. p. 305.

[o] Synod. Sard. Can. 3. & 7.
[p] Syn. Chalc. c. 9. & 17.
[q] Synod. Laod. c. 59.
[r] Synod. Carthag. III. cap. c. 47.

Exempli gratia. Vt ab omnibus epiſcopis jus eſſet Romã appellare Sardicæ conſtitutum eſt. At idipſum Chalcedone Conſtantinopolitanæ ſedi attributum eſt. [p] Laodicena Synodus nullos in Sanctarum Scripturarum canonæ agnoſcit Macchabæorum, Eccleſiaſtici, Sapientiæ, Tobiæ & Iudith libros, [q] quos Carthaginenſis diſertè in Canonem refert. [r] Boni verò iſti Trullani Patres, ut omnibus ſatisfacerent, nullam iſtius diverſitatis rationem habuerunt; ſingulos cum ſuis opinionibus & priuatis conſtitutionibus recipiunt, neminem cogunt ut certæ alicui & communi regulæ acquieſcat, & hæc ipſi quæ habent ea etiam ut videtur lege decernunt, ut nulli in eorum quos admittebant ſententiam concedere tenerentur, niſi quatenus rationibus ſuis convenire, & è re ſua eſſe exiſtimarent. Neminem puto fore qui non facilè omnia Patrum ſcripta, hac quidem lege, pro authenticis recipiat, ut ſcilicet ipſi integrum & liberum ſit quicquid commodum vel incommodum videbitur id pro ſuo arbitrio vel admittere vel rejicere. Atque ita jam, ni fallor, quicquid opinetur Beſſario concludere tutò veréque poſſumus, Patres, non ſemper eadem ſenſiſſe, de capitibus ad religionem pertinentibus: vnde & illud evidentiſſimè ſequitur, non poſſe eos controverſias noſtras ſuo judicio decidere. Cùm enim notum ſit eos de tot magni momenti capitibus inter ſe pugnare, quis fidem faciet inter ipſos de iis quæ hodie controvertuntur convenire? Cur iis in quæſtionibus de Eucharistia, de auctoritate Eccleſiæ de poteſtate Papæ, de libero arbitrio, de Purgatorio non idem accidere potuit quod in his capitibus de quibus proximè egimus accidiſſe comperitur? præſertim, cùm ea de quibus diſſentire deprehenduntur, his, de quibus nos litigamus, neque minoris momenti, neque obſcuriora ſint, vt præcedente capite obſervatum eſt. Epiphanij, & Hieronymi de veteri presbyterorũ & epiſcoporum jure voces non minùs inter ſe pugnant quam Theodoreti & Cyrilli de pro-

proceſſione Spiritus ſancti dicta. Neque Tertulliani & Damaſceni Theodoreti & Euſebij Emeſeni, Euſebij Cæſarcenſis & VII[ae] Synodi de Euchariſtia aſſertiones magis inter ſe conſentaneæ ſunt quam Cypriani & Stephani de hæreticorum baptiſmo ſententiæ. Eadem eſt aliorum ferè omnium ratio. Quid ergo eſt cur de eorum in iſtis concordia tantopere laboremus? vt etiam velut admotis fidiculis invitos ac repugnantes idem ſentire cogamus. Quin ultrò agnoſcimus ingenuéque fatemur quod res, eos, ut verbis, ſic ſenſu quoque inter ſe differre? Nulla nobis religio eſt eos confiteri aliter atque aliter de iis ſenſiſſe de quibus nulla eſt inter nos controverſia. Non video cur gravius ſit eos de iis diſſenſiſſe quæ nunc ſunt inter nos controverſa. Sed plura ea de re verba facere nihil neceſſe eſt. Satis eſt Patrum diverſas fuiſſe de religione ſententias, inde enim neceſſario conficitur non poſſe nos eorum iudicio in controverſiis noſtris ſtare.

Hactenus de Patrum in exponenda Scriptura diverſitate, vel nihil, vel certè pauciſſima diximus. Atqui id magni in primis momenti eſt, & præ cæteris memorabile. Si enim Iudices noſtri conſtituantur, ſubinde ac penè aſſiduè conſulendi erunt de locis quorum ſenſus apud nos controvertitur. Quid fiet ſi de horum expoſitione apud ipſos Patres non maior quàm apud nos concordia ſit? Hic ex Evangelio ſecundùm Ioannem locus *Ego & Pater unum ſumus*[s] magni eſt momenti in diſputationibus contra Sabellium & Arium. Vin'tu eius genuinum ſenſum doceri, ne perverſa expoſitione in iſtorum ſcopulos inpingas? Si Patres adis, reperies nobilem hunc locum ab aliis ad animi & voluntatis vnionem[t] ab aliis ad eſſentiæ & naturæ vnitatem[u] referri. Hic alter ex eodem Evangelio locus *Pater maior me eſt*,[x] dignus eſt qui accuratè expendatur in quæſtione de Divinitate Ieſu Chriſti. Atqui & hunc ipſum Patres aliter atque aliter interpretantur; Sunt enim qui Patrem Filio ſim-

s *Ioan.* 10. 30.

t *Tertull. contr. Prax. c.* 22. *unum non pertinet ad ſingularitatem ſed ad unitatem, ad ſimilitudinem, ad coniunctionem, ad dilectionem Patris qui Filium diligit, & ad obſequium Filij qui voluntati Patris obſequitur. Auctor libri de Trinit. c.* 22. *Orig. cont. Celſum l.* 8. *p.* 396.

u *Athã. Greg. Nazianz. alij penè omnes recent.*

x *Ioan.* 14. 28.

pliciter qua Filius eſt, maiorem intelligi volunt, [y] ſunt qui eatenus tantum quatenus homo eſt Filius. Hæc Ioannis verba. *Verbum caro factum eſt* [z] magni ſunt uſus in controverſiis cum Neſtorio & Eutychete. Si Patrum arbitrio rem committis, alij hæc Ioannis cum illis Paulinis conferunt. *Chriſtus factus eſt peccatum* [a] *& execratio* [b] Cyrillus verò ab ea expoſitione cavendum præcipit. [c] Infinitum eſt quæcunque huc pertinent, omneſque Patrum in exponenda Scriptura diverſitates ac pugnas, referre. Si cui plura exempla videre libeat, recentiorum interpretum Commentarios adeat, eorum quidem qui Patrum in Scripturam interpretationes colligere ac in unum comportare diligenter ſolent. Cuius generis ſunt Maldonatus in Euangelia, Toletus in Ioannem, Iuſtinianus in Paulum, & alii penè innumerabiles. Animadvertet vix ullum eſſe verſiculum quem Patres omnes eodem ſenſu acceperint. Sed & eorum expoſitiones non modo inter ſe pugnare, ſed quod ſanè grauiſſimum eſt, pleraſque frigere comperiet, raróque apud eos occurrere ſolidam illam ſimplicitatem ac ſobrietatem, quæ in iis requiritur, quicunque in ſacris literis verſantur. Cùm ergo non minùs Scripturæ interpretationibus, quàm ſententiis, inter ſe diſcrepent Patres, concluſum eſto non tantam eſſe eorum in dirimendis noſtris controuerſiis auctoritatem ut ab ea provocare ſit nefas, quod quæ inter ipſos repetitur ſententiarum repugnantia, ſatis arguit non eſſe eos infallibiles, quales tamen eſſe neceſſe eſt huius cauſæ judices, ad ea confirmanda dogmata quæ adverſus Proteſtantes Eccleſia Romana hodie propugnat.

y Epiph Ancor. p. 23 A. B.
z Ioan. 1. 14
a Ambr. l. de In carn. dom. Sacram. c 6. T. 2. p. 183. Athan. Ep. ad Epict. T. 1. p. 587. & T. 2. p 298. 2. Cor. 5 21.
b Galat 3. 13.
c Cyrill. Apolog. anath. 1. T. 1. Cõcilior. gener. p. 5. 15. C.

CAPUT VI.

Ratio VI. *Neque Proteſtantes, neque Pontificios agnoſcere Patres Iudices rerum ad religionem ſuam pertinentium, hóſque non minùs quam illos quæ ad palatum ſuum non faciunt nulla religione reſpuere. Satisfit duabus quæſtionibus quæ ex ſuperioribus omnibus oriuntur.*

HActenus demonſtrauimus Patrum ſcripta, non tantam in ſeipſis habere auctoritatem, ut pro rebus iudicatis haberi poſſint quæ apud eos de noſtris in religione controverſiis extant. Iam quæ noſtri ratione ſit eorum auctoritas diſpiciamus. Licèt enim iudicium in ſe æquum & validum ſit, & à Iudice legitimo rectè atque ex ordine pronuntiatum, litem tamen non decidit, niſi hæc eius auctoritas ab utraque partium agnoſcatur, aut ſaltem (ut ſit in rebus ad hanc vitam pertinentibus) iis viribus inſtructus ſit iudex, quæ poſſint pervicaces in ordinem cogere. Hic verò cùm religio agatur, res ſancta ac Divina, quæ non imperari ſed perſuaderi debet, vis nullum in hoc iudicij genere locum habere poteſt. Etſi enim vi quis adigi poſſit ut ſummam ſe Patrum monumentis auctoritatem deferre profiteatur, ipſorum tamen fides nullius animo hoc modo infigetur. Hærebunt ſemper in mentis penetralibus diffidia, ex quibus ea evelli neceſſe eſt, ut vera de rebus ad religionem pertinentibus pax atque concordia conſtituatur. Itaque ut rectè ac fœliciter decidantur huius generis controverſiæ neceſſe eſt utrique litigantium parti imprimis certum ac perſuaſum eſſe, Iudicem qui ſedet ea præditum eſſe auctoritate quæ ad conflandum hoc iudicium neceſſaria eſt. Fac Patres quæ de hac cauſa ſentiabant ea clarè ac liquidò pronunciaſſe (quod non ita eſſe demonſtravi-

mus.) Fac Patres (quod ipſum quoque quàm dubium ſit docuimus) tanta dignitate atque auctoritate præditos fuiſſe, ut ab eorum placitis nulla detur provocatio. Nullius tamen erunt iſta uſus, niſi hanc reuera eſſe Patrum auctoritatem utraque pars litigantium conſentiat. Veteris Teſtamenti Scriptura Diuinitus inſpirata & ſumma auctoritate prædita eſt, adeo ut quicquid dicit de fide, ac neceſſariò credendum ſit. Nihil tamen illa ethnico perſuadebit, quia quæ apud nos tanta eſt, apud illum nulla eſt auctoritas. Eadem Noui Teſtamenti erga Iudæum ratio eſt. Novi enim fœderis libri eam quidem in ſe habent auctoritatem quæ ad decidendas Eccleſiæ cum Iudæo controverſias neceſſaria eſt; cæterum nihil efficient quandiu nullam apud Iudæum auctoritatem habebunt. Itaque ridiculus eſſet & qui ex Vetere Teſtamento adverſus Gentilem, & qui ex Nouo adverſus Iudæum argumenta peteret ad veritatem fidei noſtræ apud utrumque probandam. Finge ergo Patrum ſcripta ſuper controverſiis noſtris eſſe clara & perſpicua, imò, (ſi ita vis) divinitus eſſe inſpirata ſummáque adeo auctoritate prædita. Ne ſic quidem ex iis controverſiæ noſtræ decidi poterunt, quamdiu ſublimem illam mirandamque iis auctoritatem vel utraque, vel certè altera pars negabit. Nunc ergo conſideremus quanti utrique Patres faciant, an iis ſummum conſtituendæ ac definiendæ religionis ius tribuant? an ſaltem Patres ut arbitros inter ſe admittant quorum placita firma & immota manere debeant? Proteſtantes quidem quibus, ex iuſtæ diſputationis legibus, nulla decet niſi confeſſa principia proponi, ſatis conſtat nihil minùs Patribus tribuere quàm eiuſmodi auctoritatem. Eccleſiæ enim Gallicanæ, initio ſuæ confeſſionis, teſtantur ſe agnoſcere libros ſacræ Scripturæ eſſe canonicos, id eſt, ſe eos pro fidei ſuæ norma & regula habere. [a] Libros verò Eccleſiaſticos eſſe quidem utiles, ſed non eiuſmodi, ut ex iis conſtitui poſſit aliquis fidei articulus. Quæ enim credunt Scripturam

[a] Cõfeſſ. fid. Eccleſ. Gal in Artic. 4.

ram

ram (quæ paulò poſt teſtantur) [b] complecti quicquid ad cultum Dei & ſalutem hominum requiritur nullo adeo iudice opus habent, fruſtráque ad Veterum auctoritatem confugerent, quorum, quantacunque fingatur auctoritas, nunquam tamen eo aſſurget ut non longè ſubſidat infra verbi Domini maieſtatem. Eædem deinceps Eccleſiæ profitentur, ſe ex ea norma doctrinam Chriſtianam reformare velle, omnéſque fidei articulos quos ipſa ponit firmiter retinere, quoſcunque autem ea non habet conſtanter repudiare, quantumcunque excellat & emineat auctoritas quæ vel hos ad fidem hominum adjecit, vel illos ſubſtulit. *Neque hominibus* (inquiunt [c]) *neque ipſis Angelis fas eſt quicquam ei verbo adiÿrere, vel detrahere, vel quicquam prorſus in eo immutare, ex quo efficitur neque antiquitatem, neque conſuetudines, neque multitudinem, neque humanam ſapientiam, neque iudicia, neque edicta, vel decreta ulla, neque concilia, neque viſiones, neque miracula Scripturæ illi Divinæ opponere licere: ſed potius omnia ad eius regulam & præſcriptũ examinari & exigi oportere.* Hanc ſunt diſerta Proteſtantium verba, ut ij, niſi huic fidei, quæ totius reformationis veluti fibula atque fundamentum eſt, nuntium remittant, non poſſent Patres, qui ſecundo, tertio, quarto, & ſequentibus ſeculis vixerunt, vel ut iudices, vel etiam, quod leuius eſt, ut teſtes fidei ſuæ agnoſcere. Omnes enim conſtituunt puram illam ac genuinam doctrinam, quam olim Apoſtoli & prædicarunt, & Novi Teſt. libris conſignarunt, ſenſim & ſine ſenſu labem contraxiſſe, tempore, quod omnia immutat, non nihil alieni & impuri paulatim admiſcente, nunc Iudaicum aliquod, vel ethnicum dogma, nunc obſervationem aliquam curioſam, nonnunquam cultum ſuperſtitioſum, hos ſtipulam, illos fœnum, nonnullos lignum ſuper fundamentum ſuperædificaſſe; donec illud religionis Chriſtianæ, ut ſic dicam, corpus, ita pedetentim immutatum, tandem omnino aliud fieret ab illo quod olim fuerat. Quod enim ex auro & argento

[b] Ibid. art. 5.

[c] Ibid. art. 5.

ædificium fuerat, poſtremo ex ruderibus, ex gypſo, ligno, cœno & eiuſmodi vili materia conſtare deprehenditur. Quemadmodum videmus, inquiunt, riuos, quo magis à ſcaturigine ſua recedunt, eo plus ſordium, & alieni vitioſique liquoris contrahere. Vt homo, quo magis ætate provehitur, eo plus amittit de natiua illa ingenuitate quæ in puero elucebat. Mens cum corpore immutatur, ſtudium, ars, fucus, omnia paulatim incruſtant, adeòque diſſimilem perſonam inducunt, ut non ampliùs is ſit qui fuit priùs. Idipſum contendunt accidiſſe in Chriſtianiſmo, eòque illuſtrem è poſteriore Pauli ad Theſſalonicenſes epiſtola locum referunt, de inſigni apoſtaſia, cuius quidem fundamenta iam tum clam ſubſtruebantur, ſed quæ tamen non niſi longe poſt tempore revelanda & in apertum proruptura eſſet; ut videmus maxima quæque, ſiue in natura, ſiue in rebus & calamitatibus humanis concipi fouerique lentè & paulatim, ininterdumque totis antequàm in lucem edantur ſeculis. Ex hac hypotheſi quæ, ut mihi videtur, Proteſtantium omnium communis eſt, omnino ſequitur doctrinam Eccleſiæ iam ſecundo ſeculo nonnihil labis contraxiſſe, peregrinis quibuſdam in eius ſeu fidem ſeu cultum adſcitis; tertio item ſeculo aliquid aliud vitij ei aſtrictum eſſe: itidémque quarto & quinto & ſequentibus ſeculis, paulatim degeneraſſe nativa illa religionis ſinceritate & ſimplicitate, & identidem ad eam adhæreſcentibus novis ſordibus, donec tandem ad poſtremum corruptionis & depravationis gradum delapſa eſt, in quo ſe eam repériſſe contendunt, indéque Scriptura duce in eundem illum ſtatum reſtituiſſe in quo fuerat ab initio collocata; Itaque religionem ex quo, ut ſic dicam, cardine hominum fraude & inſcitia labentibus tot ſeculis paulatim deiecta fuerat, in eo ipſo à ſe fixam & repoſitam putant. Quæ cum ita ſint, apparet Proteſtantes, niſi ſecum ipſi pugnent, concedere non poſſe, Patres qui ab Apoſtolis ad nos uſque vixerunt, omnium fidei ſuæ

capi-

cap't m canonem & normam eſſe. Nam, ſi vera eorum eſt de corruptionis progreſſu hypotheſis, ſecundo, tertio & quarto ſeculis nonnihil adultera fuerat Eccleſiæ doctrina; quàm verò ipſi amplexi ſunt, fidem, ea, quippe ex ſolis Scripturis hauſta, omnino eadem eſt quæ Apoſtolorum tempore fuit; ſiquidem vera ſunt quæ de reformatione docent. Vnde ſequitur, ſi hæc eorum fides ad Patrum ſecundi ſeculi ſcripta exigatur, neceſſario aliquid in iis repertum iri, præter reformatæ doctrinæ capita, quæ à ſolis habent Apoſtolis, & quo magis ad inferiora ſecula devolvemur, eo plura huius generis occurſura, quod, ex commemorata eorum hypotheſi, corruptio una ſemper cum tempore ſua incrementa acceperit. Si enim cum Patrum iſtorum fide ita convenit Proteſtantium doctrina, ut nihil ſupra, nihil etiam minus contineat, è duobus alterum neceſſariò ſequetur, vel illam fidei & diſciplinæ corruptionem, quam in Eccleſia accidiſſe iidem Proteſtantes ſtatuunt, diverſam eſſe ab apoſtaſia à Paulo prædicta, cuius myſterium ſuo jam tempore cœpiſſe operari ipſe teſtatur Apoſtolus, vel certè nunc factam ab ipſis reformationem non eſſe ſinceram & ſimplicem Chriſti & Apoſtolorum doctrinam, quæ duo, ut liquet, pugnant cum duabus illis ſententiis, quas vulgò apud eos ab omnibus defendi diximus. Supereſt ergo, ne in iſtam contradictionem impingant, ut immoti permaneant in ea ſententia quam in ſua fidei confeſſione profitentur, nulla eſſe ſcripta Eccleſiaſtica, cuiuſcunque ſeculi ſint, quorum tanta ſit auctoritas ut iis ſuperſtrui, vel ex iis iudicari poſſint fidei dogmata, Scripturámque ſolam eſſe normam ad quam uniuerſum iſtud examen inſtitui & decet & neceſſe eſt. Et ſanè ita inſtituunt omnes Proteſtantium Theologi, quotquot vel legi, vel audivi: idque ex libris Calvini, Buceri, Melanchtonis, Luteri, Bezæ, & aliorum diſcere licet, qui ſola Scriptura nituntur, neque uſquam, quod ſciam, docent Patrum auctoritatem idoneam eſſe fidei

rationem. Non nego primarios quoſdam inter ipſorum Scriptores, quales ſunt Bucerus, Martyr, Iuellus Epiſcopus Sariſburienſis, & recentiores fermè omnes, Patrum libros in diſputationibus adhibere: ſed ſi eorum mentem atque inſtitutum accuratè inſpexeris, reperies eos ad refutandum non ad confirmandum, ad evertandas opiniones Romanas, nos ad ſuas conſtituendas Patrum uti teſtimonio. Illi enim Patrum doctrinam ut Apoſtolica minus puram eſſe ſtatuunt, ſic à labe & corruptione quæ Romanam poſtremorum ſeculorum fidem & diſciplinam pervaſit multum abeſſe profitentur ac defendunt, quod nimirum Chriſtianæ doctrinæ & puritas immutata, & labes aucta fuit certis quibuſdam gradibus, prout tempora, & ab Apoſtolorum ævo longius diſcedebant, & ad prædictam à Paulo apoſtaſiam propiùs accedebant. Quo fit ut tametſi Scripturam ſolam pro fidei ſuæ fundamento agnoſcant, Patrum tamen teſtimoniis in his diſputationibus uti cogantur: Primò quidem ut probent revera in Chriſtianiſmo accidiſſe illam de qua diximus doctrinæ ſincerioris depravationem: Secundo ut doceant adverſariorum ſuorum errores tum temporis nondum editos in lucem fuiſſe, ſed in ſuis adhuc ſeminibus latuiſſe. Exempli cauſſa, nondum vetuſtis illis temporibus receptam fuiſſe Tranſſubſtantiationem, tametſi iam tum ab imprudentibus, & quorſum res evaſura eſſet ignorantibus, crederentur quæ poſtea variè à multis tractata & amplificata in tranſſubſtantiationem poſtremo exierunt. Ita neque ullam tum fuiſſe illam quam hodie videmus Papæ Monarchiam, tametſi quædam eius primordia, ac, ut ſic dicam, fibræ tum extarent, à quibus originem duxit ingens illa & ſtupenda, totique nunc orbi formidabilis, potentia; Eandem eſſe eorum quæ à ſe refutantur Eccleſiæ Latinæ dogmatum plerorumque rationem. Atque hanc revera eſſe Proteſtantium in iſtis mentem ſatis ex iis libris intelligi poteſt quos non paucos de hoc argumento ſcripſerunt hiſtoricè

ſtoricè exequentes Chriſtianiſmi tum in fide, tum in moribus & diſciplina inclinationem. Sed & hoc ipſum quod diximus ſatis eſſe videtur ad eam, quam tuentur, cauſam planè penitùſque conſtituendam. Illi enim, cùm nihil affirmativè tanquam fidei caput ad ſalutem neceſſarium doceant, quod non facile ſit ex Scriptura probare, nullo alio ad confirmandam fidei ſuæ veritatem principio opus habent. Præterea cùm omnia illa capita affirmativa, quibus eorum fides continetur, apud Eccleſiam Romanam ferè ſint in confeſſo (quod in huius operis initio diximus, nihil eos neceſſe eſt in iſtis demonſtrandis laborare. In omni enim diſputatione non demonſtrantur, ſed ſumuntur ac (ut loqui ſolemus) *ſupponuntur* ea de quibus ambæ partes conſentiunt. Si quis tamen ſcire vellet quæ fuiſſet de iis capitibus Patrum ſententia, facile Proteſtantibus eſſet oſtendere eos de his omnibus idem ſecum ſenſiſſe. Exempli cauſſa, quod ſit Deus; quod Chriſtus ſalutem nobis quæſiuit, quod idem Baptiſmum & Euchariſtiam inſtituerit, & ſimilia dogmata, quorum breue ſpecimen initio huius diſputationis dedimus. Iam quod pertinet ad cætera quæ Eccleſiaſticæ fidei dogmatis præter iſta accenſentur, ſatis eſt Proteſtantibus ea argumenta ſolvere, quæ pro illis à Romanis Theologis afferuntur, docereque talia nullo fundamento niti, meritoque adeo Chriſtianorum religione excludi. Atque hic proprie locus eſt quo Patrum teſtimonia à noſtris adhibentur, ut demonſtrent de iſtis Romanorum hodie propriis dogmatis longè aliter ſenſiſſe Veterem olim Eccleſiam. Quod ergo noſtri illi homines Patres in hac diſputatione ita uſurpant ac laudant, ex eo quidem apparet ipſos negare hodiernam Romanorum fidem planè penituſque eandem eſſe quæ Veterum Chriſtianorum olim fuit, præſertim primis quatuor aut quinque, à Chriſto in terris nato, ſeculis; quod ipſum ſane ſuperiori Eccleſiarum reformatarum de Chriſtianiſmi corruptione hypotheſi planè conſen-

taneum eſt; inde vero nequaquam conficitur Patrum à noſtris auctoritatem pro idoneo fidei fundamento haberi, quod recta, ac, ut aiunt, ex diametro cum noſtra doctrina pugnat, ut vel noſtri Theologi ſubinde teſtificantur. Quo fit ut ſatis mirari non poſſim quam quidam ex adverſariis ſequuntur in diſputando rationem, qui cum Proteſtantibus ſic agunt, quaſi ex Patribus fidem ſuam probent, cùm clarum ſit eorum conſilium ex his, non ſuam ipſorum fidem conſtituere, ſed adverſariorum ſuorum ſententiam ſubvertere. Cum enim Pontificij doctores contendant Eccleſiam Chriſtianam nunquam in fide errasse, neque eius aliam unquam fuiſſe de rebus ſacris ſententiam quàm quæ nunc eſt; Proteſtantibus ex adverſa parte ſatis eſt collatis inter ſe Patrum & Eccleſiæ Romanæ ſententiis demonſtrare diſcrimen inter eas eſſe non exiguum. Neque vero illi eo ſe obligant ad ea omnia tenenda quæ Patres docuerunt,cùm clarum ſit ex eorum hypotheſi, ipſam Veterum fidem ſuos quoque nævos habuiſſe, tametſi longè minores quàm ſunt ij qui in Eccleſiam ſequiorum ſeculorum irrepſiſſe reperiuntur. Concludamus ergo Proteſtantes, neque in Patribus, neque in eorum Scriptis, tantam auctoritatem agnoſcere, quæ ſatis ſit ac ultimam, & à qua provocare non liceat, ſententiam de hiſce controverſiis ferendam. Vnde ſequitur Patrum auctoritate, etiamſi revera tanta eſſet quanta in legitimo iudice requiritur, non potuiſſe tamen hanc litem decidi; atque adeo Eccleſiæ Romanæ Theologos ad alia media confugere debere, ut adverſariis ſuis, ea, de quibus ſupra egimus,perſuadeant.

Verùm quid fiet ſi ne ipſa quidem Eccleſia Romana in Patribus eiuſmodi auctoritatem agnoſcat? Neminem tam peruicacem futurum arbitror qui non confiteatur hanc eius methodum, qua fidem ſuam ex Patrum teſtimoniis probat,non ſolùm non ſufficere,ſed etiam omnino alienam eſſe & incommodam. Quis enim ferat ſibi eius

hominis

hominis ad fidem faciendam teſtimonium obtrudi, cujus apud utrumque fides ſit dubia & ſubleſta? Videamus ergo an Eccleſia Romana Patribus, tantum tribuat, quantum ſe iis tribuere hac methodo præ ſe ferre videtur. Enimvero non pauci eius Doctores variis occaſionibus ſatis aperrè docent Patres non pluris à ſe quàm à Proteſtantibus fieri. Nam hi quidem Patrum auctoritatem Scripturæ ſic ſubjiciunt, ut nihil pro certo atque indubitato admittant, quod Scriptura non nitatur, ea verò omnia rejicienda putent, quæ præter aut contra ipſam adſtruuntur. Illi vero Patrum ſententias ab uniuſcuiuſque ſeculi Eccleſiæ iudicio pendere volunt, ſic ut quæcunque hæc vel probat vel damnat, ipſi quoque pariter vel admittant vel reſpuant. Diſcrepant quidem inter ſe in eo quòd alii Scripturæ, alii præſenti ſui ſeculi Eccleſiæ ſummam auctoritatem tribuunt. Sed in eo utrique conueniunt, quod eam auctoritatem non minus hi quam illi Patribus negant, adeo ut incaſſum terant tempus, dum cauſam in hoc ſecundario & obnoxio tribunali agunt in quo plurimum valent rabularum artes, ac vitiligantium tricæ ac captiones! in quo ægre iudicia conſequaris, ægriúſque impetrata intelligas; in quo denique de controverſiis ſententia fertur non ſumma, ſed à qua utraque pars litigantium putat alio ſe provocare iure poſſe: cùm facile fuiſſet omiſſis adeo longis & moleſtis ambagibus, recta ad ſummum, ſiue Scripturæ, ſiue Eccleſiæ tribunali pergere, in quo & forenſibus technis minus eſt loci, & ſententiæ feruntur clariores & liquidiores, & quidem (quod ſummum eſt) hujuſmodi à quibus nulla datur provocatio.

Sed ne ſententiam iſtam Eccleſiæ Romanæ Doctoribus falſò tribuere videamur, age, ipſoſmet loquentes audiamus. Cardinalis Caietanus Præfatione in Pentateuchum de ſuis in Scripturam Commentariis agens. *Si quando*, inquit [d], *occurrit novus ſenſus textui conſonus, nec à Sacra Scriptura, nec ab Eccleſiæ doctrina diſſonus, quãvis*

[d] *Thom. de vio Cardin. Caiet. Præfat. in Pentat.*

à torrente doctorum ſacrorum alienus, rogo lectores omnes ne præcipites deteſtentur, ſed æquos ſe præbeant cenſores. Meminerint ius ſuum unicuique tribuere. Solis Sacræ Scripturæ auctoribus reſervata auctoritas hæc eſt, ut ideo ſic credamus eſſe, quia ipſi ita ſcripſerunt. Alios autem (inquit Auguſtinus) *ita lego ut quantalibet ſanctitate doctrinàque præpolleant, non ideo credam ſic eſſe, quia ipſi ita ſcripſerunt. Nullus itaque deteſtetur novum S. Scripturæ ſenſũ ex hoc quod diſſonat priſcis doctoribus, ſed ſcrutetur perſpicacius textum ac contextum Scripturæ, & ſi quadrare invenerit, laudet Deũ qui non alligavit expoſitionem S. Scripturarum priſcorum doctorum ſenſibus, ſed Scripturæ ipſi integræ, ſub Catholicæ Eccleſiæ cenſura.* Melchior Canus Epiſcopus Canarienſis.[e] poſtquam dixit ex Auguſtino *hanc fælicitatem Deum in ſolis Divinis voluminibus ineſſe voluiſſe, ut in iis non eſſet quicquam erroris,* ſubjungit, *cæteroqui nemo quantumvis eruditus & ſanctus non interdum allucinatur, non alicubi cæcutit, non quandoque labitur.* Et poſtquam eorum exemplorum quæ ſupra commemoravimus nonnulla attulit, locum ſic concludit.[f] *Legentur itaque à nobis Patres veteres cum reverentia quidem, ſed ut homines cum delectu atque iudicio.* Et paulo poſt addit,[g] *Reliqui Scriptores ſancti inferiores & humani ſunt, deficiuntque interdum, ac monſtrum quandoque pariunt, præter convenientem ordinem inſtitutumque naturæ.* Et ibidem:[h] *Ac revera ſequi maiores noſtros per omnia, & in illorum veſtigiis nos quoque pedes noſtros figere, ut pueri faciunt per luſum, nihil videtur eſſe aliud quàm ingenia noſtra damnare, iudicio nos privare noſtro & facultate inquirendæ veritatis. Sequamur veteres bene habet, ſed ut duces non ut dominos.* Ambroſius Catharinus eodem modo.[i] *Veriſſimum eſt quod ſanctorum dicta vel ſcripta in ſe non ſunt firmæ auctoritatis, ut in ſingulis teneamur illis præbere aſſenſum.* Et Ieſuitæ ipſi ſatis in variis locis docent ſe à Patrum auctoritate non adeo pendere ac vulgo creduntur. Hæ ſunt Petavij in Epiphanium ingenuæ voces.[k] *Nos ea qua par eſt moderatione in divinorum hominum, ſed hominũ, errores*

e Melchio Canus locor. Theolog. l. 7. c. 3. n. 4

f Ibid.

g Ibid. num. 7.

h Ibid. num. 10

i Ambroſius Cathar. l. 1. Annot. in Caiet. p. 273.

k Petav. in Epiph. p. 2c5.

errores ac lapſus, non tam inquirimus, quàm oblatos ultro, ac vel invitis occurrentes, ne cui fraudi ſint patefacimus: tueri autem ac defendere nihilo magis quàm eorum vitia, ſi quæ fuerint debemus. Item alibi.[l] *Multa ſunt à ſanctiſſimis Patribus, præſertimq́ à Chryſoſtomo in Homiliis, aſperſa, quæ ſi ad exartæ veritatis normam accōmodare volueris, boni ſenſus inania videbuntur.* Idem teſtatur ſe obſervaſſe *plerique veterum Patrum in variis fidei capitibus uſuveniſſe ut ante errorum atque hæreſeōn quibus ea ſigillatim oppugnabantur originem, nondum ſatis illuſtrata ac patefacta rei veritate, quædam ſcriptis ſuis aſperſerint, quæ cum orthodoxæ fidei regula minimè conſentiant.*[m] Et revera ſæpius cùm ſententias, tum explicationes eorum rejicit, ac nonnunquam quidem ſatis duriè, ut ſupra de ipſius Epiphanio annotavimus.[n] Cum ſibi alicubi Patrum nonnullorum de cujuſdam apud Lucam loci expoſitione auctoritatem cum ſua ipſius ſententia pugnantem objeciſſet, nulla eorum habita ratione reſpondet.[o] *Nec eſt quod certorum Patrum opponatur auctoritas, qui non aliud affirmare poſſunt quàm quod ex Luca didicerunt, nec eſt ulla ratio cur ex illorum verbis Lucam interpretemur potiùs, quàm ex Luca quæ ab illis aſſeuerari videtur.* Hæc ille præclarè, ut videtur, & magno cum iudicio ſcribit, tum iis quæ ſupra ex Auguſtino retulimus planè conſentanea, tum ad pleraſque noſtras controuerſias utiliſſima, de quibus, cùm nihil ipſi Patres ſtatuere potuerint, niſi quod à Scriptura haberent, verius eſt ex eruditiſſimi iſtius Ieſuitæ ſententia, eorum teſtimonia in hiſce capitibus ex Scriptura, quàm Scripturam ex ipſis explicari. Idem in alio opere [p], hodiernum Eccleſiæ Romanæ in adminiſtranda pœnitentia uſum aduerſus Arnaldum Veterem Patrum praxin objicientem defēdens, docet *Patrum traditioni & antiquitati* præferendam eſſe præſentem recentiorum in uno quoque ſeculo temporum *conſuetudinem*, quam ſcilicet, ex Ioanne Fiſchero, vult à Spiritu ſancto Eccleſiam regente proficiſci. Neque cæteri Ieſuitæ aliter loquuntur. Maldonatus, quo nemo eſt Proteſtantium acrior aut infenſior

l Id in Epiph. p. 244.

m Il. ib. p. 285.

n Supra cap 4.

o Petau in Epiph. p. 110. ext.

p l. 5. de la pœnit. c. publiq. c. 11. p. 68. 71.

adverſarius, cùm retuliſſet Patrum quorundam ſententiam exiſtimantium perperam reſpondiſſe Zebedæi filios, cùm interrogati à Domino, num poſſent poculum, quod ipſe bibiturus eſſet, bibere, & baptiſmate, quo ipſe baptizandus eſſet, baptizari, dixerunt ſe poſſe, ſubdit ille. *Malle ſe credere eos nec temere, nec inſcienter, ſed amanter & verè reſpondiſſe* [q]. Et alibi ad verſ.11. cap. 19. Matthæi; allatis expoſitionibus multorum, imò penè omnium Patrum negat *ſe adduci poſſe ut eam interpretationem ſequatur.* [r] Et tamen obſervandum loci iſtius ſenſum hodie in controverſiam vocari. Non video quomodo ſit iſte Proteſtantibus perſuaſurus, ut, quem ipſe tam ſecurè hic contemnit plurium de aliis locis conſenſum, neceſſario ſibi ſequendum putent. Alibi vero idem etiam durius ad verba Chriſti maximè omnium controverſa: *Portæ inferi non prævalebunt adverſus eam. Quorum verborum* ([s] inquit) *ſenſus non videtur mihi eſſe quem omnes præter Hilarium, quos legiſſe memini, auctores putant.* Item alibi ad verſ.11. cap.11. Matthæi. *Qui eſt minimus in regno cælorum maior eſt Ioanne Baptiſta*, allatis variis veterum expoſitionibus. *Habet* (inquit) *ex multis opinionibus quam eligat lector, ſed ſi meam quoque ſententiam avet audire, libere fatebor in nulla prorſus earũ meum qualecunque iudicium acquieſcere*, Idem ad 6. Ioan. [t] *Ammonius, Cyrillus, Theophylactus & Euthymius reſpondent, non omnes trahi, quia non omnes digni ſunt, quod nimis affine eſt Pelagianorum errori.* Salmero magni, inter Ieſuitas nominis. [u] *Argumenta petunt* (adverſarii) *à doctorum antiquitate cui ſemper maior honor habitus eſt quàm novitatibus. Reſpondetur quamlibet ætatem antiquitati ſemper detuliſſe*, &c. *Sed illud aſſerimus quo iuniores eo perſpicaciores eſſe doctores.* Et *contra hanc quam obiectant multitudinem reſpondemus* (inquit) *ex verbo Dei, Exod.23. In iudicio, plurimorum non acquieſces ſententiæ. ut à vero devies.* Cauſſinus quo nemo inter Ieſuitas Francicè eloquentior habetur. Auguſtinum (imò & ipſum Paulum) in iis quæ de gratia ſcripſerunt exceſſus

&c.

q *Maldon. in Matth.20.22.*

r *Id. in Matth. 19.11.*

s *Id in Matth. 16.18.*

t *Id in Ioan.6. v.44 p.624.*

u *Salmer. in ep. ad Rō.5. diſp. 51.p.468. co. 2.*

& intemperantiæ cujuſdam accuſare non veretur, criminis inuidiam allegorico metaphoræ ſplendore mitigans. [x] *Ingentes illi viri* (inquit) *totidem ſunt magna & immenſa maria, quæ arcano ſpiritus impetu percita intumeſcunt, & in unum littus ita penitus feruntur, ac tota incumbunt, ut alterum ei oppoſitum ſiccum deſtituant. Vt Oceanus poſtquam exæſtuans hanc plagam longè lateq; inundauit, mox paulatim in alveos ſibi à Deo definitos redit. Ita noſtri illi ubi in ſpiritus rebelles, veritati immorigeros effuſi longius excurrerunt, mox ſe recolligunt, ſeq; ad eum placidæ æqualitatis modum referũt, qui domum Dei ædificet.* His imaginibus non obſcurè ſignificar Cauſſinus vario ac inæquali motu ferri ſanctiſſimos illos viros; interdum intra veritatis & Spiritus Sancti fines fluere? interdum extra prorumpere; ultra veri vias nonnunquam abripi, mox ad ſe redire. Socij ſui mentem apertius nuper ediſſerunt ex eodem ſodalitio Pater quidam Adamus, nam in opere edito [y] ſcripſit. *Auguſtini libris tenebris & caligine quadam tegi*, [a] *doctrinam* (de gratia ſcilicet) *involutum eſſe & impeditam & huiuſmodi quæ ſe cum ipſa pugnare videatur.* [b] *Non eam fuiſſe Auguſtini in eligendis conſtituendiſq; ſententiis fœlicitatem, ut non ſit nobis liberum ab ejus auctoritate diſcedere, & alia quàm quæ ipſe defendit ſequi* [c]. *Auguſtinum vel noluiſſe animi ſui ſenſus clarè ſimpliciterq; eloqui, vel certè conantẽ id tamẽ minimè eſſe aſſecutum, ut plane intelligi poſſit quod voluerit: Illum dum adverſus Pelagium ardentius pugnat, in extrema quædam valde periculoſa delatum eſſe* [e], *ſatiſque conſtare eum de gratia & prædeſtinatione cum exceſſu locutum* [f]. Itaque Auguſtini de eo argumento opiniones *diras & agreſtes* alibi vocat [g]. Quin & hunc Ieſuitam eo progreſſum refert quidam eius adverſarius, ex Ianſeniſtarum, (ut vocant) Theologorum numero [h], ut in Sermone apud plebem Pariſienſem A. D. 1650. habito, publice dixerit *Auguſtinum obſcurum eſſe & involutum; Auguſtinum ut erat Afer, ardentiq; ingenio, modum ſæpe exceſſiſſe, dũq; gratiæ hoſtes impugnat, ultra veri fines abreptum fuiſſe.* Iidem Ianſe-

x Cour Sainte T. 3. Max. 6. de la pred. ſt. nomb. 2.

y quod inſcribi tur Calvin defait par ſoy meſme.

a Part. 3. c. 6. p. 614.

b Ibid.

c Ibid. 4. 3. p. 581.

d Ibid. c. 6. p. 615.

e Ibid. c. 7. p. 626.

f Ib. c. 8 p. 629

g Ib. c. 10 p. 66

h Defenſe de S. Aug. contre le ſermõ du Per. Adam 1650.

larminus [m] *Medinam affirmare S. Hieronymum idem omnino cum Aërianis ſenſiſſe, neque ſolum Hieronymum in ea hæreſi fuiſſe, ſed etiam Ambroſium, Auguſtinum, Sedulium, Primaſium, Chryſoſtomum, Theodoretum, Oecumenium & Theophylactum.* Baronius ubi de Veteribus Galliorum & Germaniæ epiſcopis agit, qui ante annos 800. ſub Carolo & eius filio Ludovico Pio floruerunt, & ſummo conſenſu, tum univerſi in Synodo Francofordienſi, in qua erant numero trecenti, tum ſinguli in ſuis opuſculis, ut Agobardus, Hincmarus, Valafridus Strabo, alii, Nicenæ alterius Synodi novum & inſolens de imaginum veneratione ac cultu dogma refutarunt, non dubitat, pro ſumma ſua in Antiquitatem reverentia, ſcribere eos omnes [n] *contentioſè, & animo prorſus refractario pertinaciq́; ſtudio, indefeſſo conatu, inflexibili propoſito voluntatis obſtrepuiſſe, clamaſſe & poſtremo inſaniſſe.* Ex hoc uno diſcere licet quanti iſti veterum Patrum auctoritatem faciant, quos, ſi quid contra ſuum Pontificem tendant *inſanire* & putant, & libere pronunciant. Sirmondus (quo nemo ut opinor in iſtis partibus fuit modeſtior, hic tamen & ipſe erupit; neque ſe continere potuit quin proderet, quàm nihili apud ſe ſuoſque ſit antiquitatis iudicium, quoties à Papæ Urbici placitis diſcedit. Nam eorundem illorum Patrum ſententiam, quos *inſaniſſe* Baronius rotundè dixit, hic noſter quantumvis alioqui ſobrius, & ortu ac gente Gallus, non eſt tamen veritus diſertiſſimis verbis *Gallorum hæreſin* appellare.[o] Sed ad Baronium redeo; qui Patres liberrimè paſſim reprehendit ac refutat, quoties ii aliud, quàm quod ipſe probat, ſentiunt. Petri Damiani Eccleſiæ Romanæ Cardinalis, viri & doctrinæ & ſanctitatis nomine apud Latinos iam ab annis pœne ſexcentis celeberrimi, cum plurima Baronius ex epiſtola ad Firminum Epiſcopum, Hildebrandino & Bonifaciano dogmati de temporali Papæ imperio repugnantia recitaſſet; *Huc uſque* (inquit) *de his Petrus Damiani; cui Catholica dogmata penitus adverſantur, quibus hæreſis errore notantur omnes, qui ab*

[m] Bellar. de Cleric. l. 1. c. 15.

[n] Ad A. D. 794. § 55.

[o] T. 2. Concil. Gall. A. D. 824. Annot. de Conventu Pariſ.

[p] Ad A. D. 1053. § 14.

Eccleſia Romana, cathedra Petri, è duobus alterum gladium auferunt, nec niſi ſpiritualem concedunt: iterumque mox non paucis interjectis: *Errore igitur lapſus convincitur Petrus (excuſare eum nec debemus, nec poſſumus) quem cõmuni Catholicæ totius Eccleſiæ conſenſu conſtat eſſe damnatum.* Hanc Baronii in Petrum cenſuram memorat, ac probat, Bellarminus. Vterque autem omnes fere in hoc uno Petro vetuſtiores Eccleſiæ Chriſtianæ ſcriptores, multos etiam Romæ epiſcopos hæreſeos aperte damnant Athanaſium, Ambroſium, Hieronymum, Auguſtinum, Gregorium Turonenſem, Othonem Friſingenſem, Nicolaum I. Ioannem VIII. Celeſtinum III. & alios, *qui nonniſi gladium, armaque ſpiritualia Eccleſiæ concedunt*; ut notauit, fuſeque probauit vir Romanæ communionis noſtra memoria doctiſſimus Rogerus VVidrinctonus Anglus. Iam idem quoque Baronius Vſuardo & Adoni, celeberrimis noni ſeculi ſcriptoribus, ſuperbiſſimè alicubi inequitat [p], quòd in dubio reliquerint an Sanctiſſimæ Virginis Mariæ corpus poſt ejus mortem in cœlos fuerit ſubvectum; eoſque tametſi putet in hanc ſententiam falſo Hieronymi nomine deceptos veniſſe, excuſatione tamen indignos eſſe pronuntiavit, quòd à præeunte Romanæ Eccleſiæ exemplo ac iudicio hac in parte defeciſſe ipſi videantur. Neque verò antiquioribus parcit. Theodoretum virum eruditiſſimum, verba Pauli ad Coloſſenſes de *religione* θρησκείᾳ *Angelorum*, velut in hæreticos dicta, qui Angelos olim colerent, accipientem negat [q] *fœliciter aſſecutum eſſe Pauli ſenſum*, ait *errore ſemel lapſum in alium grauiorem impegiſſe*; quòd ſcribat, ſcilicet, de his hæreticis intelligendum eſſe Laodicenæ Synodi Canonem XXXV. ac denique *nimis incautè, quæ à Catholicis eſſent inſtituta, hæreticis tribuiſſe*, dum tradit Oratoria in ea Aſiæ regione S. Michaeli Archangelo ſacra ab hæreticis erecta fuiſſe. Iſte ſcilicet mille & amplius poſt Theodoretum annis natus, meliùs quàm ipſe nouit quæ tum eſſent in Phrygia ab hæreticis, vel à Catholicis erectæ ædes. Cum Epiphanio

Ibid. §. 17.

L. de Script. Eccl. in Petr. Dam. obſ. 1.

Apol. pro iure Princ. §. 11. p. 9.

p Ad A. D. 48. §. 15. 16.

q Ad A. D. 60. §. 20.

phanio non auſo affirmare B. Virginem eſſe mortuam paulo agit benigniùs [r]. Hanc enim de Mariæ obitu dubitationem, tametſi ab Eccleſia admitti neget, Epiphanio tamen *condonandum* eſſe edicit; quod aliis ſanctiſſimis atque eruditiſſimis viris, æquè ac Epiphanio, ſæpe acciderit, vt dum ardentiori ſtudio in hoſtes inuehuntur, vehementiori impetu in contrariam partem acti lineam veritatis tranſgreſſi eſſe videantur. Pari alibi indulgentia in Gregorium Turonenſem [s] vtitur, cuius luculentiſſimum de Dionyſii Parienſis in Gallias ſub Decio, A. D. 250. aduentu teſtimonium, (quem ipſe A. D. 109. paſſum eſſe vult) cùm aliter non poſſet refellere, hæc eius ſimplicitati tam multa facilè admittenti dodanda eſſe ſcribit [t]. Sed & Hieronymo ipſi, [u] diuinam ab Hebræos epiſtolam à Latinis inter Scripturas canonicas recipi ſemel atque iterum neganti, idem Annalium Parens liberrimè obloquitur, falſumque id eſſe contendit quod ille de rebus ſui ſeculi ſuæque Eccleſiæ non ſemel tradidit, quem tamen, quòd hominem, credo, iracundum ſciret, ita placare conatur, vt hunc eius errorem Euſebio imputet cui ille, ſcilicet, nimis credulus fuerit [x]. Nempe, ſi hunc ſequimur, Hieronymus Euſebio pridem mortuo de Romanorum ſententia atque conſuetudine magis credidit, quàm ipſis Romanis apud quos diu vixerat, quorumque pars haud exigua fuerat. Cyprianum ipſum, ſanctiſſimum Chriſti martyrem, quod Stephano Epiſcopo Romano reſiſtere auſus ſit, eiuſque cenſuras reprehendere ait idem Baronius [y] *plus ſatis excandeſcere ac iurgari, & à conuitiis atque contumeliis diſputationem ſuam exordiri.* Sic & Firmalianum Cæſareæ in Cappadocia epiſcopum, virum illius memoriæ laudatiſſimum, paria de Stephani cenſuris cum Cypriano ſentientem ait [z] *iracunda igne inflammatum & furore concitum in contumelias & probra ferri præcipitem, ſemelq́ menti tetra offuſa caligine falſa a veris minùs valuiſſe diſtinguere;* eũque *patentis* (vt ipſe loquitur) *mendacij*, tum fœdæ & *in*

r *Ad. A. D.* 48. §. 12.
s *L. 1. c. 30. hiſt.*
t *Ad A. D.* 109. §. 49.
u *Hieron. ep.* 129. *in Iſai. c. 6. & de Script. Illuſtr. in Caio.*
x *Baron. ad. A.* 60. §. 48. 49. 50. 51. 52.
y *Ad. A. D.* 258. §. 37.
Ibid. §. 44. 46. 47.

Eccleſiam Romanam calumniæ, & in Stephanum *procacitatis* damnat; ac eo denique provehitur ut virum, quem *& doctrina & ſanctitate morum nulli propemodum illorum temporum ſecundum fuiſſe viſum*, quem & inter Sanctos ab uni-
a *Ad A. D.* 159 §. 3. verſa Græcorum Eccleſia coli fatetur[a] *naufragium feciſſe* dicat. Idem alibi Polycratem, Polycarpum, & Irenæum (quibus viris nihil fere habet ſanctius aut venerabilius omnis Chriſtianorum antiquitas) mendacii arguere non
b *Ad A. D.* 180. § 10. 11. 12. veretur[b], quòd Ioannem Apoſtolum tradidiſſe negarent, ut Paſcha die Dominico neceſſariò celebraretur. Sed & quæ ab Irenæo, Tertulliano, Clemente Alexandrino, Baſilio, compluribúſque aliis de reſtitutis ab Eſdra Scripturis tradita ſunt, ipſe liberè, (neque ſanè immeritò) refellit. Denique quodam loco de Petri à Paulo reprehenſi cauſa agens, *omnes auctores* (Veteres intelligit) *in alterutram ſententiam conſpiraſſe, atque in eo conveniſſe*
c *A. D. 51. §. 19* præfatus *ut vel ea cuncta ſimulatè peracta* (à Petro ſcilicet
a *Can.* 1.
& Paulo) *fuiſſe, ac ſic nullum fuiſſe Petri peccatum, vel ſeriò*
b *Act. 7. & in ep. ad Imp.*
facta eſſe, ac ſic Petrum erraſſe ſenſerint; Ipſe utramque (id
c *In termino, i. definit. de Act. 7. in al locus 3 Hadria.*
eſt omnium Patrum) ſententiam explodit, & tertiam quandam (quæ nullius Patris fuit) ſequitur planè mirabilem, dicens, *illa nec ex compoſito ab Apoſtolis facta, nec ea faciendo Petrum vel minimum deliquiſſe.* Sed quanti & hic
e *L. de 6. ætat.*
f *In Leone* 2.
& Bellarminus Patrum ſiue numerum, ſiue auctoritatem faciant ex diſputatione de Honorio Pontifice Ro-
g *L. de una & non trin. deit. p. 436. & l. 55. capit. 20. p. 45*
mano liquido intelligimus; quem cum hæreſeos vel damnent, vel damnatum à VI. Synodo agnoſcant pri-
h *Cod. 19. in Bibl.*
mo Trullani Patres CCXXVII.[a] tum Nicænæ, ſiue
i *Carm. de 7. Syn.*
VII. Synodi epiſcopi CCCL.[b] adhæc octauæ CCCLXX.[c] & præter hos Hadrianus P. R. II. cum
k *In Chron.*
l *cõtr. Nu et. T 4. Bibl. VP. p. 2 p. 24 d.*
tota illa ſua Romana Synodo, cuius in octaua generali fit mentio; [d] denique plurimi ſingulares illorum & ſe-
m *Chronſl.* 2.
quentium ſæculorum Scriptores, ut Beda[e], Anaſta-
n *In Conſtãti no* 4.
ſius[f], Hincmarus[g], Photius[h], Pſellus[i], Ado[k], Hum-
o *Annal pa* 14
bertus[l], Marianus Scotus[m], Cedrenus[n], Glycas[o], Vr-
p *In Chron.*
ſpergenſis Abbas[p], Chronici Reicherſpergenſis[q] au-
q *Ad A. D.* 679.
ctor; univerſi (ut liquet) plures quam mille & ſexaginta; hos

ta; hos tamen omnes uterque ille Cerdinalis [r], magna Binii [s] & aliorum recentiorum caterva ſtipante, libere refutant, ac vel feſelliſſe, vel falſas deceptaſque fuiſſe, licet abſque ulla rationis aut veri ſpecie; uno cauſæ Papalis ſtudio permoti, audacter tamen affirmant pertinaciterque contendunt. Quis enim iſtos heri & nudiustertius natos res Honorii, ac Synodi ſextæ melius ac certius noſſe putet, quam veteres illos, vel eius æuo proximos, vel certe ab eo multo propius diſtantes; quam noſtræ memoriæ homines? Non eſt abſimilis noſtratis Perronii inverecundia non in unum, aut alterum, ſed in ſexcentos, & quidem in celeberrima Synodo Chalcedonenſi ſedentes Patres; quos ille in euehendo & Romanæ ſedi æquiparando throno Ep^os omnes diſſimulationis, perfidiæ, prævaricationis, ac turpiſſimi mendacii damnare non dubitat [t], dum eos fingit Anatolii partim vi & minis, partim fraude & malis artibus circumuentos id præter ſuam voluntatem, ac conſcientiam decreuiſſe, quod ipſi ſe ſponte, & ex animi ſui ſententia ſtatuiſſe clara omnes voce, quidam etiam iurati, grauiter ac ſanctè frequentiſſima Synodo affirmant atque profitentur. [u] Sunt alia & horum & aliorum Romanorum loca in quibus Patrum ſententias magna libertate vel repudiant, vel etiam refellunt. Sed nihil neceſſe eſt plura congerere: ex hoc enim ſpecimine quivis non planè hebes intelligit iſtos, dum Patres de noſtris controuerſiis iudices poſtulant, ſemper intelligere ſe eorum iudicia admiſſuros quidem, ſed ea lege tamen, ne quid illi de tota hac cauſa pronuncient (præter ſuam (id eſt Papæ ſui) voluntatem ac ſententiam; Ni fecerint, ſibi ut liberum ſit atque integrum ab eorum placitis ſine fraude diſcedere, ipſoſque iudices non aliter quàm inſanos atque hæreticos contemnere. Huc denique redit omnis iſtorum de antiquitatis laudibus atque auctoritate clamor atque ſtrepitus. Hoc verò quid aliud, quæſo, eſt quàm & nobis, & ſuis, & orbi uniuerſo palàm illudere?

r Bell. l. 4. de Pont. Rom. c. 11.

s Ad 3. §. Ad. 4. §. Ad 7. Baro. ad A. D. 633. § 34. 52. Bin. ad can. Trull. 1.

s Synod. Chalced. Act. 15. can. 28.

t du Perr. Repliq. au Roy obſerv. 1. ch. 34. p. 201.

u Syn. Chalc. Act. 16. p. 459. 461. 462. 463. edit. Par. A. 1636.

Sed hanc Romanorum hominum de ſuis vnius Papæ, pro omni antiquitate, auctoritate ſententiam, quia nullus vel ſimpliciùs, vel lucentiùs expreſſit, quam Cornelius Muſſus Bitonninus in Italia epiſcopus, qui inter Patres Tridentinos non poſtremus ſedit, non videtur prætermittendum viri nobiliſſimi inſigne ea de re teſtimonium. Sic ergo ille Romam, conuerſo ad eam ſermone in Paulum Apoſtolum ſcribens, affatur. *A quo* inquit[d] *Roma, quærenda ſunt diuina concilia niſi ab illis quibus myſterium Dei diſpenſatio credita eſt? Quem ergo pro Deo habemus in his quæ Dei ſunt quicquid ipſe dixerit, tanquam Deum audire debemus. Ego, (vt ingenuè fatear) plus vni ſummo Pontifici crederem, in his quæ fidei miſteria tangunt, quàm mille Auguſtinis, Hieronymis, Gregoriis, ne dicam Ricardis, Scotis, Guilielmis. Credo enim & ſcio quod ſummus Pontifex in his quæ fidei ſunt errare non poteſt, quoniam auctoritas determinandi quæ ad fidem ſpectant in Pontifice reſidet.* Audaciùs & imprudentiùs iſta effuſa cuipiam forſan videbuntur. Sed rem penitus intuenti, rei ſpeciem (quæ vt plurimum ad deludendos imperitos accommodata eſt) contemnati patebit, ni vehementer fallor, Bitonium non minùs verè quàm ingenuè expoſuiſſe quod ſit Eccleſiæ Romanæ de Patribus iudicium, quæ cum Papam eſſe infallibilem, Patres vero errare, & decipi potuiſſe doceat, qui non videt Papam Patribus apud eam anteponi; Neque verò eſt quod quis regerat, non ab omnibus Papam infallibilem haberi. Nam præterquam quòd, qui ſententiæ iſti adverſantur, minimam & quæ minimi ſit Eccleſiæ Romanæ partem conſtituunt, iidem ipſi uniuſcujuſque ſeculi Eccleſiæ iſtud ipſum infallibilitatis ius tribuunt, quod Papæ ereptum eunt. Vt ſi Concilium nunc rite habeatur eius, (vt hi quidem putant) ſententia omnibus in vniuerſum Patribus ſuperior futura ſit. Itaque nullum eſt aliud horum à Cornelio diſcrimen, niſi quod quos illi Patres Præſulibus omnibus in Conſilio congregatis ſubjiciunt

[d] *Cornel. Muſ. epiſcop. Bitont. in ep. ad Rom. c. 14. p. 606.*

hos,

hos iſte uno omnes Papa inferiores facit. Vna tantum illa hyperbole, qua mille Auguſtinos, Hieronymos, Gregorios, ad Pontificis Romani pedes paulo (fateor) ſuperbiùs dejicit, videtur poſſe culpari, quanquam non deſit etiam quod excuſes; ſolent enim in hos plerumque exceſſus abripi optima ſinceriſſimaque ingenia. Certe à Bitontini mente non diſcedit noviſſimus Cypriani editor, vir, quod omnes ſciunt, modeſtiſſimus & eruditiſſimus, qui multa, imo plurima apud Veterum Eccleſiam ab hodierno Romæ & ſenſu & ritu diuerſiſſima pro ſuo candore obſervat; ſed ſic tamen ut antiquis præſentia anteponenda edicat; quod quid aliud quæſo eſt, quàm unum Romæ, ſiue Præſulem, ſiue cœtum, omnibus priſcis Patribus præferre; *Hoc* (inquit [c]) *certè liceat, ſcripta priſcorum legentibus obſeruare, quod illi fecerint dixerintve, unde* POSTERIORA *probentur fuiſſe* CERTIORA PRIORIBVS & HODIERNA *ſentiamus eſſe* COMMODIORA PRISTINIS. En quo tandem recidat omnis Romanorum in Patres ſedulitas, cura ac reverentia! ut, ſcilicet, Romæ ipſa etiam antiquitas cedat ac ſuccumbat, eiuſque proſtrata atque abjecta maieſtatem attollat. Ergo iſti, Patres, ſi verum amamus, eo conſulunt, non ut ſequantur, ſed ut in ordinem cogant. Verùm ipſe Eccleſiæ Romanæ uſus ſiue praxis etiam multò clarius ac certius docebit quanti ipſa Patres faciat. Enimuero ſi veterum auctoritate ſtandum eſt, ita ut nihil quod confirmarint abrogare, nihil quos ipſos latuerit uſurpare liceat, quî fit ut tam multa à Veteribus obſeruata occurrant quæ hodie in uſu eſſe deſierunt? Ad tria veluti maximè inſignia capita revocari poteſt univerſa religio, fidem ipſam, cærimonias & diſciplinam ſingula, ſi placet, ſtrictim & quantum ad inſtitutum noſtrum ſatis eſt, percurramus; patebit in tribus illis capitibus multa præter Veterum auctoritatem tum abrogata tum inſtituta.

c Obſeruat Galeata in Cypria. Not. p. 2.

Nam quòd ad primum genus pertinet in ſuperioribus

nonnulla iam eius ſpecimina protulimus. Vidimus enim eam de animarum, interea dum reſurrectio expectatur, ſtatu ſententiam; quæ & Veteris Eccleſiæ pene totius fuit, & Græcæ etiam hodie eſt, ante annos ducentos in Concilio Florentino damnatam fuiſſe ab Eccleſia Romana, ſententiamque adverſam pro fidei Chriſtianæ articulo conſtitutam. Vidimus præterea amplius quam ſexcentis à Chriſto annis in Eccleſia obtinuiſſe ut Euchariſtia infantibus ad ſalutem non minùs quàm ipſa Baptiſmi lotio neceſſaria eſſe crederetur. Id verò dogma nuper à Tridentina Synodo palàm exploſum eſt, & qui id docerent anathemati diſerte ſubiecti ſunt [f]. *Si quis dixerit paruulis antequã ad annos diſcretionis perueniant neceſſariam eſſe Euchariſtiæ communionem anathema ſit.* Tantùm ad demulcendos poſt tam atrocem contumeliam Patres, affingit iis Synodus quædam, ab iis quæ ſe illi liquido & diſertè ſenſiſſe profitentur, aliena, ut ſupra demonſtrauimus, quo illata iis injuria adeo non ſarcitur, ut potiùs geminetur. Sic enim non modo velut hæretici traducuntur, ſed inſuper velut bardi & hebetes illuduntur, quibus os oblinire facile ſit. Ab ipſo item Hieronymo accepimus ſuo tempore Chiliaſtas toleratos fuiſſe. At hodie hæreticis accenſetur. Tum quidem nemini apud Eccleſiam fraudi erat animæ humanæ originem ex traduce repetere, eamque opinari de parte in filium per generationem propagari. At id ipſum hodie graviſſimus error habetur. Cenſebant Veteres [g] *non poſſe illæſa Scripturarum auctoritate hominis in Eccleſia pendere imaginẽ, neque debere picturas eſſe in Eccleſia ne quod colitur & adoratur in particibus depingatur* [h]. Planè contraria eſt Concilii Tridentini ſententia [i], *Imagines Chriſti, Deiparæ Virginis, & aliorum ſanctorum, in templis præſertim, habendæ & retinendæ, iiſq; debitum honor & veneratio impertiendã:* Patres quidem nonnulli, ut Chryſoſtomus (quod ſupra annotavimus) videntur peccatum originale negaſſe, alii ab eo ſanctos quoſdam immunes fuiſſe putaſſe, ut Philaſtrius,

f *Concil. Trid. ſeſſ. 21.*

g *Epiph. epiſt. ad Ioann. Hieroſol. in T. 2. p. 317. c. 2 cũ ergo hoc vid ſſem in* B *[illegible]-Chriſti con[illegible] vel ri-tatẽ Scripturarũ hominis pẽdere imaginẽ, &c.*

h *Cõc. Eliber. c. 36. Placuit picturas in Eccleſia eſſe non debere ne quod colitur aut adoratur in parietibus depingatur.*

i *Concil. Trid. ſeſſ. 25. Decreto de Invocat. Sanctorum.*

laſtrius [k], qui pro abſurdo habet *iuſtos tot tantoſque in iniquitate conceptos dici, cùm*(inquit)*in ventre ſanctificati ſint, ut Patriarchæ, Prophetæ, Iudices, Ieremias, & Ioannes Baptiſta beatiſſimus:* Sed his exceptis, & ſimilibus, quos perperam de hoc fidei capite ſenſiſſe confeſſum eſt, cæteri omnes quantum quidem ex eorum ſcriptis colligere poſſumus, Beatam Virginem in peccato originali conceptam cenſuerunt [l]. Si eos pro iudicibus habuerunt Tridentini, cur veriti ſunt ne cum iis in hoc argumento ſentire viderentur? Cùm enim in decreto ſuo ſtatuiſſent, peccatum illud, quod propagatione, non imitatione, ab Adamo in omnes transfunditur, omnibus & vnicuique proprium ineſſe, declarant poſtremò, *non eſſe ſuæ intentionis comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, Beatam immaculatam Virginem Mariã Dei genitricem* [m]. Quæ verba nulla ratione ita explicari poſſunt, quin Patribus omnibus fœdè impingatur error. Si enim Virginem Mariam, ſine peccato conceptam volunt, contradictoriam eius, in qua Patres fuerunt, ſententiæ ponunt ac definiunt, quo nihil durius ad Patres erroris arguendos pronuntiari potuit. Si vero ſimpliciter ſignificant (tametſi verba quibus uſi ſunt hunc ſenſum vixferant) non eſſe certò verum B. Virginem in peccato conceptam, honeſta oratione bonos illos Patres, id quod dubium erat, pro certo affirmaſſe, & quod problematicum tantũ erat, pro indubitato habuiſſe dicunt. Synodus Laodicena Codici Canonum Eccleſiæ uniuerſalis inſerta Veteris Teſtamenti Canoni non niſi viginti duos libros adſcribit, Tobiam, Iudith, Sapientiam, Eccleſiaſticum, & Maccabæorum utrumque prætermittit, Canoneque adeo excludit [n]. Melito Sardenſis Epiſcopus [o], Origenes [p], Cyrillus Hieroſolymitanus [q], Gregorius Nazianzenus [r], Hilarius [s], Epiphanius [t] in eadem ſunt ſententia, quibus etiam ſuccinunt Athanaſius [u], Ruffinus [x], & Hieronymus [y]. Hoc tamen decretum condere non dubitavit Concilium Tridentinum. *Si quis libros*

k D. hæreſib. c. 69.
l Amb. ... Auguſt. Chryſ. & c ... quibus vide Mel. Can. Canũ de locis Theolog. l. 7. num. 3.
m Concil. Trid. ſeſſ. 5. Decreto de ...
n Conc. ... Can. ... Eccleſ. uniuerſ. ...
o Melito ... Euſeb. h. l. 4. c. 27.
p Orig. ... Euſeb. h. ... Eccl. l. 6. c. 26 & in Philocal. c. 3.
q Cyrill. Hieroſol. Catech. 4.
r Gregor. Nazi. Car. n. 33. T. 2. p. 98.
s Hilar. Præfat. in Pſ. ... col. 1.
t Epiph. l. de ponde. & menſ. T. 2. p. 1 ...
u Athanaſ. ep. feſt. T. 2. p. 38 39. & Synop. Script. p. 58.
x Ruff. expoſ. Symb. n. ... Cypr. p. 52
y Prolog. Galeato, & Prolog. in lib. Salom. Ad Chrom. & Heliod. & P. ... E ...

iſtos integros cum omnibus ſuis partibus, prout in Eccleſia Catholica legi conſueuerũt, & in Veteri vulgata Latina editione habentur, pro ſacris & Canonicis nõ ſuſceperit, &c. Anathema eſto.[z] Præter quam quod graui iniuria pullant tot antiquiſſimos clariſſimoſque; Patres, imò & primitiuam Eccleſiam totam, quæ Laodicenum illud decretum inter Canones ſuos uniuerſales retulit, quoddam aliud dogma inter Chriſtianos hactenus inauditum, hic procudunt, dum, ſcilicet, jubent Bibliorum vulgatam verſionem in Eccleſia eſſe Canonicam & authenticam. Concilij ſecundi uniuerſalis C L.[a] & quarti D C X X X. Patres, exiſtimant [b] Veteres ſedem Romanam ſuprà omnes aliàs euexiſſe, quod Vrbs Roma rerum in ſeculo potiretur, ac dignitate regia ſupra omnes alias emineret. Itaque ſimili de cauſa ſedem Patriarchalem Conſtantinopolitanam cum illa exæquant, quod in eodem honoris & dignitatis faſtigio Vrbs Conſtantinopolis cum vetere Roma conſtituta eſſet. Hodie verò *anathema, maran-ata* cẽſetetur quiſquis quippiam eiuſmodi doceret, quique Pontificium primatum aliò referret, quàm ad *TV ES PETRVS & PASCE OVES MEAS.* Conſilium Tridentinum anathema dicit iis qui negant epiſcopos presbyteris ſuperiores[c] Ea tamen certiſſima fuit Hieronymi[d] & aliorum multorum Patrum ſententia. Supra iam à nobis dictum eſt Romam olim Græcos, quod Spiritum ſanctum non de Filio, ſed de ſolo Patre procedere contenderent, excõmunicaſſe. Et tamen Theodoretus qui id ipſum diſertè ponit, vt ſuperiote capite vidimus, à Vetere Eccleſia, & maximè à Leone Papa, velut Orthodoxus & Catholicus habitus fuit. Nulla ab eo extorta vel quæſita huius ſententiæ purgatione aut reuocatione. Plurima eiuſdem, generis congeri poſſent in quibus à Vetere Eccleſia diſceſſerunt Pontificij, ſed hæc ſufficiunt ut pateat iſtos minimè gentium putare ſummam eſſe debere veterum de fidei rebus auctoritatem.

z Conc. Trid. Seſſ. 4. Decreto de Can. Script.

a Conc. Conſtantino 1. Can. 3. τὸν μὲν Κωνσταντινουπόλεως ἐπίσκοπον ἔχειν τὰ πρεσβεῖα τῆς τιμῆς μετὰ τὸν τῆς Ῥώμης ἐπίσκοπον διὰ τὸ εἶναι αὐτὴν νέαν Ῥώμην.

b Cõcil. Chalced. c. 28. Καὶ γὰρ τῷ θρόνῳ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης διὰ τὸ βασιλεύειν τὴν πόλιν ἐκείνην οἱ πατέρες εἰκότως ἀποδεδώκασι τὰ πρεσβεῖα, &c. τὴν βασιλείᾳ καὶ συγκλήτῳ τιμηθεῖσαν πόλιν καὶ τῶν ἴσων ἀπολαύουσαν πρεσβείων τῇ πρεσβυτέρᾳ βασιλίδι Ῥώμῃ, ἐν τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς, ὡς ἐκείνην μεγαλύνεσθαι πράγμασι.

c Conc. Trid. Seſſ. 23. cap. 4. Et Can. 7. Si quis dixerit Epiſcopos non eſſe Presbyteris ſuperiores, &c anathema ſit.

d Hieronymus paſſim vide ſupra l. 1. cap. ultim.

Nunc ad ritus & cærimonias veniamus. Primas tenet Baptiſmus, qui è conditione naturæ eductos, nos Chriſto inſerit. Olim in Eccleſia in aquam mergebantur qui baptizabantur. Tertulliano[e], Cypriano[f], Epiphanio,[g] & aliis teſtibus; quin etiam ter mergitari ſolenne fuiſſe tradunt Tertullianus[h], & Hieronymus[i], qui mos etiam hodie apud Græcos quidem & Ruſſos obtinet: à Romanis verò, quantumuis antiquus & pene uniuerſalis, iampridem abrogatus eſt. Eo fit ut Moſcouitæ Latinos rite baptizatos negent[k], quòd in eorum baptiſmo minimè adhibita fuerit trina illa merſio quam ipſi, ut potè olim à Ioanne Metropolitano ſuo, ut putant, Propheta[l] præceptam ſumma religione obſeruāt, planeque neceſſariam exiſtimant. Ne Gregorius quidem Monachus Græcus, Florentinæ conciliationis aſſertor vehemens, negat trinam illam merſionem eſſe in baptiſmo neceſſariam, in reſponſione ad Marcum Epheſinum Epiſcopū[l]. Egreſſis è baptiſmate lactis & mellis in Veteri Eccleſia, prægustanda offerebatur concordia, ut patet, tum ex iiſdem auctoribus[m], tum ex Suſannæ Martyris Veteribus apud Baronium Actis[n], & poſt baptiſmum paruulis æquè ac adultis Euchariſtia ſtatim porrigebatur, unde reſtat apud Æthiopes[o] mos Euchariſtiam in os infantium recens baptizatorum ingerendi. Quid apud tantos Antiquitatis adoratores iſtis ritibus factum eſt? ubi lac illud? ubi mel? ubi Patrum ſtatim à baptiſmo Euchariſtia? Hæc vero etſi uſu apud Veteres olim recepta Romæ pridem ſepulta iacent. Olim baptiſmus puerorum, & adoleſcentium vulgò differebatur, ut apparet ex hiſtoria de Conſtantino magno[p], Conſtantio[q], Theodoſio[r], Valentiniano & Gratiano apud Ambroſium[s] & in Gregorij Nazianzeni[t] & Baſilij[u] de hoc argumento homiliis. Imò quidam Patres differendum ſenſerunt, ut de Tertulliano ſupra obſeruauimus. Qui fit ergo ut ne veſtigia quidem iſtius conſuetudinis in Eccleſia Romana ſuperſint, ut etiam. veluti parum pium, exhorreſce-

e Tertull. l. de cor. mil. c. 3.
f Cypr. e. 76. p. 711. B. vide ibi Pame.
g Epiph. Panar. Hær. 30. p. 128.
h Tertull. l. de cor. mil. c. 3. & l. adu. Prax. c. 26.
i Hier. dial. adu. Lucif. T. 2. p. 187. In lauacro ter capu mergitamus.
k Caſſand. l. de Bapt. Inf. p. 693.
l Gregor. Monach. Proſyn. in Apol. cont. ep. Marc. p. 121. E. T. 4. Conc. Gen. [Greek, illegible]
m Tert. ll. & Hieron. ubi ſupra. Deinde egreſſus lactis & mellis prægustare concordiam.
n A D 394 §. 9.
o Aluarez in Æthio. deſcrip. cap. 22. fol. 97.
A tutti quelli che battezano coſi maſchi come femine, danno il ſacramento in poca quantità.
p Euſeb. de vita Conſt. l. 4.
q Socrat. Hiſt. Eccl. lib. 2. c. 37.
r I. 4. c. 6.
s Ambroſ. Orat. de obit. Valentin. T. 1. p. 9.
t Gregor. Naz. Orat. 40.
u Baſil. homil. εἰς Βάπτισμα προτρ.

tent, ſi quis eam ad uſum revocare vellet? Mitto Baptiſmi tempus, qui in Veteri Eccleſia haud ferè alias quàm in Vigiliis Paſchatis & Pentecoſtes adminiſtrabatur. Mitto & univerſam cerei Paſchalis cærimoniam & veſtes candidas quas baptizari tota poſt Paſcha hebdomada gerebant [x], quòd hæc leviora videri poſſint, quæ tamen ſi humanæ auctoritatis, non rerum ipſarum, ratio habeatur, non video cur non æquè retenta fuerint, ac exorciſmi & abrenuntiationes & cætera huius generis quæ infantibus recens natis omnino, ſi verum fateri licet, præter decorum & à Veteribus olim adhibita ſunt, & nunc à Latinis adhibentur. Sed & Veterum de Baptiſmi miniſtro traditio apud iſtos mutata eſt. Concilium Carthaginenſe IV. (ut eſt à Petavio obſervatum [y]) vetabat olim *ne mulier baptiȥare præſumeret*[z]. Baptiſmum ab homine laico miniſtratum Baſilius [a], in epiſtola ad Amphilochium, (quam omnis Græcia pro authentica & habuit ſemper & nunc etiam habet) irritum, ac (ut loquuntur) nullum cenſere videtur, quod idem quoque Petavius annotauit. Eliberitana [b] quidem Synodus baptiſmum à bigamo, etiam ingruente neceſſitate, miniſtrari diſertè vetat [c]. Auguſtinus [d] vero de baptiſmo ab homine, qui ipſe tinctus non fuerit, miniſtrato dubitat, an is valere debeat, quod utrumque eſt ab eodem Ieſuita animaduerſum [e]. Atqui omnes ſciunt apud Romanos hodie licere & mulieribus, & quibuſvis viris, laicis, bigamis, catechumenis, imo etiam Iudæis & Paganis baptiſmum in neceſſitate adminiſtrare. Iam Euchariſtiam Caſſander liquidò demonſtrat [f] ex pane & vino, à pia plebe oblatis, in veteri Eccleſia factam fuiſſe, panem in varia fruſtula fractum, deinde conſecratum & fidelibus diſtributum fuiſſe. At uſus contrarius invaluit, non enim amplius conſecratur (ut olim) panis à fidelibus oblatus, ſed panis azymus, orbicularis, & in denarij formam effictus, quod acriter in Veteri Romani ordinis expoſitione reprehenditur. [g] Huc quoque pertinet, quod cum

x Caſſand. in hymno p. 227. 228.

y De la pen'i. publ. l. 2. c. 5. p. 171.

z Concil. Carthag. 4. Can. 100.

a Can. 1.

b ubi ſupra.

c Can. 83.

d L. 1. cōtr. Ep. Parmen. c. 13

e ubi ſupr.

f Caſſand. in Liturg. c. 26.

g Ibid. pag. 60. & xir. 61.

cum omnis Eccleſia, Græca quidem ad hunc diem, Latina vero ad poſtrema uſque noni ſæculi tempora (quod doctiſſimus [g] Sirmondus contra Baronium & alios propria nuper diſſertatione valide aſſeruit planeque demonſtrauit) euchariſtiam in pane fermentato confeciſſe deprehendatur: Romanos conſtat iam inde ab undecimo ſæculo adulto veterem morem pro ſua libidine mutaſſe, inſtituiſſeque ut id ſacramentum in azymo (quod apud eos omnes hodie in uſu eſt) celabraretur. Iam is, de quo nuper diximus, Caſſander [h] fuſè explicat quomodo in Veteri Eccleſia oratio canonica & Euchariſtiæ conſecratio clara voce ita recitaretur, ut facile plebs audire & ad eas Amen reſpondere poſſet, quas, ut notum eſt, voce adeo ſubmiſſa ſacerdotes hodie pronunciant [i], ut eas nullus audiat, unde fit ut ea Liturgiæ pars *ſecreta* dicatur. Supra obſeruauimus [k] veteres ſummo ſtudio ſancti iſtius ſacramenti materiam & myſterium texiſſe, ita ut nunquam illud coram catechumenis, vel infidelibus celebrarent; nunc verò nullæ ſunt huiuſmodi in miſſa Romana cautiones. Etiam Iudæis, Gentilibus & Mahumetanis præſentibus Euchariſtia celebratur, nulla veterum iſtorum canonum habita ratione. Quin & eo progreſſi ſunt, ut veluti Antiquitati, quæ Sacramentum hoc ſtudioſè occultabat, oppere vellent, id hodie publicè oſtentent; & per vicos quotidie, quotannis ſemel atque iterum magna ac ſingulari pompa, in ſolennibus ſupplicationum proceſſionibus geſtent ac circumferant: quæ quidem cærimonia inter Chriſtianos recentiſſima eſt, Veteribus adeo ignota, ut etiam monſtri inſtar apud eos futura fuerit. Ita maiorum inſtituta in auras abierunt, quorum nunc locum noua neſcio quæ omni antiquitati inaudita occupant. Verùm idem Caſſander [l] probat Euchariſtiam, non niſi coram iis qui eius participes fiebant olim celebratam fuiſſe: cæteros vero maturè ſeceſſiſſe. Chryſoſtomus quidem acerrimè in eos inuehitur qui, cùm ſacris cœtibus intereſſent, ad ſacram ſyna-

[g] Sirmond. diſſertat. de azymo.

[h] Id. Ibid. art. 28. p. 3. 64.

[i] Conc. l. Trid. Seſſ. 22 cap. 5. can. 9.

[k] Lib. 1. 5.

[l] Caſſand. in Liturg. [illegible] 55. 57. cap. 26.

ximnon accedebant. Etiam hodie in Liturgia Æthiopica finito Evangelio, clamat Diaconus. *Exite foras qui non vultis accipere ſacramentum. Ite catechumeni*[m]. Et denuo poſt cantatum ſymbolum. *Qui communicare non vultis, diſcedite.*[n] Nunc vero apud Latinos qui Miſſæ interſunt rarì communicant, una iis cura eſt ſacramentum non ſumere, ſed adorare. Vnde hæ locutiones natæ, *Audire Miſſam,* & *videre Miſſam.* Dicebat Chryſoſtomus[o] *Quiſquis myſteria non participat, impudenter & temere hic adſtat,* &c. *Dic mihi ſi quis ad conuiuium vocatus manus lauet & ſedeat, & ad menſam ſe comparet, ſed eorum quæ appoſita fuerint particeps non fiat. Nõne iniuria afficiet eum à quo vocatus eſt? Nonne praſtitiſſet nunquã acceſiſſe? Sic tu etiam huc te contuliſti, hymnũ cum omnibus ceciniſti, & in eo quod cum indignis nõ receſſiſti, te dignũ eſſe profeſſus es: Quomodo cùm manſeris menſæ particeps non ſis?* Et quæ ſequuntur apud Chryſoſtomum. Si eiuſmodi verba hodie concionator haberet, nonne ridiculus haberetur? Nimirum hodie (quod omnes vident) longè aliter quàm olim viuitur, alia à vetere conſuetudo inualuit. Sole meridiano clarius eſt in uniuerſa priſca Eccleſia licuiſſe fidelibus Euchariſtiam è ſacro cœtu domum deferre, eamque donec ſumere liberet, clam apud ſe habere, unde eſt quod Tertullianus pleriſque qui ſtationum diebus non putabant orationibus interueniendũ, quod ſtatio ſolvẽda eſſet accepto corpore Domini, auctor eſt,[p] *ut acceptũ corpus Domini reſervẽt, & ſic utrumque ſalvũ fore, & participationem ſacrificij, & executionem officij.* Idipſum etiam patet ex hiſtoria quam narrat Cyprianus,[q] de muliere quadam quæ cùm arcam ſuam, in qua Domini ſanctum fuit, manibus indignis tentaſſet aperire, igne inde ſurgente deterrita eſt, ne auderet attingere: Baſilius Cypriano longe recentior in epiſtola ad Patritiam ſatis teſtatur eam conſuetudinem ſuo adhuc ſæculo in Eccleſia obtinuiſſe; quod Petavius * etiam diſerte confitetur; idquè inſuper luculentiſſime confirmat Baſilii æqualis Ambro-

m Liturg. Aethiop.

n Ibid.

o Chryſ. hom 3. in ep. ad Eph. T. 3. p. 778. edit. Savil. πᾶς γὰρ ὁ μὴ μετέχων τῶν μυστηρίων ἀναίσχυντος καὶ ἰταμῶς ἑστηκώς, &c. εἰπέ μοι εἴ τις εἰς ἑστίασιν κληθεὶς τὰς χεῖρας νίψαιτο, καὶ κατακλιθείη, καὶ ἕτοιμος γένοιτο πρὸς τὴν τράπεζαν, εἶτα μὴ μετάσχοι, οὐχ ὑβρίζει τὸν καλέσαντα; οὐ βέλτιον τὸν τοιοῦτον μηδὲ παραγενέσθαι; οὕτω δὴ καὶ σὺ παραγέγονας. τὸν ὕμνον ᾖσας μετὰ πάντων, ὡμολόγησας εἶναι τῶν ἀξίων, τῷ μὴ μετὰ τῶν ἀναξίων ἀναχωρῆσαι. πῶς μένων οὐ μετέχεις τῆς τραπέζης.

p Tertull. l. de Or. 14 p 183.

q Cypr. de lapſ. p. 244. B.

* de la Penit. publ. l. 1. c. 7. p. 94.

Ambroſius, dum narrat fratrem ſuum Satyrum in naufragio conſtitutum [r] *non mortem metuentem, ſed ne vacuus myſteriis exiret è vita, quos initiatos eſſe cognouerat, ab his divinum illud fidelium ſacramentum popoſciſſe, non ut curioſos oculos inſereret arcanis, ſed ut fidei ſuæ conſequeretur auxiliū; etenim ligari feciſſe in orario, & orarium inuoluiſſe collo, atq; ita ſe deieciſſe in mare* & ex undis enataſſe. Cur hunc morem Roma, ſi Patres verè veneratur, non ſervavit? Cur quod olim adeo frequens fuit nunc adeo improbatur, ut ſine ſacrilegio, ac huius, ut ait Petavius, [s] ſacramenti profanatione ferri non poſſe videatur, ut ne ſanctì monialibus quidem ipſis concedatur ut in cœnobio ſuo, ac ne in choro quidem, aut uſquam alibi publicè in Eccleſia ſacramentum aſſervent? Docet præterea Ambroſius tum temporis fas fuiſſe Euchariſtiam mari deportare, quem tamen morem, licèt antiquum, adeo auerſatur Eccleſia Romana, ut religioſum putet ſacramentum ſuper ullis aquis, ſiue in fluvio, ſiue in mare habere. Illa ipſa conſuetudo ſacramentum priuatim aſſervandi, liquidò oſtendit fideles olim ipſum manibus accepiſſe, quod etiam ex Tertulliano conſtat. Inuectus enim in Chriſtianos ſtatuariam, vel picturam, factitantes, criminatur eos quòd *eas manus admoverent corpori Domini quibus dæmonis corpora contuliſſent* [t], id eſt quibus idola fabricaſſent. Cyprianus multa paſſim habet in hanc rem diſertiſſima [u] id ipſumque teſtatur Gregorius Nazianzenus Poemate ſexageſimo tertio [x], & Concilij Conſtantinopoli in Trulla celebrati ab anno Chriſti DCLXXX. primus & centeſimus canon ſancit [y], ut *ſi quis voluerit communicare de corpore Chriſti manus in formam crucis figuret, & ſic adeat, & ſuſcipiat gratiæ communionem:* quod etiam uſu receptum iam erat Cyrilli Hieroſolymitani temporibus. Nemo tamen neſcit aliam iam eſſe communionis iſtius rationem, & fideles Euchariſtiam, non manu, ſed ore accipere, in quod ab ipſo ſacerdote ingeritur. Pervelim etiam doceri quo Veteris Eccleſiæ canone in-

r Ambr. de obitu Satyr. p. 19. T. 3.

s Pe an de la Penit publ. l. 2. c. 7. p. 200.

t Tertull. l. de Idol. c. 7.

u Cypr ep 56. pag. 130. B. lib. de bono patientiæ, pag. 316. B.

x Gregor Nazianz. carm. 63. [illegible]

y Synod. Quinisext. can. 101. [illegible]

ſtitutæ ſint Miſſæ illæ ſolitariæ, quæ ſingulis diebus fiunt & canuntur, in quibus, præter miniſtrum qui conſecrat, nemo communicat, & qui cum reverentia Antiquitati debita convenire poſſit Concilij Tridentini Canon.[a] *Si quis dixerit miſſas in quibus ſolus ſacerdos ſacramentaliter communicat illicitas eſſe, ideoque abrogandas eſſe, anathema ſit.* Cùm ignotæ fuerint in vetere Eccleſia, ut Caſſander, in conſultatione ad Imperatorem, fusè probat.[b] Verùm nihil Antiquitatis ſtudioſos æquè malè habet ac conſuetudo illa qnam decretis & canonibus diſertis Eccleſia Romana in duobus conciliis ſuis generalibus, altero Conſtantiæ[c], altero Tridentini[d] habitis inuexit & inſtituit, de nullo præter eum unum qui conſecrat, ad calicis Euchariſtici communionem admittendo. Arcet enim ab eo laicos primùm, tum & ſacerdotes ipſos, & alios Clericos qui ſacramentum non confecerunt, cùm univerſa Eccleſia antiqua per quadringentos & mille annos ad ſacri & benedicti calicis ſanctam communionem non minùs utroſque adhibuerit, quàm ad ſacri panis participationem, quod duo iſta Concilia in Præfatione nouellæ ſuæ conſtitutionis diſertè ipſa confitentur[e]. Imò hic uſus etiamnum hodie viget, inter omnes totius orbis Chriſtianos, Ruſſos; Græcos[f], Armenos, Æthiopes[g], Proteſtantes[h] & alios, ſolis exceptis ex communione Romana Latinis. Perauius quidem[i] *hanc ſub utraque communicandi praxin, & Apoſtolorum temporibus obtinuiſſe, & pluribus in Eccleſia ſeculis retentam fuiſſe* confitetur: idque ſcribit *negari non poſſe niſi ab homine inſigniter ac ſupra omnem modum, vel impudenti, vel certè imperito.* Sed præter quàm quòd hanc ſub utraque (ut hodie loqui mos eſt) ſpecie communionem; concedebant veteres, non videntur (quod longè maius eſt) niſi in caſibus quibuſdam extraordinariis communionem ſub una ſpecie permiſiſſe. Quod ſi aliter fuiſſet, non monuiſſet Leo Papa hac nota Manichæos à Catholicis internoſcendos[k]. *Cùm ad legendam infidelitatem ſuã noſtris audent* (inquit) *intereſſe myſteriis,*

a *Concil. Trid. Seſſ. 22. c. 6. & can. 8.*

b *Caſſand. Conſult. ad Ferdin. &c p. 995. & in Liturg p. 83. c. 33.*

c *Concil. Conſtant. Seſſ. 13.*

d *Concil. Trid. Seſſ. 21. c. 1 & 2. Can. 2.*

e *Ibid. cap. 2. Licet ab initio Chriſt. ana religionis non infrequẽs utriuſque ſpeciei uſus fuiſſet, &c.*

f *Ieremi. Patr. Cõſtã. in. Reſp. 1. ad VVitteb.*

g *Alio es in deſcr. Aethiop. c. 11 f. 193. B. Quãti cõmunicant e. l corpo, ſi cõmuni ano ã. h: ul ſãgue.*

h *Conf ſſ. Eccleſ. Anglic. art 12.*

i *Petau. de la pen : publ. l. 2. c. 5. p. 67.*

k *Leo 1 Pa. Ro. Serm. 4. de Quadrag. p. 108.*

myſteriis, ita in ſacramentorum communione ſe temperant, ut interdum tutiùs lateant, ore indigna Chriſti corpus accipiunt, ſanguinem autem redemptionis noſtræ omnino haurire declinant: quod ideo ſubjungit Leo) *veſtram volumus ſcire ſanctitatem, ut vobis huiuſmodi homines his manifeſtentur indiciis.* Si nunc Leo viueret, & iſtorum miſſas videret, putaret profectò Romanos ſuos, exceptis Sacerdotibus conficientibus, omnes eſſe Manichæos. Eodem quoque pertinet nobile Gelaſij Pontificis Romani decretum [l]. *Comperimus quod quidam ſumpta tantummodo corporis ſacri portione à calice ſacri cruoris abſtineant qui proculdubio (quoniam neſcio qua ſuperſtitione docentur obſtringi) aut integra ſacramenta percipiant, aut ab integris arceantur, quia diuiſio unius eiuſdem meſterij ſine grandi ſacrilegio non poteſt prouenire.* Huc accedit quod Ibæ Edeſſeno Epiſcopo [m] accuſatores inter cætera objiciunt, quod vinum altari tam parcè ſubminiſtraret, ut cùm id aliquando, communicata exigua plebis parte, repente defeciſſet, qui ſanctum corpus diuidebant, eo intrare iuſſerit, quòd de ſanguine Domini nihil ſupereſſet. Nihil neceſſe erat ob vini penuriam myſteriorum celebrationem ſoluere, ſi ſolo pane, ſine vini ſpecie, communio fieri potuit. Si apud Conſtantienſes & Tridentinos ſumma habita fuit Patrum auctoritas, cur illi, quod ab his tam diu tamque conſtanter ſeruatum fuit, abrogauerunt? Quomodo item cum debita antiquitati reuerentia hic poſtremi Concilij Canon conciliari poteſt? [n] *Si quis dixerit ſanctam Eccleſiam Catholicam non iuſtis cauſis & rationibus adductam fuiſſe, ut Laicos atque etiam clericos non conficientes ſub panis tantummodo ſpecie communicaret, aut in eo erraſſe, anathema ſit.* Ægre enim videtur Eccleſia recens poſſe abſolui, quin antiqua damnetur, cùm factis contradictoriis inter ſe liquido pugnent: prohibet enim recens quod antiqua concedebat: Imo (ut ſane videtur) antiqua prohibebat, quod recens imperat. Quomodo alteram iuſtas habuiſſe rationes confirmabis, quin illico alteram iis caruiſſe, vel

[l] *Gelaſ. I. in Ma. Epiſ. Decret. de cõſecr. diſt. 2. c. 12.*

[m] *Act. Concil. Chalced. Act. 10. p. 356. E. T. 2. Concil. Gen.* ὥστε τοῖς τὸ ἅγιον σῶμα διανέμουσιν ἐνδοῦναι εἰσελθεῖν αὐτόθι· ὡς τὸ αἷμα τοῦ μὴ δι' εἶναι μένον.

[n] *Concil. Trid. Seſſ. 21. Can. 2.*

iniuſtas habuiſſe aſſeueres, cùm conſter, neque tempus, neque ipſum hominum genus à ducentis annis immutatum eſſe? Nulla enim in recentiorum gratiam fingi poteſt ratio, quæ veteres non adſtrinxerit, neque pariter ulla afferri quæ Veterum contrario inſtituto faueat, quæ recentiores tenere & flectere non debuerit, adeo ut neceſſariò oporteat hos vel illos erroris, vel ſaltem negligentiæ aut inſcitiæ reos teneri. Supereſt ergo ut dicamus Romam, quandoquidem ſe infallibilem contendit, veterem Eccleſiam inſcitiæ vel ſaltem iniuriæ damnare, quod perpatum mihi convenire videtur iis qui nihil præter antiquitatis reverentiam clamant. Atque hic amplum meditandi campum habent qui verè ſunt antiquitatis ſtudioſi: Nam de rationibus quidem (inquiunt) quæ ultimi Concilij Patres permoverunt quomodo iudicare poſſumus, an eæ iuſtæ ſint, necne, cùm nullas illi ediderint? Veterum verò rationes, in quodam libro ad finem operum Caſſandri [o] Pariſiis excuſo expoſitæ, firmæ ſunt & perſpicuæ, totæque ut videtur, ſapientiam & charitatem redolent, ſed nihil neceſſe eſt nos in iſtis diutius immorari. Satis eſt ad inſtitutum noſtrum quod hinc conſtet Eccleſiam Romanam antiquiſſimum ritum abrogaſſe. Præter cærimonias iſtas apud Patres in Baptiſmo & Euchariſtia receptas, plurimæ aliæ, quæ olim etiam in uſu fuerunt, ſublatæ ſunt. In eo ordine ieiunium Sabbathi non colloco, licèt Romæ obſeruatum fuerit præter reliquæ uniuerſæ Eccleſiæ morem, quæ illud pro piaculo habebat, hæc enim diuerſitas iam ipſius Auguſtini temporibus cernitur [p], ac proinde Romæ recentiori tribui non debet. Eadem ratione taceo quæ Firmilianus [q] ſuo tempore, id eſt, anno quinquageſimo & ducenteſimo à Christo nato, ſcribebat. *Eos qui Romæ eſſent non ea in omnibus obſeruare quæ eſſent ab origine tradita, & fruſtra Apoſtolorum auctoritatem prætēdere.* Sed hic tacere nō debeo inter omnes Chriſtianos olim more receptum fuiſſe, ut, neque die Dominica, neque Paſchate ad Pentecoſtem, in

o *Inter opera Caſſ. p. 1019.*

p *Auguſt. T. 2 ep. 86. ad Caſulã. p. 74. D 75. M.*

q *Firmil. in ep. ad Cypr. quæ eſt inter ep. Cypr. 75. p. 199.*

in genua procumberent. Id inſtitutum in Eccleſia Romana univerſa penitus abrogatum eſt, quod tamen, ſive ob antiquitatem, ſivè ob auctoritatem eorum apud quos receptum & commendatum fuit, nullus pene ritus venerabilior occurrit. Ejus enim memini vetuſtiſſimus Quæſtionum & reſponſionum apud Juſtinum Scriptor,[s] & rationem reddit, probatque ex quodam Irenæi loco & à temporibus Apoſtolicis initium ejus repetit, Tertullianus[t] quoque meminit, & Epiphanius[t] & Hieronymus,[u] & morem inter Eccleſiæ inſtituta cenſent. Ipſa quinetiam (quod longè majus eſt) ſanctiſſima Synodus univerſalis Nicæna diſerto canone ritum illum confirmavit. *Quandoquidem ſunt quidam* (inquiunt CCCXVIII. iſti venerandi Patres[x]) *qui die Dominica genu flectunt & in Pentecoſtes diebus, ut in omni paræcia* (vel hodie loquimur Diœceſi) *omnia eodem modo cuſtodiantur, viſum eſt ſanctæ Synodo, ut à ſtantibus preces Deo fundantur.* Et renovatâ & explicata fuit antiqua iſta conſuetudo ad finem ſeptimi ſeculi, in Concilio Conſtantinopolitano quiniſexto[y], quo prohibitum eſt ne genua flecterentur iis quatuor & viginti horis, quæ fluunt à Sabbati veſpera uſque ad veſperam diei Dominicæ. Nemo item neſcit abrogatum fuiſſe jejunium feriæ quartæ, quod tamen in uſu fuit apud Veteres, ut patet ex pſeudo-Ignatio[z], Clemente Alexandrino,[a] Petro Epiſcopo Alexandrino & Martyre,[b] Epiphanio,[c] & aliis. Eadem libertate rejectæ ſunt vigiliæ in Veteri Eccleſia receptæ, quaſque Hieronymus[d] adverſus Vigilantium probavit & defendit, adeo ut Vigilantii in hac parte ſententia Hieronymianæ prævaluerit. Idem Hieronymus[e] alicubi *traditionem Apoſtolicam* vocat morem ſuo tempore receptum, quo *in die Vigiliarum Paſchæ ante noctis dimidium populos dimittere non*

s Pſeudo Juſt. l. Q. & R. Quæſt. 115. ἐκ τῶν ἀποστολικῶν δὲ χρόνων ἡ τοιαύτη συνήθεια ἔλαβε τὴν ἀρχὴν, ὥς φησιν ὁ μακάριος Εἰρηναῖος ὁ μάρτυς καὶ ἐπίσκοπος Λουγδούνου ἐν τῷ περὶ τοῦ Πάσχα λόγῳ.

t Tertull. de cor. milit. c. 3.

t Epiph. in Panar. in Compl. operis, p. 1105. A.

u Hieron. Dialog. cont. Lucif. p. 137. B. T. 2.

x Concil. Nic. Can. 20. ἐπειδή τινές εἰσιν ἐν τῇ κυριακῇ γόνυ κλίνοντες, καὶ ἐν ταῖς τῆς πεντηκοστῆς ἡμέραις, ὑπὲρ τοῦ πάντα ἐν πάσῃ παροικίᾳ ὁμοίως φυλάττεσθαι, ἑστῶτας ἔδοξε τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ τὰς εὐχὰς ἀποδιδόναι τῷ Θεῷ.

y Synod. Quiniſext. Can. 90.

z Ignat. ep. 5. a.

a Clem. Alex. Stromat. 7. p. 317

b Petr. Alexan. in canonicis.

c Epiph. Panar. hæreſ. 75. Aerii p. 910. B [illegible] ἐν πάσῃ ἐκκλησίᾳ [illegible] Eccleſia [illegible] d Hieron. cont. Vigil. p. 163. B. T. 2. De vigiliis & pernoctationibus martyrum ſæpe celebrandis, &c. e Hieron. Com. in Matth. p. 124. C. Tom. 6. Unde reor & traditionem Apoſtolicam permanſiſſe, ut in die Vigiliarum Paſchæ ante noctis dimidium populos dimittere non liceat, expectantes adventum Chriſti.

licebat. Quid factum eſt inſtituto iſto non ſimpliciter priſco, ſed, ſi Hieronymo fides, ab Apoſtolis ipſis derivato? Habemus item ex variis monumentis prohibitionem ſanguinis & ſuffocati diutiſſimè in Eccleſia viguiſſe. Primis quidem ſeculis ſummo ſtudio obſervatam fuiſſe ex Tertulliano [f] & Euſebio [g] ſatis conſtat. Concilium Conſtantinopolitanum quiniſextum jubet excommunicari laicos & deponi clericos qui aliter fecerint. [h] Hadrianus I. A. D. 795. mortuus [i] eadem ſeveritate hanc legem apud Latinos præcepiſſe deprehenditur, ad Egilam Hiſpanum Epiſcopum ita ſcribens. *Nos quidem Apoſtolicis præceptis imbuti atque eruditi confirmantes prædicamus quod ſi quis pecudum aut ſuillum ſanguinem, vel ſuffocatum manducaverit, non ſolum eruditionis totius alienus, ſed ipſius quoque intelligentiæ communis prorſus extraneus, ſub anathematis vinculo obligatus in laqueos incidat Diaboli.* Pamelius in Apologeticum Tertulliani obſervat [k] *non ita diu eſſe ex quo Chriſtiani veſcimur ſuffocato & morticina carne*, & *quotquot hac de re ſupra CCCC. annos ſcripſerunt certum pœnitentiæ tempus præſcribere ſi quis Apoſtolicam legem fuerit prævaricatus.* Illa tamen, licèt antiqua & generaliter recepta, in deſuetudinem abiit, ſenſimque & ſine ſenſu apud Latinos ſepulta, adeo ut ne unus quidem (quod ſciam) quo tempore, & qua ratione id factum fuerit obſervarit. Hoc unum ſatis apparet, non eſſe amplius in uſu. Hoc ipſum & obſervare eſt de oratione pro ſanctis mortuis, quæ in ſcriptis veterum apertiſſimè extat. Epiphanius ſcribit orari [l] *pro juſtis & Patribus ac Patriarchis, Prophetis, Apoſtolis, Evangeliſtis, Martyribus, Confeſſoribus, &c. Ut Dominum Jeſum Chriſtum ſingulari honore proſequentes ab cæterorum hominum ordine ſegregemus.* Superſunt & quorumdam ejus argumenti preces, ut in Liturgia Jacobi, [m] in Syriaca Baſilii, [n] poſtquam actum eſt de Patriarchis, Prophetis, Joanne Baptiſta, Stephano, Virgine Maria &

f *Tertull. Apolog. p. 38.*
g *Euſeb. hiſt. Eccleſ. l. 5. c. 2.*
h *Synod. Quiniſex. Canon. 7.*
i *Hadr. ep. 96. inter epiſt. Pontif. à Gretſero publicatas T. 3. Franch. Cheſn. p. 816. b. & ep. 97. p. 822 b.*
k *Pamel. in Apolog. Tertull. num 8.*
l *Epiph. Pan. hæreſ 75. Ærii p. 911. D.* Καὶ τῶν δικαίων ποιούμεθα τὴν μνήμην καὶ ὑπὲρ τῶν ἁμαρτωλῶν, &c. ὑπὲρ δὲ δικαίων καὶ πατέρων καὶ πατριαρχῶν προφητῶν καὶ Ἀποστόλων, καὶ Εὐαγγελιστῶν, καὶ μαρτύρων, καὶ ὁμολογητῶν, Ἐπισκόπων τε καὶ ἀναχωρητῶν, καὶ παντὸς τοῦ τάγματος, ἵνα τὸν Κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν ἀφορίσωμεν ἀπὸ τῆς τῶν ἀνθρώπων τάξεως διὰ τῆς πρὸς αὐτὸν τιμῆς, καὶ σέβας αὐτῷ ἀποδῶμεν.
m *Liturg. Jacob. p. 29. edit. Pariſ. a. 1560. apud Guil. Morell.* Μνήσθητι Κύριε ὁ Θεὸς τῶν πνευμάτων καὶ πάσης σαρκὸς ὧν ἐμνήσθημεν καὶ ὧν οὐκ ἐμνήσθημεν ὀρθοδόξων, ἀπὸ Ἄβελ τοῦ δικαίου μέχρι τῆς σήμερον ἡμέρας αὐτὸς ἐκεῖ αὐτοὺς ἀνάπαυσον ἐν χώρᾳ ζώντων ἐν τῇ βασιλείᾳ σου, &c.
n *Anaph. Syriac. Baſilii T. 6 Biblioth. Patr. p. 19. B.*

omnibus

omnibus ſanctis. *Memento* (inquiunt) *etiam Domine eorum qui deceſſerunt, migraruntque ex hac vita, & Epiſcoporum orthodoxorum, qui inde à Petro & Jacobo Apoſtolo ad hunc uſque diem rectum fidei verbum clarè ſunt profeſſi, & nominatim Ignatij, Dioniſii, Julij, ac reliquorum divorum laudabilis memoria.* In Liturgia Marci [o] nominatis Patriarchis, Prophetis, Apoſtolis, Martyribus, Confeſſoribus, Epiſcopis. *Et horum omnium animas* (inquiunt) *fac requieſcere Dominator Domine Deus noſter in ſanctorum tuorum Tabernaculis, in regno tuo, largiens ipſis promiſſionum tuarum bona, quæ oculus non vidit, & auris non audivit, & in cor hominis non aſcenderunt.* Sic in Liturgia Joannis Chryſoſtomi; [p] *offerimus tibi hunc rationalem cultum pro iis qui in fide requieſcunt.* Et tamen morem iſtum in Univerſum adeo antiquavit & improbavit Eccleſ. Romana ut non putet, ſine ſanctorum injuria, hujuſmodi pro iis ſupplicationes fieri poſſe. Plura hujus generis rituum Veterum à recentibus diſcrimina curioſis obſervare facile erit.

Neque vero major eſt Romanorum cum Veteribus in diſciplina concordia. Primaria fere & plerarumque aliarum origo in miniſtrorum Eccleſiaſticorum electionibus & ordinationibus verſatur, quæ diſciplinæ & miniſterii Eccleſiaſtici unica ſunt baſis. Eas in antiquiſſima Eccleſia partim à populo pependiſſe conſtat. Singuli enim fidelium cœtus, vel ſuos paſtores eligebant, vel in oblatorum ad id munus vitam & mores inquirebant, eoſque probabant. Pontianus Eccleſiæ Carthaginenſis Diaconus narrat [q] Cyprianum *judicio Dei & plebis favore ad officium Sacerdotii & Epiſcopatus gradum, cùm eſſet adhuc neophytus & ut putabatur, novellus, electum fuiſſe.* Idipſum Cyprianus variis in locis docet. In Epiſt. LII. hæc habet. [r] *Factus eſt Cornelius Epiſcopus de Dei & Chriſti ejus judicio, de clericorum penè omnium teſtimonio, de plebis quæ tunc affuit ſuffragio, & de Sacerdotum antiquorum & virorum bonorum collegio,* Alibi hæc etiam ſcribit [ſ]. *Ipſa plebs maximè habet poteſtatem, vel eligendi dignos Sacerdotes, vel indignos re-*

o *Bibliothec. Patr. Græcolat. T 2. p. 25. a. Liturgia S. Marci.* τῶν ἐν πίστει Χριστῷ προκεκοιμημένων πατέρων τε καὶ ἀδελφῶν τὰς ψυχὰς ἀνάπαυσον Κύριε (not.) &c. Mox καὶ τούτων τὰς ψυχὰς ἀνάπαυσον δέσποτα, &c.

p *Liturg. Chryſoſt.* ἔτι προσφέρομέν σοι τὴν λογικὴν ταύτην λατρείαν ὑπὲρ τῶν ἐν πίστει ἀναπαυσαμένων προπατόρων πατέρων πατριαρχῶν, προφητῶν, &c.

q *Pont. Diac. in vita Cypr.*

r *Cypr. ep. 52. p. 97. A.*

ſ *In ep. 68. p. 166. A.*

cuſandi: quod & ipſum videmus de Divina authoritate deſcendere, ut ſacerdos plebe præſente ſub omnium oculis deligatur, & dignus atque idoneus publico judicio ac teſtimonio comprobetur. Ideoque paulo poſt ſubdit. [t] *Diligenter de traditione Divina & Apoſtolica obſervatione obſervandum eſt & tenendum, quod apud nos quoque, & fere per provincias univerſas, tenetur, ut ad ordinationes rite celebrandas, ad eam plebem cui præpoſitus ordinatur, Epiſcopi ejuſdem provinciæ proximi quinque conveniant, & epiſcopus deligatur plebe præſente, quæ ſingulorum vitam pleniſſimè novit, & uniuſcujuſque actum de ejus converſatione perſpexit.* Itaque concedit Petavius [u] *Cyprianum in ea fuiſſe ſententia, ut putaret Apoſtolicæ divinæque traditionis eſſe, ut epiſcopus plebis conſenſu eligatur, & eam præxin illis temporibus in uſu fuiſſe, ex hiſtoria Eccleſiaſtica certiſſime conſtare, diuque duraſſe, & in Canonibus non ſemel repetitis decretis confirmatam eſſe, cujuſmodi ſunt* (inquit) *Synodi Carthaginenſis IV. Arelatenſis II. Pariſienſis III. Celeſtini I. & Leonis I. Romanorum Pontificum, aliique complures canones.* Inde eſt quod Epiſcopus Nicomedienſis Euſebius inter alias cauſas, propter quas vitio ordinatum fuiſſe Athanaſium criminabatur; hoc objiceret, [x] quod ad ejus ordinationem plebis conſenſus defuiſſet. Reſpondent vero Concilii Alexandrini Patres, [y] uno animo a populo Alexandrino cum ſingularibus pietatis & induſtriæ teſtimoniis, ad Epiſcopatum expetitum fuiſſe. Sic etiam Julius Ep. Rom. inter cætera quæ Gregorii ad Epiſcopatum Alexandrinum evecti ordinationi defuiſſe memorat; hoc in primis monet ipſum *à populis non fuiſſe poſtulatum* [z] Et perſpicuè apparet ex Hieronymo, [a] & ex Actis Concilii Conſtantinopolitani, [b] & Calcedonenſis, [c] & ex Pontificali, [d] & ex variis aliis monumentis hanc electionum atque ordinationum formam & rationem diu in Eccleſia permanſiſſe. Romana verò Eccleſia ante annos 700. & quod excurrit in Synodo VIII. generali, hactenus ab Orientalibus repudiata, *definivit* [e]

t Ibid. p. 166. B.

u De la pænit. publ. l. 1. c. 7. p. 98.

x Apud Athan. Apol. 2. p. 726. B. & 727. D.

y Ibid. 726. C. 728. A.

z Julius apud Atha. Apol. 2 p. 748. D. 749. A. μὴ αἰτηθέντα τῶν πρεσβυτέρων μὴ παρ' ἐπισκόπων μὴ τῶν λαῶν, &c.

a Hieron l. 1. contr. Jovin. p. 57. a. T. 2. & T. 3. & Comm. 10. in Ezech. p. 968. E. T 4. & Com 1. in ep. ad Gal p. 271. B. T. 6.

b Concil Conſt. I. in ep ad Damaſ. p 94. E. 95. A. B. T. 1. Concil. Gen.

c Conc. Chalced. Act. 11. p. 375. D. T. 2. Concil. Gen. & Act. 16. p. 430. E, & ſeqq.

d Pontif. Rom. in ordinat. Presbyt. fol. 38, vol. 2. vide ſupra l. 1. c 6. Conc. VIII. Can. 22. T. 3. Conc. p. 82.

nemi-

neminem Laicorum principum ſemet inſerere electioni, vel promotioni Patriarchæ, vel Metropolitæ aut cujuſlibet epiſcopi, &c. cum nullam in talibus poteſtatem quemquam poteſtati vocum, vel cæterorum laicorum habere conveniat, ſed potiùs ſilere, ac attendere ſibi, uſque quo regulariter à collegio Eccleſiæ ſuſpiciat finem electio futuri Pontificis, ac poſtremò quiſquis contra agere tentaverit anathemati ſubjicit. Hujus canonis, velut globi alicujus è tormento majori effulminati, vi dejecta eſt Patrum, antiquiſſimorúmque Eccleſiæ ſeculorum auctoritas, quæ plebi fideli aliquam in Paſtorum ſuorum electione partem hactenus conceſſerat. Neque vetus mos poſt illa tempora reſurgere, aut planè reſtitui potuit. Nunc verò palàm eſt plebem ſuo hoc jure penitus fraudari, vt ne minimam quidem partem habeat, non dico in Paparum, vel Primatum, vel Archiepiſcoporum, ſed ne in minimorum quidem Epiſcoporum electione, Plebis olim ut in ſuorum Paſtorum electione, ſic etiam in aliis omnibus negotiis, quæ alicujus eſſent momenti, ſuæ erant partes. Cum Cypriani ætate excitata fuiſſet graviſſima perſecutio, & multi, qui Gentilium violentiæ ceſſerant, peccati conſcientia ducti, ad Eccleſiæ quidem pacem recipi vellent ac contenderent, ſed ita tamen, ut à Canonicis pœnis, quæ peccatoribus tunc graves atque diuturnæ infligebantur, immunes eſſent, & ad hanc merendam veniam Confeſſorum gratiam emendicarent Sacerdotúmq; fidem labefactarent, ut ad communionem abſque prævia ſatisfactione admitterentur. Cyprianus ſtudioſiſſimus veteris diſciplinæ aſſertor adverſus hanc antiquæ ſeveritatis relaxationem varia ſcripſit, ex quibus manifeſtum eſt plebi Chriſtianę ſuas in cognitione & definitione cauſarum iſtarum partes fuiſſe. Epiſtola enim xi dicit [f] presbyteros illos, qui temere, & præter diſciplinam hujuſmodi peccatores admittebant, *acturos apud ſe, & apud Confeſſores ipſos, & apud plebem univerſam cauſam ſuam.* Et ad plebem Carthaginenſem, [g] *Cùm, pace nobis omnibus à Domino priùs data, ad Eccleſiam regredi cœperimus, tunc examinabuntur ſin-*

f Cypr. p. 10. p. 30.

g Idep. 12. p. 33. extr.

gula Præsentibus & Judicantibus Vobis. Et hac ipſa epiſtola, & ad hanc ipſam rem ſubjicit locum ſupra à nobis in capite de veterum librorum depravatione allatum. *Audiant quaſo patienter conſilium noſtrum, expectent regreſſionem noſtram, & cùm ad vos per Dei miſericordiam venerimus, convocati coepiſcopi plures, ſecundum Domini diſciplinam, confeſſorum præſentiam, & veſtram quoque ſententiam, beatorum martyrum litteras & deſideria examinare poſſimus.* Hinc eſt quod alibi teſtatur [h] *ſe à primordio epiſcopatus ſui ſtatuiſſe nihil ſine conſilio fratrum* ſuorum Presbyterorum & Diaconorum *& ſine conſenſu plebis, privata ſententia gerere.* Cui plura de his doceri cordi erit, adeat epiſtolam XIV. [i] ejuſdem Auctoris & XXVIII. de cauſa Philumeni & Fortunati Subdiaconorum, & XL. de Fœliciſſimo abſtento. Item LXVIII. ad Clerum & plebes in Hiſpania conſiſtentes conjunctim ſcriptam, in qua laudat eos quod Epiſcopos ſuos graviſſimorum peccatorum reos loco moviſſent. Sed ne quis exiſtimet hoc inſtitutum in ſola Eccleſia Carthaginenſi in uſu fuiſſe, non omittam Clerum Romanum ipſius conſilium probare [k] *Nobis* (inquiunt) *in tam ingenti negotio placet, quod & tu ipſe tractaſti prius, Eccleſiæ pacem ſubſtinendam, deinde ſic collatione conſiliorum cum Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis, Confeſſoribus pariter ac ſtantibus laicis facta lapſorum tractare rationem.* Et (quod mea ſententia apprime notandum eſt) ipſe Cyprianus ad Cornelium Epiſcopum Romanum ſcribens, dicit [l] apud ſe non eſſe dubium quin, pro mutua dilectione quam alter alteri debebat & exhibebat, florentiſſimo Clero ſecum Romæ præſidenti, & ſanctiſſimæ atque ampliſſimæ plebi legeret ſemper litteras ſuas. Unde patet Romæ etiam ad plebem delata fuiſſe negotia Eccleſiaſtica. Nihil opus eſt monere quàm nunc contemnatur Veterum in hac re cum auctoritas tum exemplum. Omnes ſatis per ſe vident, non ſolum in conſiliis, & in foro Epiſcoporum nullam haberi plebis rationem, ſed & pro hæretico habitum iri, ſi quis ſimile

h *Cypr. ep.* 6. *p.* 19.

i *Id. ep.* 14. & 28. & 40. & 59. *quæ ſcripta eſt nomine* LXVI. *Epiſcoporum:* & *ep.* 68. & *in præfat. Conc. Carthag.*

k *Epiſt. quæ eſt inter Cypr. ep.* 31. *p.* 61. *B.*

l *Cypr. ep.* 55. *ad Cornel. p.* 121. *A.*

mile

ſimile quippiam agitare aut incœptare auderet. Illud in primis velim apud te reputes, ſi quis nunc ſit Epiſcopus, vel Archiepiſcopus qui ad Pontificem Romanum illa Cypriani ad Cornelium ſcribat. *Frater cariſſime hortor te, & peto à te, ut quod per te ipſum ut plurimum & cum honore facis, id ipſum à me rogatus facias, ſcilicet ut hæc mea ad te epiſtola florentiſſimo Clero, qui iſtic tecum præſidet, & ſanctiſſimæ plebi legatur.* Si quis inquam Præſul ad hodiernum Papam hæc ſcribat quo loco habendus ſit,& an non mitiſſime atque optimè ſecum agi ſit exiſtimaturus, ſi nullam infœlicis epiſtolæ pœnam graviorem luat, quàm ut ludibrio excipiatur, ac velut morio mente captus, omniúmque rerum ignarus contemnatur? Atqui hæc ipſiſſima ſunt Cypriani ad Cornelium Papam verba. Verùm ut Epiſcopi & alii Clerici plebem eo omni jure fraudaverunt, qua apud Veterem Eccleſiam gaudebat, tam in Præſulum electione, quàm in cæteris negotiis Eccleſiaſticis, ſic etiam ipſis Epiſcopis & Clericis Romanus Papa, non ſolum iſta miſerę plebis ſpolia, ſed omnem penè reliquam poteſtatem atque auctoritatem detraxit ac eripuit, ſibiq́; uni totam vindicavit, & quam ab ipſis Chriſtianiſmi primordiis, ab antiquiſſimis Eccleſiæ canonibus acceperant, & quam ipſi ſecutis poſtea temporibus per varias artes non ſine magno labore, magnáq; induſtria paulatim comparaverant. Iſta neſcio quo modo intra breve tempus in unam Romam univerſa confluxerunt. Nicęni CCCXVIII. Patres definiunt [m] *Epiſcopum oportere ab omnibus epiſcopis, ſi fieri poteſt, qui ſunt in Provincia ejus ordinari. Si vero hoc difficile fuerit, vel aliqua urgente neceſſitate, vel itineris longitudine, certè tres Epiſcopos debere in unum congregari, ita ut etiam cæterorum qui abſentes ſunt, literis conſenſum teneant, & ita faciant ordinationem. Poteſtatem verò, vel confirmationem per ſingulas provincias pertinere ad Metropolitanum Epiſcopum.* Qui ſanè Canon cum more ſuperioribus ſeculis recepto planè congruit, ut ex loco proximè à nobis, ex LXVIII. Cypriani epiſtola

[m] *Concil. Nic.* Can. 4. Επίσκοπον προσήκει μάλιστα μὲν ὑπὸ πάντων τῶ ἐν ἐπαρχία καθίστασθ.

epiſtola allato, conſtat. Imo etiam ſequentibus ſeculis diu obſervatus fuit, ut patet ex epiſtola Concilii Conſtantinopolitani I. ad Papam Damaſum [a] & ex oratione dominorum Moderatorum Concilii Chalcedonenſis, de juribus quæ ad Patriarcham Conſtantinopolitanum in diœceſi ſua pertinebant. Et tamen univerſo orbi notum eſt, quis ſit hodie Eccleſiæ Romanę uſus. Nihil enim verę poteſtatis vel auctoritatis Metropolitanis eorúmque Conciliis, in Epiſcoporum ordinatione reliqui fecit, ejus vis omnis ab uno Pontifice Romano pendet, & ab iis quibus, ſeu ſponte, ſeu invitus ejus partem conceſſit. Ipſi quidem Prȩſules non alii quàm ei uni hujus beneficii gratiam habent, neque munus inire licet, quin numerata pecunia urbici Papæ diplomata acceperint, & de *Annalis*, quas vocant, tranſegerint. Neque aliter ſolent nomina ſua inſcribere quam hac formula *N. miſeratione Divina & ſanctæ ſedis Apoſtolicæ gratia Epiſcopus.* Quarum quidem formularum nullum apparet in ullis antiquitatis monumentis veſtigium. Ex tot Epiſcopis quorum etiamnum ſubſcriptiones habemus, partim in Conciliis, partim in aliis libris & hiſtoriis, ne unus quidem occurrit qui ſe in ſolenni nominis ſui inſcriptione Epiſcopum Papæ Romani gratia profiteatur. Satis conſtat in Synodis provincialibus ac diœceſanis tractata olim ac deciſa fuiſſe quævis Eccleſiaſtica negotia, ut manifeſtum eſt ex canonibus & exemplis quæ etiamnum extant: qualia ſunt quæ de Ario & Eutyche apud veteres legimus, quos ab Alexandrina & Conſtantinopolitana Synodis anathemate percuſſos ſcimus. Hę verò hodie Synodi de minoribus tantùm cauſis cognoſcunt; [b] ſi quę graviores occurrunt, eæ non ab alio quam ab ipſo Papa judicantur, neque Synodis per ſe aliud licet, quàm ſimpliciter de re inquirere, & quę cognoverint ad Papam perſcribere. Neque quiſquam eſt in Epiſcopali ordine, quantumvis abjectus, qui in cauſa graviori & ad dignitatem ſuam pertinente, ab ullo alio quam à Pon-

[a] *Conc. Conſtant. I in ep. ad Damaſ. p. 94. E. T. 1. Conc. gener.*

[b] *Concil. Trid. ſeſſ. 24. Decret. de reform. c. 5. extr. Minores criminales cauſæ Epiſcoporũ in Concilio tantũ provinciali cognoſcantur & terminentur, &c*

Pontifice Romano judicari poſſit. In his cauſis nihil juris eſt Metropolitano, nihil Primati, nihil Synodo Provinciæ, vel etiam Diœceſeos, quo ſenſu hæc vox à Veteribus accipiebatur? Præter ordinem quidem interdum à Papa aliqua iis cauſę cognitio delegatur, ſed ad inſtruendam duntaxat litem, Romamque mittendam, ubi demũ à Pont. Rom. cognoſcitur ac decernitur, ut diſertè decretum eſt à Conc. Trid. [p]. Mitto ereptam Epiſcopis præter veterum canones & morem in pleroſque monachos, alioſque clericos, ſive ſeculares, ſive regulares, in ſuis parœciis conſiſtentes inſpectionem & juriſdictionẽ. Item quod Papa omnem in univerſum abſolvendi, & in multis caſibus, quos *reſervatos* vocant, diſpenſandi poteſtatem, quæ omnium pariter Epiſcoporum olim fuit, ſibi uni vindicavit: quod ſolus indulgentias largitur, jubilea promulgat, quæ nulla in omnibus antiquiſſimis ſeculis fuere. Ac ut paucis rem abſolvam, Petavii nobiliſſimi Jeſuitæ teſtimonium hic recitabo; quo multa hujus generis à ſuis expuncta exſecutus, *Denique* (inquit) [q] *ut ſit finis, vel ex mediocri Patrum lectione certò intelligi cognoſciq́; poteſt, Eccleſiaſtica diſciplinæ (ejus quidem quæ in ritibus atq́ conſuetudinibus ſita eſt) partem magnam penitus immutatam eſſe, ejuſque praxin nunc planè aliam eſſe, quàm quæ in primitiva Eccleſia olim fuit.* Jam verò quod propriè ad eum diſciplinę ordinem pertinet qui in peccatoribus vel pœnitentiæ ſubjiciendis, vel ad communionem admittendis verſatur, omnis ejus forma planè penituſque intercidit. Sola rei idea in Veterum libris ſupereſt, ut, verbi gratia in Gregorii Neocæſareenſis, Baſilii, & aliorum Epiſtolis canonicis, & in Conciliis tam œcumenicis quàm provincialibus. Ubi nunc ſunt notiſſimi olim apud Veterem Eccleſiam quatuor pœnitentium gradus? quorum alii pro foribus Eccleſiæ flebant, alii cum Catechumenis audiebant, alii ad fidelium pedes provolvebantur, alii ad communes fidelium preces admittebantur; alii denique his omnibus perfuncti ad ſacramentorum participationem admittebantur? Tanta

[p] *Ibid. cauſæ criminales graviores contra Epiſcopos, &c. quæ depoſitione aut privatione dignæ ſunt ab ipſo tantũ ſummo Pontifice Romano cognoſcantur & terminentur, &c.*

[q] *De la penit. publ. l. 1. c. 7. §. 6. p. 97.*

olim erat ſeveritas, ut interdum pœnitentia ad octo, decem & viginti annos fieret. Abſolutionem autem lapſis non fuiſſe olim datam, niſi poſt peractam ſatisfactionem à Paſtoribus juxta canones impoſitam, & conſtat ex omnibus antiquitatis monumentis, & confitentur eruditiſſimi quique Romanarum partium viri, Maldonatus, [r] Petavius, [ſ] Hugo Menardus, [t] alii quos commemorare longum eſt, & acriter hodie pugnant illi Theologi, qui ab aliis Janſenii, à ſe ipſis Auguſtini diſcipuli vocantur. Nunc vero etiam pueris notum eſt peccatores in Papæ communione ſtatim poſt confeſſionem abſolvi; abſolutos demum de injunctis à ſacerdote ſatisfactionibus præſtandis cogitare. Quin & inter Jeſuitas nuper repertus eſt qui æſtu, & contentionis adverſus Janſeniſtas ſtudio ita abreptus eſt, ut non dubitarit ſcribere, [u] *ſatisfactionem ante abſolutionem exigere neminem, niſi cum Catholici nominis jactura poſſe; & ſi qui ita inſtituant, eorum diſciplinam deſperationis eſſe aditum, indurationis & finalis impœnitentiæ viam, Tartari præcipitium,* & cætera quæ referre piget, adeo ſunt in ſanctiſſimos Patres contumelioſa, quos certum eſt illam ipſam pœnitentiæ rationem, quam iſte tantopere abominatur, conſtantiſſimè commendaſſe, & accuratiſſimè ſecutos eſſe. Cæterum hanc diſciplinam, ubique apud veteres obviam, plane abſorpſit quos apud eos nuſquam cernitur nupera Romanorum auricularis (ut vocant) confeſſio. Ac ut illæ veterum ſaluberrimæ pœnitentibus pœnæ ſublatæ ſunt, aliæ quædam novæ ſuffectæ ſunt, ad rem (fateor) Romanorum longè utiliſſimæ, ſed peccatoribus pernicioſiſſimæ, quales ſunt Interdicta, cùm ob unius aut alterius, vel perſonæ, vel ordinis culpam, eamque aliquando non tam veram quàm fictam & imaginariam, Reipublicæ totæ, & Regna integra, in quibus multæ hominum myriades ſunt, ſacramentorum communione mulctantur, quibus quaſi inſtrumentis vitam & gratiam Chriſtus miſeris mortalibus impertitur, quod non ita pridem nobis pue-

[r] *De ſacramentis T. 1. de ſatisf. c. 2.*

[ſ] *Not. in Epiph. p. 234. 237. 252. & de la penit. publ. l. 1. c. 8. §. 11.*

[t] *Not. ad Sacram. Grego. p. 235.*

[u] *Briſacier, dãs le Ianſeniſme confondu, 2. Part. p. 46. & 4. part. p. 5.*

ris adverſus Rempublicam Venetam tentavit urbis Papa Paulus V. Quo in codice habetur adeo ferale inſtitutum, quo animarum innoxiarum myriades propter paucorum peccata ad inferos damnantur; Quî quæ ſic ſævit poteſtas Apoſtolica dici poteſt, cùm, non ad deſtructionem, verùm ad ædificationem inſtituta ſit poteſtas Apoſtolica? Pervelim item doceri, quibus veterum canonibus nitatur cruenta Inquiſitionis (ut vocant) diſciplina, quæ poſtquam vafris, & Chriſtianiſmo indignis, artibus, partim etiam meritò horrendis cruciatibus, à miſero homine hæreſeos confeſſionem extorſit, ad mortem damnat quem inſtituere debuit, cúmq; Magiſtratibus ſecularibus tradit, ac, ut conſtet Deo non minùs quàm hominibus illudi, diſertè rogat, ne reus morte plectatur [x] ſed ea tamen lege, [y] ut niſi ante ſextum, aut ad ſummum ſeptimum diem quæſitiſſimo ſupplicio afficiatur, id eſt, vivus comburatur, idq; ſine ulla, vel cauſæ, vel facti cognitione, [z] ipſi judices omnibus cenſuris ad hanc carnificinam urgeantur, ac poſtremò excommunicentur, deponantur, & de omni dignitatis ſive in Eccleſia, ſive in Republica gradu dejiciantur. Tanta autem eſt illius inſtituti immanitas, ut tametſi reus (quod fidem penè ſuperat) culpam agnoſcat, pœnitentiam profiteatur, pœnam deprecetur, ſéq; omnibus Eccleſiæ ſatisfactionibus etiam laborioſiſſimis ultro ſubjiciat, nihilo ſecius tamen pœnam capitalem luat, ſi ex eorum quidem genere fuerit quos *relapſos* [a] vocant. O inhumanam pœnitentiam, Scythíſq; & Læſtrigonibus ſolis dignam, Chriſti verò illius nomine indigniſſimam, qui jubebat, Apoſtolum ſuum non ſepties tantùm, ſed ſeptuagies ſepties condonare! Sed & ab Antiquitate, cujus iſti ſe ſucceſſores & hæredes profiteri non dubitant, plane penitúſq; alienam! Mitiſſima enim illa antiquitas, cujus nomen tam inverecundè mentiuntur, clarè docuit, [b] *Pietatis proprium eſſe, non cogere, ſed perſuadere, cùm Dominus vim non intulerit, ſed uniuſcujuſque*

x *Nicol. Eymer. Director. Inquiſ. P. 2. c. 27. p. 124. & ibi Pegna. Item p. 3. pag. 512. col. 1. A. B.*

y *Pegna in Director Inquiſ. p. 3. q 36.*

z *Direct. Inquiſ. P. 3. Q. 36. & ibi Pegna. p. 563. Comm. 85. p. 564. D.*

a *Direct. Inquiſ. P. 3. modo 9. termin. proceſſ. p. 510. col. 2. & ibi Peg.*

b *Athan. in ep. ad ſolit. vit. agent. T. 1. p. 855. A.* θεοσεβείας μὲν γὰρ ἴδιον μὴ ἀναγκάζειν ἀλλὰ πείθειν, καὶ γὰρ ὁ Κύριος αὐτὸς οὐ βιαζόμενος, ἀλλὰ τῇ προαιρέσει διδοὺς ἔλεγε πᾶσι μὲν ὅστις θέλει ὀπίσω μου ἐλθεῖν, &c.

arbitrio ut ſe ſequerentur permiſerit. [c] *Diabolum verò quandoquidem nihil veri habeat, eorum ad quos accedit & à quibus recipitur, bipenni & ſecuri fores infringere: Servatorem verò noſtrum adeo eſſe mitem, ut doceat quidem, ſi quis vult poſt me venire, & ſi quis vult eſſe meus diſcipulus, at accedentem ad unumquemque neminem cogere, ſed fores pulſare, & dicere. Aperi mihi ſoror mea, ſponſa mea, & ad aperientes ingredi, ſed ſi qui nolint audire, recedere, cum nec telis, nec militibus, nec manu armata veritas annuntietur, ſed perſuaſione & conſilio.* Hæc eadem antiquitas Arianos acriter increpat quod in propaganda & confirmanda religione ſua vim adhiberent. *Unde didicerunt* (ſic enim eos compellat) [d] *perſecutionibus ſævire? ſe id habere à ſanctis ſanè non dixerint, ſed à Diabolo traditum acceperunt.* Item, *juſſit quidem Chriſtus fugere, & ſancti fugerunt; at perſequi inceptum eſt Diabolicum, & hoc ipſum adverſus omnes expetit.* Et alibi teſtatur, [e] *Arianos in hoc ipſo quod proſcribebant eos qui ſententiæ ſuæ ſubſcribere nollent* (id verò longè minùs fuit quàm vivos exurere) *ſe alienos à Chriſtianiſmo, & Diaboli, ejuſque dæmonum amicos prodidiſſe.* Hæc eadem Antiquitas, apud alium Veterem Scriptorem, adverſus eoſdem Arianos qui in mortalibus ad fidem ſuam trahendis perſecutionum terrorem & mundanorum bonorum illecebras adhibebant; in hæc epiphonemata erumpit. [f] *Nunc proh dolor! divinam fidem ſuffragia terrena commendant, inopſque virtutis ſuæ Chriſtus, dum ambitio nomini ſuo conciliatur, arguitur. Terret exiliis & carceribus Eccleſia, credique ſibi cogit quæ exiliis & carceribus eſt credita, pendet à dignatione communicantium, quæ perſequentium eſt conſecrata terrore. Fugat Sacerdotes, quæ fugatis ſacerdotibus eſt propagata. Diligi ſe gloriatur à mundo, quæ Chriſti eſſe non potuit, niſi eam mundus odiſſet.* Quo ſenſu nobiliſſimus ex eodem genere Auctor ſcripſerat. [f] *Fundendo ſanguinem & patiendo, magis quam faciendo contumelias, Chriſti fundatam eſſe Eccleſiam, perſecutionibus creviſſe,*

c Ibid p. 830. D. ὁ μὲν διάβολος ἐπεὶ μηδὲν ἀληθὲς ἔχει, ἐν πελέκει καὶ λαξευτηρίῳ ἐπιβαίνων κατεάσσει τὰς θύρας τῶν δεχομένων αὐτόν, ὁ δὲ Σωτὴρ οὕτως ἐστὶ πρᾶος, ὡς διδάσκειν μὲν, εἴτις θέλει ὀπίσω μου ἐλθεῖν, καὶ ὁ θέλων εἶναί μου μαθητὴς, ἐρχόμενος δὲ πρὸς ἕκαστον μὴ βιάζεσθαι, ἀλλὰ μᾶλλον κρούειν τε καὶ λέγειν, ἄνοιξόν μοι ἀδελφή μου νύμφη, καὶ ἀνοιγόντων μὲν εἰσέρχεται, ὀκνούντων δὲ καὶ μὴ θελόντων ἐκείνων ἀναχωρεῖ, οὐ γὰρ ξίφεσιν ἢ βέλεσιν, οὐ διὰ στρατιωτῶν, &c.

d πόθεν ἔμαθον αὐτοὶ τὸ διώκειν; ἀπὸ μὲν γὰρ τῶν ἁγίων οὐκ ἂν εἴποιεν. ἀπὸ δὲ τοῦ διαβόλου τοῦτο αὐτοῖς προσείληπται, &c. καὶ τὸ μὲν φεύγειν ὁ Κύριος προσέταξε, καὶ οἱ ἅγιοι ἔφυγον, τὸ δὲ διώκειν διαβολικόν ἐστιν ἐπιχείρημα, καὶ κατὰ πάντων αὐτὸς ἀπαιτεῖται τοῦτο.

e Id. cont. Aria. Orat. 1. T. 1. p. 88. Αἱ οὕτω γράφοντες ὅτι τὸ πλῆθος τῶν γραμμάτων αὐτῶν ἐξορισμὸν καὶ ἄλλας τιμωρίας ἔχειν, τί ἂν εἶεν οἱ τοιοῦτοι, ἢ Χριστιανῶν μὲν ἀλλότριοι, διαβόλου δὲ καὶ τῶν ἐκείνου δαιμόνων φίλοι. f Hilar. l. contr. Auxent p. 86. A. col. 1. f Hier. ep. 62. ad Theoph. p. 274. B. T. 2.

martyriis

martyriis coronatum eſſe. Venerandæ item iſtius antiquitatis non poſtremus erat qui Ariano exprobrat, quod ferro in rebus Eccleſiaſticis uteretur. *Quos* (inquit [g]) *non potuerit* (Auxentius) *ſermone decipere, eos gladio putat eſſe feriendos, cruentas leges ore dictans, manu ſcribens, & putans quod lex fidem poſſit hominibus imperare.* Ac ne forte exiſtimas, quod Ariano vitio vertit, id eum in ſe ſuiſque probare, alibi narrat [h] ſe in Galiias profectum noluiſſe communicare cum Epiſcopis qui devios à fide ad necem petebant. Eadem ratione Marcianus [i] laudatiſſimæ pietatis Imperator negat *ſe ulli penitus neceſſitatem præcepiſſe imponi, quatenus aut ſubſcriberet, aut conſentiret invitus* (Concilii ſcilicet Chalcedonenſis definitioni) *Non enim* (inquit) *terrore aut violentia aliquos volumus ad viam trahere veritatis.* Sanè Hoſius Epiſcopus Cordubenſis longè antea teſtatus erat, Conſtantem Imperatorem maximè Catholicum neminem coegiſſe orthodoxum fieri. [k] Nec alia fuit veterum omnium ſententia. Sic enim Hilarius [l] *Deus cognitionem ſui docuit potiùs quàm exegit, & operationum cœleſtium admiratione præceptis ſuis conſilians auctoritatem, coactam confitendi ſe aſpernatus eſt voluntatem, &c. Deus univerſitatis eſt. Obſequio non eget neceſſario. Non requirit coactam confeſſionem.* Quibus rationibus, & aliis ejuſmodi Conſtantio Imperatori perſuadere conatur. Scriptor iſte hominum conſcientiis vim non eſſe afferendam. Ambroſius [m] *Chriſtus Apoſtolos miſit ad ſeminandam fidem; qui non cogerent, ſed docerent, nec vim poteſtatis exercerent. Sed doctrinam humilitatis attollerent.* Unde fit ut Cyprianus inter Veteris & Novi fœderis agendi rationes collationem inſtituens. [n] *Tunc quidem* (inquit) *non obedientes, gladio occidebantur quando adhuc & circumciſio carnalis manebat, nunc autem, &c. ſpirituali gladio ſuperbi & contumaces negantur, dum de Eccleſia ejiciuntur.* Ergo nunc etiam, ſi Cypriano credimus, ſub Veteri Teſtamento in Hiſpaniâ & Italia vivitur, & in aliis quibuſcunque provinciis viget Inquiſitio. Hoc verò Cypriani dictum difficile cum

g *Amb. ep. 32. p. 126. T. 3.*

h *Id. l. 2. ep. 27. p. 106. T. 3. Poſtea cùm videres me abſtinere ab Epiſcopis qui communicabant ei, vel qui aliquos devios licet à fide ad necem petebant.*

i *Marcian. ep. ad Monach. Ælienſ. Conc. Chalced. Part. 3. edit. Rom. Concil. p. 453. D. Pariſ. a. 1636. T. 3. p. 488. F.* Καὶ ἡ μὲν ἡμετέρα γαληνότης οὐδενὶ τὸ σύνολον ἀνάγκην ἐπιτεθῆναι προσέταξε, ὥστε ἢ ὑπογράφειν ἢ συναινεῖν εἰ μὴ βούλοιτο, οὐ γὰρ ἀπειλαῖς ἢ βίᾳ τινὰ πρὸς τὴν τῆς ἀληθείας ὁδὸν ἕλκειν βουλόμεθα

k *Hujus ep. ad Conſtantium apud Athan. in ep. ad ſolit. vit. ag. T. 1. p. 839. D.* τί γὰρ ζῶντι γέγονε τοῦ Κώνσταντος, &c.

l *Hilarius l. 1. ad Conſt fol. 84. A. col. 2.*

m *Ambr. Com. in Luc. l. 7. p. 99. T. 5.*

n *Cypr. ep. 62. p. 143.*

Pii Papæ V.[o] ſententia conciliare, qui ſtatuit Epiſcopos poſſe habere adminiſtros, & lictores ad cauſas quæ ſui juris ſunt, & qui in reos lege agant. Quod vero Eccleſia ad brachium ſeculare paſſim nunc & vulgo confugit, id non ideo fieri quòd ſuis ipſa viatoribus & lictoribus, aliiſque ejus generis miniſtris jure careat, ſed quòd nullos habeat, vel quòd, ſi quos habeat, adeo vel infirmos, vel paucos habeat, ut ad compeſcendos & plectendos reos poteſtatis temporalis ope atque auxilio uti cogatur. Huic argumento finem imponet locus Tertulliani Scriptoris Latinæ Eccleſiæ antiquiſſimi, quem ut ſupra attigimus vult Pamelius ſenſiſſe capitis ſupplicio in hæreticos animadvertendum eſſe, tametſi ille Chriſtiano non concedat ut, vel in Bello adverſus publicos hoſtes, vel in Magiſtratu conſtitutus adverſus ſontes, ex legibus gladium ſtringat. En tibi ergo ejus de religione verba. *Videte enim*(Gentiles affatur [p]) *ne & hoc ad irreligioſitatis elogium concurrat, adimere libertatem religionis, & interdicere optionem Divinitatis, ut non liceat mihi colere quem velim. Nemo ſe ab invito coli vellet ne homo quidem.* Et aliquot capitibus interjectis. [q] *Facilè iniquum videtur liberos homines invitos urgeri ad ſacrificandum. Nam & alias Divinæ rei faciendæ libens, animus inducitur.* Et in alio opere, de hoc ipſo argumento agens. [r] *Humani juris & naturalis poteſtatis eſt, unicuique quod putaverit colere, nec alii obeſt aut prodeſt alterius religio: ſed nec religionis eſt cogere religionem, quæ ſponte ſuſcipi debeat, non vi, cum & hoſtiæ ab animo libenti expoſtulentur.* Mirabili commento hæc Tertulliani loca diluit Pamelius, quæ ſic accipit, quaſi ſignificarent non eſſe quidem homines ad religionem directè cogendos eſſe, tamen ſi nolint ab hæreſi diſcedere puniendos. Suavis homo non putat eum cogi qui, propoſita capitis pœna, ad aliquid faciendum compellitur. Conciliet qui poteſt Inquiſitionis praxin, & Paparum adverſus Henricum VIII. & Elizabetham ejus filiam & Regum noſtrorum quoſdam fulmina cum conſtanti hac totius antiquitatis ſententia.

[o] *Girolamo Catena nella vita di Pio V. p. 126.*

[p] *Tertull. Apologet. c. 24. p. 58.*

[q] *Id. ibid. c. 28. p. 61.*

[r] *Id. l. ad Scap. c. 2. p. 129.*

Tam

Jam qui Patrum fidem, cærimonias, & diſciplinam adeo ſecurè contemnere ac proculcare deprehenduntur Pontificii, ut quæcunque Veterum minùs placebant, ea ſumma licentia immutarint vel antiquarint; qua fronte nobis iidem Antiquitatem laudant? quo pudore, quave religione eam in controverſiis noſtris vel teſtem, vel judicem adhibent? Illis vero, dum ſic agunt, quis non intelligit ea ad amuſſim congruere quæ Tertullianus in argumento conſimili gentilibus olim objecit? [f] *Nunc religioſiſſimi legum & paternorum inſtitutorum protectores & ultores, reſpondeant velim de ſua fide & honore & obſequio erga majorum conſulta, ſi à nullo deſciverunt? Si in nullo exorbitaverunt, ſi non neceſſaria & aptiſſima quæque diſciplinæ obliteraverunt? Quonam illæ leges abierunt, &c.* Ubi religio, *ubi veneratio majoribus debita à vobis? Habitu, victu, inſtructu, ſenſu, ipſo denique ſermone proavis renuntiaſtis. Laudatis ſemper antiquitatem, & novè de die vivitis.* Nunc non quæro juréne an injuria ita cum Veteribus agant. Satis eſt quod eo clariſſimè teſtantur non eſſe ſibi ſummam Patrum in rebus ad religionem pertinentibus auctoritatem. Quos ergo ſic ipſi repudiant, quo jure eoſdem Proteſtantibus obtrudunt? Quorum tam multas ſententias ac cærimonias reſciderunt, qua eorumdem auctoritate quicquam in religione conſtitui poſſe ſperant? Patres, inquis, Purgatorium ignem eſſe crediderunt. Eſto, inquam, Sed qui Patrum perſpicuam de ſanctarum animarum ad diem reſurrectionis ſtatu ſententiam libere exploſiſti; cur hanc mihi feres legem, ut quod eos de Purgatorio ſenſiſſe putas, id neceſſario admittam? Parem eſſe decet inter ſe diſputantium conditionem. Si tibi licuit illud prius Patrum dogma ad rationis & Scripturæ trutinam expendere; cur me vetas hoc alterum eorumdem placitum ad eandem normam exigere? Tu verò, ſi vera loquentem ferre potes, apertè & nobis, & univerſo hominum generi illudis, qui eoſdem illos Patres crepare, & ad ravim laudare, & eorum nominibus omnia tua volumina

[f] *Id Apolog. c. 6. p. 31.*

mina implere non deſinis, quos indigniſſimè acceptos abjeciſti; quorum auctoritatem in tam multis ſpreviſti atque conculcaſti.

Fruſtra hoc loco objectas Proteſtantes pleraque illa capita quæ ſupra retulimus tecum repudiare, qui ſcilicet, non Patres, ſed Scripturam pro fidei ſuæ norma habent, neque ex Antiquitate quicquam recipiendum putant, niſi quod idem Scriptura ſacra vel contineri vel niti reperiatur.

Si poſtremò cauſeris Patrum in commemoratis nuper capitibus auctoritatem nullius eſſe momenti, quòd Eccleſia de iis aliter pronuntiarit; eo ipſo liquidò id fateris quod ego nunc contendo, non eſſe, ſcilicet, Patrum ſummam in judicandis noſtris controverſiis auctoritatem. Eccleſiæ verò quam tu hic obtendis, quæ qualiſque ſit poteſtas atque auctoritas, non eſt noſtri inſtituti nunc quærere. Res alterius loci & tituli eſt. Hoc unum tantum dicam, quamcumque tu Eccleſiæ auctoritatem, ſeu parvam, ſeu magnam tribueris, eam nullius eſſe poſſe ad componendas noſtras controverſias uſus, niſi primùm & ante omnia conſtituatur, quænam & ubi ſit Eccleſia; Eam enim quæ nunc Romæ id ſibi nominis vindicat, Chriſti Eccleſiam verè eſſe negant Proteſtantes? neque in omnibus his quæſtionibus quicquam eſſe videtur difficilius, quàm ut Chriſti verè eſſe Eccleſiam iis perſuadeas Papæ Romani, ut vocant, *obedientiam*. Quam ſi, ſcilicet, Eccleſiam eſſe concederent, ad eam ſtatim, abſque ulla controverſia aut mora, ultro redirent.

Concludamus ergo non eſſe Patrum ſententiam idoneam, ad eas decidendas controverſias, quæ hodie in religione agitantur, medium: primò quòd difficile ſit ſcire quænam illa de qua quæritur, revera fuerit Patrum ſententia; tum quod ipſa per ſe ſatis non ſit ad fidem faciendam, quod Patres errori obnoxii fuerint; ac denique, quod eadem parum ſit apud utramque litigantium

partem

partem ponderis habitura; cùm ipſius Antiquitatis ſententias, cærimonias, & diſciplinam altera quidem pars Scripturæ, altera vero Eccleſiæ judicio apertè ſubjiciant.

Verum ex hac concluſione naſci video duas quæſtiones. Cùm enim ex Patribus de capitibus controverſis nihil certi conſtituere queamus, quæri poteſt primo quâ aliâ viâ ad dirimendas haſce controverſias progrediendum ſit; tum ſecundo, quis & qualis poſſit eſſe Patrum uſus. Ac tametſi neutra quæſtio ad inſtitutum propriè noſtrum pertineat, tamen, quia neque ab eo planè ſunt alienæ, utramque paucis, & quoad fieri poterit breviſſimè exequar. Ad priorem nihil videtur reſponderi commodiùs poſſe, quam quod in hoc ipſo argumento Græcis ſuis olim reſpondiſſe reperitur Scholarius Scriptor, Græcus ortu & lingua, ſed Latinis acceptiſſimus, & ab iis, qui Concilia Oecumenica Romæ ediderunt, magno in pretio habitus. Is igitur in Oratione, quam Florentiæ habuit, ut ad componendum Græcorum ac Latinorum diſſidium & in quo ſopiendo tum maximè laborabatur viam aperiret, *primò quidem*, (inquit) [t] *non decet velle omnia diſertis verbis è Scriptura deſumere, nam multos hæreticos ſcimus prætextu hoc uſos; ſed ſiquid verbis prolatis ſit conſequens adæque erit honorandum; Similiter quod veris & confeſſis viſum fuerit repugnans & contrarium, nullo modo erit admittendum.* Tum decernit *eorum quæ obſcuriùs dicta ſunt, ſumendas eſſe ex Scriptura ipſa, veluti magiſtra, explicationes per ea quæ uſpiam clariùs illa diſſerit.* Denique, *ſi quæ videtur eſſe diſcrepantia, tollendam eſſe* ait *adhibita expoſitione ſic ut tempora, uſus ac neceſſitas, ſenſuumq́ diverſitas & hujuſmodi alia perpendantur.* Deinde docet Patres Nicænos hac ratione veram de Filio Dei fidem ex Scripturis definiiſſe. [u] Mox eadem ad inſtitutum ſuum referens ſubjungit, [x] *Scripturam manifeſtè diſertéque teſtari Spiritum San-*

[t] *Scholarius Orat.* 3. *T.* 4. *Concil. gen. p.* 650. E.
Καὶ πρῶτα μὲν μὴ πάντα βούλεσθαι διαῤῥήδην λαμβάνειν ἐκ τῆς γραφῆς, τοῦτο γὰρ καὶ πολλοὺς ἴσμεν τῶν αἱρετικῶν χρησαμένους τῷ προκαλύμματι. ἀλλ' ἄν τι τοῖς οὕτω λεγομένοις ἀκόλουθον ᾖ, καὶ τοῦτο τῆς ἴσης τιμῆς ἀξιοῦν· ὁμοίως εἴ τι τοῖς ἀληθέσι καὶ ἀναντιῤῥήτοις ἐναντιούμενον φαίνοιτο, τοῦτο μηδένα παραδέχεσθαι τρόπον. ἔπειτα τῶν μὴ σαφῶς εἰρημένων αὐτὴν τὴν γραφὴν λαμβάνειν διδάσκαλον ἐξ ὧν ἀλλαχοῦ που σαφέστερον πραγματεύεται· πρὸς δὲ τούτοις τὴν δοκοῦσαν διαφωνίαν ἐξηγουμένους λύειν πειρᾶσθαι, καιρούς τε καὶ χρείας καὶ διαφόρους ἐννοίας καὶ τὰ τοιαῦτα περιλαμβάνοντας.

[u] *Ibid. p.* 652. E. 653. *A.*

[x] *Ibid. p.* 654. D. E.
τὸ μὲν οὖν ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορεύεσθαι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον κεῖται μὲν διαῤῥήδην ἐν τῇ γραφῇ, ὁμολογεῖται δὲ παρὰ πάντων ἡμῶν, &c. Ἐκεῖνο δὲ ἐκ τινῶν ἄλλων τοῦτο συνάγεσθαι δεῖ φανερῶς ἐκεῖ λεγομένων. T. Concil. genev. p. 690. c. edit. verò Concil. om. Pariſ. A. 1636. T. 8. p. 921.

ctum ex Patre procedere, idque communiter & Græcos & Latinos confiteri: non itidem docere an Spiritus Sanctus procedat ex Filio, necne; atque in hoc verſari quæſtionem quod hoc quidem Latini affirmant Græci verò negent. *Ea ergo* (inquit) *colligenda eſt ex quibuſdam aliis quæ Scriptura dicat apertè*; quod deinceps exequitur, & quidem, ſi quid judico, doctè & fœliciter; è perſpicuis, hoc quod erat obſcurum, illuſtrans atque definiens. Hæc eſt magni viri ſententia, quæ Latinis, quorum ille contra ſuos Græcos partes tuetur, diſplicere non debet. Ego quidem quid æquius ac verius in hac cauſa dici poſſit non video. In omnibus ſcientiis hæc Methodus obſervatur. De quibus dubitatur, ea ex confeſſis probantur. Ex certis incerta confirmantur; ex perſpicuis obſcura illuſtrantur. Ergo & hęc ipſa ratio in controverſiis noſtris ſequenda eſt. Verbum Dei, utrorumque commune inſtrumentum eſt, communes (ut ſic dicam) tabulę. Inde ergo quęrendum eſt, unde fidem & noſtram confirmemus, & adverſarii refellamus. Exempli gratia, id quod Chriſtus in ſacra Cœna accepit, panem fuiſſe verbum Dei diſertè dicit. (De eo inter nos omnes convenit) nuſquam verò diſertè dicit panem illum vel mutatum fuiſſe vel in nihilum abiiſſe. De hoc quæritur. Oportet ergo (auctore Scholatio) id probare ex aliquibus aliis rebus quæ in Dei verbo liquidò ponantur. Si probationis labor ſuccedat, viciſti. Sin ſecus, cur tu quemquam velis id credere, quod ex verbo Dei demonſtrare non potes? Ita etiam diſertiſſimè docet Scriptura, Chriſtum præcepiſſe Apoſtolis ſuis, ut acciperent, comederent, & biberent quæ ipſe iis porrexit, cùm Euchariſtiam inſtituit. Juſſiſſe ut ſacrificarent, neque hic, neque alibi uſquam dicit. Hæc ergo eſt quæſtio, quam ſi probare volunt Latini, ex iis eruere ac concludere debent quæ perſpicuè & expreſsè in Dei verbo ponantur. Scriptura itidem docet Chriſtum eſſe mediatorem inter Deum & homines, caput Eccleſiæ, purgare nos à peccatis noſtris ſuo ſanguine. De eo inter nos omnes convenit. Sed

nuſquam

nuſquam ponit ſanctos mortuos mediatores eſſe, Papam eſſe caput Eccleſiæ, animas noſtras igne quodam purgatorio peccatorum parte aliqua mundari. De his eſt omnis quæſtio. Ex ſapientiſſimi Scholarii ſententia, qui capita iſta ponunt, ea illi ex rebus liquidò & diſertè in Scriptura conſtitutis inferre & confirmare tenentur. Ni fecerint, fruſtra pro veris obtrudunt quæ vera eſſe non probant. Ac tametſi & in religione, & in omni gravi negotio, ſatis cauſæ eſſe videatur cur aliquid minimè credamus, ſi nulla cauſa afferatur, cur id credere debeamus; Si quis tamen, velut ἐκ περιουσίας, quæ nulla ratione fulta, vel demonſtrata rejicit, ea inſuper falſitatis arguere, certiſque argumentis convincere velit, is ex ejuſdem Auctoris ſententia ita progredi debebit. Ille in primis eorum ineptiam atque abſurditatem damnat, qui ſingula totidem Scripturæ verbis probari poſtulant; quod de iis maximè intelligendum eſt, quæ propoſitionibus (ut vocant) negativis continentur, quarum nulla ſcientia certam rationem habet: id enim infinitum eſſet, & nullius uſus. Sufficit quæ vera ſunt ponere. Quemadmodum enim quicquid ex iis legitimè ſequitur, verum; ſic etiam, quicquid repugnat, falſum eſt. Vin tu ergo oſtendere propoſitiones, quæ tibi obtruduntur, falſas eſſe? Eas, cum iis rebus quæ liquidò & diſertè in Scripturis habentur, confer; ſi repugnant, cave fidem ullam adhibueris. Exempli cauſa: Si Proteſtantes non ſatis habeant ea argumenta ſolvere, quibus Latini Purgatorium ſuum probare fruſtra conantur, ſed id inſuper dogma refellere, falſúmque oſtendere velint, ut res ſuccedat, totum illud dogma cum iis comparare debebunt, quæ Scriptura, tum de ſtatu animarum ex hac vita migrantium, tum de cauſa & ratione expiationis peccatorum noſtrorum & ſimilibus, clarè perſpicuéque tradidit. Purgatorium ſi cum his pugnare demonſtretur, explodendum erit. Sed non ſinit hujus opuſculi modus plura de his verba facere.

Altera verò quæſtio nullo negotio ſolvitur. Veterum enim librorum quòd ſummam eſſe & infallibilem auctoritatem negavimus, non ideo ullum eſſe uſum negavimus. Si id ſolum in religione conduceret quod eſt infallibile, nullius ſcripti humani ullus eſſet uſus. Auctorum qui noſtro ſeculo, aut paulo ante, ſcripſerunt nulla eſt apud utroſque auctoritas. Leguntur tamen eorum opera, & quidem magno cum fructu. Quanto utilior erit Patrum lectio, quorum multo quàm recentium major plerumque eſt, certe teſtatior & manifeſtior, pietas atque eruditio? Auguſtinus quidem non ideo veteres contempſit, quòd, quæ ſcripſerant, ea non aliter vera eſſe putaret, quàm quatenus vel rationis luce, vel Scripturæ auctoritate niterentur. Idem de Hieronymo dici poteſt, qui Patres tanti fecit ut penè omnes legerit; tametſi liberrimè eorum lapſus denotet. Si Patribus, non jam dico prætoriam illam judicandi, quam nunquam ſibi arrogarunt, auctoritatem; ſed famam omnem, nomenque ipſum detraxeris, non ideo nullius erunt uſus quæ literis mandata reliquerunt. Neque enim eo proſunt ac juvant libri, quòd ab hoc vel illo ſcripti ſunt; ſed hoc maximè quòd vera & utilia docent, quòd ab errore avocant, & à vitiis deterrent. Expunge ſi libet Auguſtini nomen è fronte præſtantiſſimorum librorum de Civitate Dei, & de Doctrina Chriſtiana; Me utrumque opus, etiamſi auctoris nomen neſciero, docebit tamen egregiè, ſi legero, multa ſcitu digniſſima. Cæterorum eadem eſt ratio. Principio occurrunt in his Patrum monumentis plurimæ eæque graves ad morum ſanctitatem, accuratamque diſciplinæ Chriſtianæ obſervationem cohortationes. Multa quoque paſſim obvia ſunt, quibus religionis Chriſtianæ fundamenta, quæ apud omnes ſunt in confeſſo, luculentiſſimè illuſtrantur & confirmantur: ad hæc plurima præclara & ad Scripturas & ad myſteria, quæ Scripturis continentur, intelligenda longè utiliſſima: Quin & ipſa eorum auctoritas magno hic nobis

uſui eſſe poterit ad Chriſtianiſmi veritatem probandam. Quæſo enim nonne admirabile eſt, tam multos, tam acri mente, tam fœlici ingenio viros, per quingentos & mille annos diverſis temporibus & locis natos, diſparibus inter ſe naturis & ſtudiis, ac interdum etiam ſententiis, tam conſtanter, uno veluti animo, unaque voluntate in omnibus Chriſtianiſmi fundamentis conſpiraſſe & conveniſſe, unumque (cætera tam diverſos) Chriſtum adorare? Ad eandem ſanctificationem cohortari? eandem immortalitatem ſperare? Eadem Evangelia ſuſpicere? In iis omnes ingentia & ſublimia myſteria demirari? Chriſtianiſmi veritatem ſatis, fateor, per ſe commendat ipſa rerum ratio, diſciplinæque totius eximia ſapientia, ac inuſitata, quædam pulchritudo, quæ ſe ipſa ſtatim ſui ſpecie cœleſtem divinamque eſſe prodit, ut nullum aliud certius, aut illuſtrius argumentum deſideretur. Sed neque tamen contemnendum eſt, quod ejuſdem rei non leve, ut opinor, documentum nobis præbet is, de quo dicere cœpimus, Patrum de Evangelii veritate planè admirabilis conſenſus. Abhorret enim ab omni veri ſpecie tam multos excellentiſſimo, (quod eorum monumenta loquuntur) ingenio, mente acerrima atque perſpicaciſſima præditos viros tam ſtolidè hallucinatos eſſe, ut rerum ſuarum ſummam, omneſque adeo fortunas ſuas in Chriſti diſciplina conſtituerent, pro hac nullum diſcrimen ſubterfugerent, vitam etiam ipſam ultro ac lætantes profunderent, niſi ejus eſſet ad afficiendas & percellendas hominum mentes divina quædam vis. Eſtne credibile his heroibus de Evangelii veritate tam conſtanter, tamque admirabiliter conſentientibus veriora ac certiora vidiſſe pauculos atheos, adverſus ſanctiſſimam diſciplinam hic illic ſubinde tam fœdè tamque inconditè obloquentes; ut eorum obtrectatio pro canum latratu, aut ſuum grunnitu potiùs habenda ſit, quàm pro hominum voce atque oratione? Ac horum quidem ſi vel eo eſſent, quo ſe

falſo ſtultéque jactant, ingenio, atque acumine prædìti, teſtimonium tamen meritò ſuſpectum redderent ipſi eorum mores: neque enim mirandum eſt, quòd homines vel ambitione vel libidinibus perditi, eam diſciplinam infament quæ ſcortatores & lenones & ſuperbos ad Tartarum damnat; quod qui animam in vino & mergit vivens, & evomit moriens, eam religionem oderit, quæ ebrietati æternas pœnas conſtituit. Nemo mirari debet falſam eſſe Chriſti doctrinam eos facilè ſibi perſuadere, quorum tanti refert eam falſam eſſe. Si quem diræ hujuſmodi nebulonum adverſus Religionem Chriſtianam calumniæ commovent, idem facit ac ſi de legum, quæ morum ſanctimoniam præcipiaut, æquitate ac juſtitia, ex ganeonum ac proſtibulorum ſententia judicet. Planè diverſa eſt ſanctiſſimorum virorum ratio, qui Religionis Chriſtianę veritatem tam conſtanter docuerunt. Cùm enim & nati & educati in iiſdem quibus cęteri mortales, infirmitatibus eſſent, nullum dubium eſt quin eſſent natura & proni in ea vitia quæ ſunt à Chriſto vetita, & averſi ab iis artibus & virtutibus, quæ ſunt ab eodem pręceptę. Qui ergo, cùm tales eſſent, Chriſti tamen diſciplinam veram eſſe aſſeverarunt, nulla profectò ratio eſt, cur hoc eorum teſtimonium ſuſpectum habeamus. Itaque etiamſi Patribus defuiſſet ſumma illa ingenii atque eruditionis excellentia, qua atheos facilè ſuperarunt, illorum tamen vel nudæ voces horum teſtimonio eſſent anteponendę. Apparet enim & horum contra Chriſtianam veritatem judicium odii merito ſuſpectum eſſe; & illorum de Chriſti & Evangelii divinitate voces ab omni ſtudio puras & immunes eſſe.

Illa vero ſententiarum de quibuſdam religionis capitibus à nobis ſupra memorata diverſitas, quæ interdum apud Patres occurrit, adeo nullum ipſorum de Chriſtianę doctrinæ veritate teſtimonio pondus detrahit, ut etiam plurimum ad id momenti adjicere videatur; quæ eorum ſcilicet in hac parte conſenſum omni ſynceritatis

erctiſmi

cretiſmi ſuſpicione liberat. Sic enim conſtat eos non ex compacto, neque ex communi aliqua conſpiratione eadem de Chriſto loqui. Nam quos de multis inter ſe diſsentire animadvertis, eos profecto ſatis intelligi de quibus conſentiunt, ea non alios ab aliis accepiſse, vel communicatis inter ſe conſiliis conſtituiſſe, ſed ex rerum ipſarum meditatione & attenta conſideratione hauſiſſe. Patrum opera & monumenta, hæc utilitas ſi vel unica eſſet, abundè nobis commendaret. Verum ne qui hinc pendet ſuaviſſimus fructus, quadam earum opinionum oppoſitione minuatur atque intercipiatur, quæ apud Patres variæ diverſæque occurrunt, illud in primis pro certo ſtatuendum eſt, nequaquam ſitum eſſe Chriſtianiſmum in argutiis & ſubtilitate, neque tam in dogmatum numero ac multitudine, quam vi & efficacia. Eorum enim quibus Chriſtianiſmus continetur plerorúmque finis eſt ſanctificatio, hoc eſt ſincerus Dei cultus & vera in homines charitas. Quemcunque rectè & verè de duobus iſtis capitibus, deque cæteris, quæ ad ea neceſſaria ſunt, ſentire compereris, eum pro ſanctę illius diſciplinæ alumno certiſſimè habeto. Reliqua vero præter hæc, quæ multa ſunt & in contemplatione potiùs quam in praxi & uſu verſantur, ſi neſcierit, non erit ideo contemnendus; imo ſi curioſitate aut quapiam alia cauſa abreptus in errorem aliquem, circa alia capita, inciderit, tuum eſt id modeſtè ferre: Nam ut peccata, ſic & errores noſtros, Deus nobis condonat. Ligna, fœnum, ſtipula exurentur: qui iſta ſtruxerit ſervabitur, ſi modo fundamentum integrum & illæſum ſervaverit ac retinuerit. Ne commovearis aut tumultueris, ſi quando vel imperitia, vel etiam error in capitibus illius generis (quæ ſunt ſcilicet præter fundamentum,) apud Patres occurrant; neque tu auctores iſtos ideo Chriſtianos non fuiſſe putes, quod in talibus nonnunquam lapſi ſint. Hujuſmodi enim lapſus poteſt cadere etiam in præſtantiſſimos Chriſti

ſervos

ſervos. Vix ulla eſt facies adeo venuſta, quæ omni prorſus nævo & labe careat. Etiam laudatur, etiam amatur ea pulchritudo, quæ tamen ſuas ſed leves habet mendas. Noſtra hæc ſors eſt, ut nihil apud nos ſit ab omni parte beatum, ut nemo ſine venia placeat. Præterea licet & alium inſignem fructum ex Patribus percipere. Exurgunt nonnunquam homines carnis ſuæ ſenſu inflati, qui ex ingenio, non ex ullis veræ religionis principiis hauſta dogmata procudunt. Ad horum hominum compeſcendam audaciam peropportunè poteſt Veterum auctoritas adhiberi. Videlicet ſi doceas, Patribus penitus ignota fuiſſe quæ iſti obtrudunt dogmata. Quod ſi demonſtrari poteſt pro certo ſtatuendum eſt ejuſmodi dogmata à Chriſto vel ab Apoſtolis generi humano nunquam fuiſſe tradita nulla enim veri ſpecie fingi poteſt, ſanctos ſuperiorum ſeculorum doctores, per quos ad nos manavit Chriſtianiſmus, aliquid eorum latuiſſe quæ Dominus, quod eſſent alicujus momenti & ad ſalutem neceſſaria, nobis revelavit & commendavit. Equidem non negaverim Patres, fallaci aliqua ratiocinatione, aut ſpecioſa auctoritate deceptos, ea nonnunquam docere quæ Chriſtus nunquam revelavit, & quæ ſunt liquidò falſa, nullóque idoneo fundamento nixa, ut allatis exemplis ſupra oſtendimus. Non item inficias ierim ex iis, quæ nobis quidem Chriſtus in Scriptura revelavit, ſed quæ non ſunt tamen abſolutè ad ſalutarem fidem neceſſaria, quædam potuiſſe Patres fugere, vel quòd Scripturarum de talibus ſenſum, tempus & eventus rerum nondum aperuiſſent; vel quòd ipſi non ſatis attentionis ad ea expendenda attulerint; vel quòd aliquo ſtudio affectúve præpediti ea non animadverterint, quæ jam tum elucebant. Sed fugiſſe ipſos omnes aliquid quod neceſſario ad fidem pertineret, fieri nequaquam poteſt. Id enim ſi ita eſſet, concedendum eſſet ipſos ſalute excidiſſe, à qua cogitatione plurimum abhorrent omnes boni. Fateor ergo, quod hoc, ni fallor, opere

ſatis

ſatis demonſtratum eſt, argumentum quo aliquid verum eſse ex eo concluditur quod Patres ita ſenſerint, fluxum & infirmum eſse, cum id ſupponat, quod liquidò falſum eſt, Patres, ſcilicet, omnes ſuas opiniones à Chriſti revelatione habuiſse. Qualis eſset ejus argumentatio qui animas omnes, uſque ad diem judicii, ſeorſum in cuſtodia aliqua detineri, vel Euchariſtiam infantibus eſse neceſsariam, vel alia ejuſmodi ex Patrum de iſtis conſenſu concluderet, in quibus nemo non videt probationum iſtarum futilitatem. Atqui ſic omnino diſputat Eccleſia Romana, cum ab auctoritate Patrum argumentatur, ut ſua, quæ à Proteſtantibus, repudiantur, dogmata probet. Fateor item vitioſam ineptámque fore ejus argumentationem qui ex eo quòd omnes in univerſum Patres de capite aliquo fidei ad ſalutem non neceſſario ſiluerint, ipſum nullum vel falſum eſſe inferret: Id enim qui ſic concludit, ſupponit quod manifeſtè falſum eſt; Patres nempè omnia & ſingula quæ Chriſtus nobis in Verbo ſuo revelavit clarè vidiſſe & agnoviſſe. Idem in Franciſcanorum ſchola judicium fieret deo qui à ſilentio Patrum argumentaretur & contenderet B. Virginem ſine peccato conceptam fuiſſe. Cæterum valere è Patribus ductam argumentationem agnoſco atque profiteor, quoties dogma non eſſe ad ſalutem neceſſarium inde concluditur, quòd de eo Veteres Scriptores pariter omnes altum ſiluerint. Exempli gratia, ſi quis arcana illa ad ſalutem media quæ Mahumetes aut David Georgius, vel alii ejuſdem farinæ ſcelerati impoſtores diſcipulis ſuis tanquam certiſſima & neceſſaria tradiderunt, inde falſa inaniáque eſſe, & cum voluntate Chriſti pugnare probaret, quòd ea Patres planè penitúſque neſcierint, neque unum uſpiam de illis verbum fecerint: hujus, ut ego quidem judico, argumentatio firma invictaque eſſet. Atque hæc ipſiſſima ratio eſt qua Irenæus adverſus Valentinianos, alioſque Gnoſticos diſputat, qui veſana cerebri ſui ſomnia in medium proferebant, ſin-

ſervos. Vix ulla eſt facies adeo venuſta, quæ omni prorſus nævo & labe careat. Etiam laudatur, etiam amatur ea pulchritudo, quæ tamen ſuas ſed leves habet mendas. Noſtra hæc ſors eſt, ut nihil apud nos ſit ab omni parte beatum, ut nemo ſine venia placeat. Præterea licet & alium inſignem fructum ex Patribus percipere. Exurgunt nonnunquam homines carnis ſuæ ſenſu inflati, qui ex ingenio, non ex ullis veræ religionis principiis hauſta dogmata procudunt. Ad horum hominum compeſcendam audaciam peropportunè poteſt Veterum auctoritas adhiberi. Videlicet ſi doceas, Patribus penitus ignota fuiſſe quæ iſti obtrudunt dogmata. Quod ſi demonſtrari poteſt pro certo ſtatuendum eſt ejuſmodi dogmata à Chriſto vel ab Apoſtolis generi humano nunquam fuiſſe tradita nulla enim veri ſpecie fingi poteſt, ſanctos ſuperiorum ſeculorum doctores, per quos ad nos manavit Chriſtianiſmus, aliquid eorum latuiſſe quæ Dominus, quod eſſent alicujus momenti & ad ſalutem neceſſaria, nobis revelavit & commendavit. Equidem non negaverim Patres, fallaci aliqua ratiocinatione, aut ſpecioſa auctoritate deceptos, ea nonnunquam docere quæ Chriſtus nunquam revelavit, & quæ ſunt liquidò falſa, nullóque idoneo fundamento nixa, ut allatis exemplis ſupra oſtendimus. Non item inficias ierim ex iis, quæ nobis quidem Chriſtus in Scriptura revelavit, ſed quæ non ſunt tamen abſolutè ad ſalutarem fidem neceſſaria, quædam potuiſſe Patres fugere, vel quòd Scripturarum de talibus ſenſum, tempus & eventus rerum nondum aperuiſſent; vel quòd ipſi non ſatis attentionis ad ea expendenda attulerint; vel quòd aliquo ſtudio affectúve præpediti ea non animadverterint, quæ jam tum elucebant. Sed fugiſſe ipſos omnes aliquid quod neceſſario ad fidem pertineret, fieri nequaquam poteſt. Id enim ſi ita eſſet, concedendum eſſet ipſos ſalute excidiſſe, à qua cogitatione plurimum abhorrent omnes boni. Fateor ergo, quod hoc, ni fallor, opere

ſatis

ſatis demonſtratum eſt, argumentum quo aliquid verum eſse ex eo concluditur quod Patres ita ſenſerint, fluxum & infirmum eſse, cum id ſupponat, quod liquidò falſum eſt, Patres, ſcilicet, omnes ſuas opiniones à Chriſti revelatione habuiſse. Qualis eſset ejus argumentatio qui animas omnes, uſque ad diem judicii, ſeorſum in cuſtodia aliqua detineri, vel Euchariſtiam infantibus eſse neceſsariam, vel alia ejuſmodi ex Patrum de iſtis conſenſu concluderet, in quibus nemo non videt probationum iſtarum futilitatem. Atqui ſic omnino diſputat Eccleſia Romana, cum ab auctoritate Patrum argumentatur, ut ſua, quæ à Proteſtantibus, repudiantur, dogmata probet. Fateor item vitioſam ineptámque fore ejus argumentationem qui ex eo quòd omnes in univerſum Patres de capite aliquo fidei ad ſalutem non neceſſario ſiluerint, ipſum nullum vel falſum eſſe inferret: Id enim qui ſic concludit, ſupponit quod manifeſtè falſum eſt; Patres nempè omnia & ſingula quæ Chriſtus nobis in Verbo ſuo revelavit clarè vidiſſe & agnoviſſe. Idem in Franciſcanorum ſchola judicium fieret deo qui à ſilentio Patrum argumentaretur & contenderet B. Virginem ſine peccato conceptam fuiſſe. Cæterum valere è Patribus ductam argumentationem agnoſco atque profiteor, quoties dogma non eſſe ad ſalutem neceſſarium inde concluditur, quòd de eo Veteres Scriptores pariter omnes altum ſiluerint. Exempli gratia, ſi quis arcana illa ad ſalutem media quæ Mahumetes aut David Georgius, vel alii ejuſdem farinæ ſcelerati impoſtores diſcipulis ſuis tanquam certiſſima & neceſſaria tradiderunt, inde falſa inaniáque eſſe, & cum voluntate Chriſti pugnare probaret, quòd ea Patres planè penitúſque neſcierint, neque unum uſpiam de illis verbum fecerint: hujus, ut ego quidem judico, argumentatio firma invictaque eſſet. Atque hæc ipſiſſima ratio eſt qua Irenæus adverſus Valentinianos, alioſque Gnoſticos diſputat, qui veſana cerebri ſui ſomnia in medium proferebant, ſin-

gentes mundi Creatorem merum Angelum fuiſſe, qui ſuperiores ſe haberet divinitates quaſdam, quas *Aeones*, id eſt, *ſecula* vocabant, quarum alii plures, alii pauciores conſtituebant, quidam ad CCCLXV. recenſebat, & ſexcenta alia portenta, nullo neque rationis, neque Scripturæ fundamento ſuffulta.[a] Irenæus ergo ut propudioſam iſtam doctrinam non à Chriſti Spiritu, ſed ex uno iſtorum ingenio natam eſſe doceat, omnium Eccleſiarum, quas vel plantaverant, vel rigaverant Apoſtoli, tabulas & ſacra diptycha excutit; Actorum commentarios, literas & monumenta ſcrutatur, in quibus cum nulli eſſent iſti *Aeones*, *Achamot* & *Barbelot* Gnoſticorum, nec uſquam ulla eorum veſtigia apparerent, inde concludit Apoſtolos, neque ſcripto neque viva voce, quicquam, ut fingebant iſti ſycophantæ,[b] ſuis diſcipulis de Gnoſticorũ myſteriis tradidiſſe. Si quid enim hujuſmodi Apoſtolorum diſcipulis ulla ratione traditum eſset, fieri profecto non potuiſset, ut id tam brevi ex omni hominum memoria interciderer. Eadem methodo uſus eſt Tertullianus in confutandis illis ipſis hæreticis, aliiſque ejuſdem furfuris, ut videre eſt, De præſcript. cap. 22. & alibi. Tantis præeuntibus viris validam & efficacem eſse hanc methodum affirmare non dubito. Hinc apparet Patrum auctoritatem, veluti ſecundum quoddam poſt Scripturas eſse repagulum, ad eorum impoſtorum comprimendam ac retundendam audaciam, qui novam fidem procudere, novaque, & inaudita myſteria falſo Chriſti nomine orbi obtrudere aliquando moliuntur. Certum eſt quidem Scripturam, ſi ei ab omnibus quæ debetur reverentia, verè exhiberetur, unam ad hoc ſufficere poſſe. Sed ii qui ex ſuo ſibi cerebro nova dogmata comminiſcuntur S. Scripturas plerumque faſtidiunt ac contemnunt, idque ipſis vetuſtiſſimis hæreticis quos confutat Irenæus ſolenne fuit.[c] *Cum enim* (inquit) *ex Scripturis arguuntur, in accuſationem convertuntur ipſarum Scripturarum, quaſi non rectè habeant, neque*

a *Irenæus l. 3. contr. hæreſ. c. 1. 2. 3. & 4.*

b *Ibid. l. 3. c. 2.*

c *Id. Ibid.*

neque ſint ex auctoritate, & quia variè ſint dicta, & quia non poſſit ex his inveniri veritas ab his, qui neſciant traditionem. Non enim per literas traditam illam, ſed viva voce. Itaque adverſus hoc Scripturarum faſtidium, longè ſunt hoc loco utiliſſima Patrum monumenta; quæ ad hunc præſertim uſum & hoc maxime conſilio inter tot tantaſque rerum humanarum perturbationes ac confuſiones ſapientiſſima Dei optimi providentia tanto numero ad nos conſervata fuiſſe videntur. Si quid ergo Proteſtantes ex ſuo ingenio procuderent, ac velut ad ſalutem abſolutè neceſſarium urgerent, quod nuſquam apud Veteres compareret, liceret eos, fateor, hac methodo refutare. Sed notiſſimum eſt nihil eorum fide, quod hujuſmodi ſit, contineri. Nihil illi ponunt, nihil affirmant aut ſtatuunt quod vel diſerte in Scriptura non habeatur, vel quod ex ea evidenter non ſequatur, quod non ſi pauciſſima exceperis) antiqui Patres non ſolum in libris, ſed etiam in Symbolis & Synodorum decretis ſuis expoſuerint ac definierint. Proteſtantes nullam ſibi privatam revelationem arrogant; nullam arcanam traditionem jactant; nullum novum doctrinæ principium obtrudunt. Uno, eóq; antiquiſſimo & maximè authentico Chriſtianiſmi inſtrumento Vetere ſcilicet & Novo Teſtamento nituntur. Non nego quædam eos, ſed pauca, in locorum Scripturæ expoſitionibus afferre, quæ vix in Patrum Scriptis occurrant. Sed ea, quod non ſint ad fidem neceſſaria, argumento à Patrum ſilentio ducto refelli validè non poſſunt. Multa enim tempus & experientia, multa ipſæ Patrum regulæ, imò etiam interdum hallucinationes, in divina revelatione aperuerunt, quę olim obſcuriora ac difficiliora erant. Quis neſcit Pygmæum gigantis humeris impoſitum altius & longius quam gigantem ipſum proſpicere? Ridiculus eſſet qui quæ proſpicit pumilio in rerum natura exiſtere ideo negaret, quod ea gigas non vidiſſet. Neque ſanior eſſet ſi quis Pygmæum arrogantiæ accuſaret, quòd ea ſibi viſa referret de quibus nihil gigas

dixerat, qui, etſi iſta ipſe non vidit, effecit tamen ut ea Pygmæus videret; ita ut omnis hujus cognitio illi quoque accepta ferenda ſit. Eadem eſt noſtri ratio, inquiunt Proteſtantes. Stamus in humeris proceræ illius & celſæ Antiquitatis. Itaque quòd potiori ac celſiori quàm ea fuit, loco (quanquam & ipſius beneficio) ſumus, eo fit ut in Scripturis quædam ultra quam ipſa vidit intueri atque animadvertere poſſimus. Neque verò eſt quòd nobis idcirco multùm placeamus, cùm ſi quid ultra Antiquitatem videamus, id, ut plurimum, ipſis Antiquitati debeamus. Ex quibus conſtat Proteſtantes quidem eſſe extra omnem hujus diſputationis aleam, ſi ea ſpectentur quæ ipſi *affirmativa*, ac (ut loquimur) *poſitiva* in fidei ſuæ expoſitionibus habent. Eccleſiam verò Romanam, ob rationes ſupra à nobis expoſitas, nihil juvant Patrum monumenta ad ea probanda dogmata quæ ipſa, præter Proteſtantium fidem, ponit atque conſtituit, ita ut omnino de aliis argumentis cogitare eam neceſſe ſit, ſi quid velit hanc cauſam promovere. Cæterum in ea ſum ſententias, ut Romæ, non quidem bono ac commodo, ſed potiùs damno ac exitio antiquitatem utiliſſimè adhiberi poſſe putem; nempè ſi diligenter ac ſummo labore ſummaque attentione inquiramus, an quæ Roma, præter Proteſtantium fidem, ponit ac decernit, ea quoque pariter poſuerit ac decreverit Antiquitas. Nam ſi non poſuiſſe deprehendatur, certum erit, niſi fallor, inde argumentum, iſta qualiacunque de cætero ſint, certè capita Chriſtianiſmi neceſſaria nequaquam eſſe. Fateor argumentum in iis non valere quæ Roma ſic docet, ut ea tamen nondum cenſeat in capitibus ad fidem neceſſariis; nam quæ ſunt hujus cenſus ea, & à veteribus potuerunt, & etiamnum à nobis poſſunt, nullo periculo ignorari. Sed omni exceptione majus mihi videtur argumentum in iis capitibus quæ Roma ad fidem neceſſaria eſſe contendit, & in quibus ſalutis ipſius ſummam collocare non veretur qualia ſunt, exempli gratia, ſumma Papæ &

Eccleſiæ

Eccleſiæ quæ eum pro capite agnoſcit auctoritas. Euchariſtiæ ſacramenti adoratio. Miſſæ ſacrificium, Arcanæ confeſſionis neceſſitas, & alia ejus commatis. Iſta, ſi ejus revera ſunt, cujus eſſe dicuntur, momenti, neſciviſſe Patres nemo pius dixerit, ſciviſſe autem iſta eos, neque de iis tamen in tam multis quæ ſuperſunt operibus verbum unum feciſſe, nemo prudens vel aſſeruerit vel crediderit. Neque illud cuiquam cordato in mentem venire poteſt, ſcripſiſſe quidem de iſtis Patres aliqua, ſed loca fuiſſe aliquorum fraude vel expuncta vel vitiata. Si quid enim hujuſmodi factum eſſet, eorum ipſorum damno factum eſſet qui libros aſſervabant; quod non eſt veriſſimile ita factum eſse. Juſtius, veriúſque eſt ſuſpicari libros Eccleſiæ Romanæ bono, ac in fidei, quam illa docet, gratiam eſſe mutatos, quoties antеactis ſeculis mutati ſunt; quod fuſiùs, priore libro, oſtendimus. Ergo ſi poſtquam tandiu in hoc deſudavit Eccleſia Romana, experimentiſque tam multis docuit ſe & cupere vehementer illa fidei ſuæ capita teſtimoniis Patrum confirmare, neque admodum ab eo abhorrere, ut Patrum monumentis quæ deſunt ea de ſuo aſsuat vel inferat; ſi (inquam) poſt tot molimina ac tempora probari poſset, Patrum tamen voluminibus nondum illa contineri, quis dubitaret ea toti Antiquitati fuiſſe incognita? nedum ut creditu ad ſalutem neceſſaria jam tum cenſerentur? Quæ verò creditu neceſſaria non putarunt illorum temporum Patres, ea cur nunc neceſſaria facta eſſe exiſtimemus, nulla planè ratio eſt. Ergo quæ Roma, præter Proteſtantium fidem, definit ac docet vera eſſe, non poteſt quidem ex Antiquitatis auctoritate demonſtrari (etiamſi cum Roma de his conſenſiſſe probaretur) ſed iſta falſa eſse & inania validè demonſtrabitur, ſi probetur hæc, vel veteribus prorſus ignota fuiſſe, vel certè non eo quo nunc habentur loco ac numero fuiſse. Hoc autem ego quidem, tanti eſse judico, ut ad id conſequendum Proteſtantes temporis ac labo-

ris ſui partem aliquam Patrum lectioni ultro impendere debere videantur. Id unum tum ab his, tum etiam ab alterius partis hominibus poſtulo ac flagito, ut ad opus tantum omnibus rebus neceſſariis inſtructi accedant, ut linguarum & hiſtoriæ & S.Scripturarum cognitione; tum ut in id cum cura & attentione ſedula incumbant, accuratéque quicquid veterum ſcriptorum ſupereſt evolvant, ita ut nihil quod haberi poſſit negligant aut prætermittant, cum brevia interdum & exigui in ſpeciem momenti loca plurimum lucis ad Veterum mentē percipiendam afferant, néve putent (quod nonnullis ſcio contigiſſe) ſe omnem veterum de religione ſententiā tenere, poſtquam quatuor aut quinque menſes in ea inquirenda collocarint. Sed nihil in hoc inſtituto magis neceſſarium arbitror, quàm ut eo animum afferas ſtudiis & odiis, aliiſque affectibus vacuum, ex quibus omnis ferè illa obſcuritas naſcitur, quam in his ſcriptoribus experimur, dum utrique ad ſenſum ſinguli noſtrum eorum verba inflectere contendimus, quos verè affirmare poſſe videor de controverſis hodie capitibus cum neutris planè penitúſque ſenſiſſe, ſed in his aliquanto quidem quàm Proteſtantes ulterius, multò verò quàm Romanos citeriùs, ac parciùs provectos eſſe. Neque in hoc inſtituto ſatis eſt teſtimonia, quæ *formaliter* (ut loquuntur) & diſertè id ipſum quod quæritur vel negant vel affirmant, annotaſſe, (utcunque enim perſpicua fuerint, vix erit ut ſoſphiſtarum acumina ac præſtigias effugiant, qui ſuis technis interdum efficiunt, ut etiam in claro meridie nox ſit, quod ex hodiernis controverſiarum libris intelligi poteſt, in quibus utrique locorum è veteribus objectorum vim tanta arte eludunt, ut quid ſequaris vix appareat.) Sed obſervandæ etiam ſunt unius cujuſque dogmatis conſequentiæ neceſſariæ. Fieri enim non poteſt ut quicquam, quod ſit alicujus momenti, ponas, quin ex eo ita poſito multa ſtatim tum intra, tum extra Eccleſiam conſequantur. Ut, exempli

gratia,

gratia, diligenter ad ea attendendum eſt, quæ panis Euchariſtici Tranſubſtantiationem, Purgatorium, auctoritatem Papæ Monarchicam conſequuntur; & cùm ea probè animadverteris conſiderandum eſt, an Veteres legenti vel omnia, vel quædam certè occurrant. Nam ſi nulla apud eos extent, argumentum eſt invictum ea dogmata, ex quibus hæc naſcuntur, nullo, tum temporis, loco fuiſſe. Sed non eſt noſtri inſtituti fuſiùs iſta perſequi. Alii non pauci abundè præſtiterunt. Neque ex his quę hactenus diſputavimus difficile eſt intelligere, quo modo, quave methodo, vel quo fructu legenda ſanctorum Patrum ſcripta putemus.

FINIS.